CL. CLAVDIANI
POETÆ IN SVO GENERE PRINCIPIS
OPERA.

SERIO EMENDATA, NEQVE NON AVCTA. EX FIDE VETT. CODICVM QVI olim in Bibliotheca Cuiaciana. Cum Annotationibus perpetuis ST. CLAVERII in supr. Curia Aduocati.

AD

SERENISS. DIVINÆQ. ORIGINIS PRINCIPEM, FRANCIÆ DELPHINVM.

Adiecta est Coronis miscella, I. Parrhasij Selecta, & M. An. Delrij Notæ, ne quid huic Editioni deesse videatur.



PARISIIS,
Apud ROBERTVM FOÜET, via Iacobæa, sub signo Occasionis.

M. DCII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

INCLYTO AC DIVINÆ ORIGINIS PRINCIPI

GALLIARVM DELPHINO

ST. CLAVERIVS S. D.

VBI primum, Alme Princeps, dulce illud natiuitatis tuæ serenum mundo se exseruit, ipsa cœli positura modulato, si vnquam alias concentu affici visa est: nam & Gallias fauorabilis quædam inuasit trepidatio, & rerum facies paullo ante nubila candore lacteo fuit lætabilis, vt nec meliore nota splendeat galaxias, spirent etesiæ, pariant alcedones. Nimirum cum sacrato pignore, cum regulo Martigena, cum stellula nostri orientis natalis prouinciarum ac populi felicitas enituit. Quare cum etiam nunc in vultu cuiusque vigeat publicæ hilaritatis decus, ac erudita multorum deuotio foris promineat, ego ille tenuis musarum **vernula** meas lituras à situ vmbratili propere quidem eduxi, at in

mundum redactas tantisper foui dum gratia nouitatis aliqua aut veris odor eis accederet: quippe nihil tibi, Phosphore lucidissime, in tam viridis æui limine posito nisi viola recenti nexile, aut puniceo cultu germinans, aut liliis albicantibus redimitum dicari fas esse duxi. At enim quis digne veneretur ac suspiciat generis humani delicias? Id mihi quidem temere non adsumsi: verum experiri iuuat an tibi aut longæ arundini intento, aut forte iam ad Parentis inuicti galeam pennasque pulchræ alitis adludenti munus hoc papyrium volupe sit. Sed nullus heic dubitationi locus, nulla sinistre ominandi ratio. hæc enim Illustris animula, hic flosculus regali nomine inscriptus ac roseo Francisci Primi iam cœlitis sidere adflatus, etiam ab heroide Matre bonarum artium duxit imbibitque temperiem. Etenim gens Medicea toto orbe memorabilis nigellas cadmi filias semper amplexa est, semper in osculis habuit, ac Lauru natiua Angeli sui voce toties celebrata in primis effloruit: nec quieuit prius quam nobile erigeret Sacrarium vbi Ciuilis prudentiæ ac linguę vtriusque miracula, ceu margaritarum lineæ, ad inuidiam sui pæne exurgerent. Hæc laus nimirum antiquis Etruriæ regibus fuit propria, e queis lõge se ostentat arduus Mæcenas dominæ gentium & quasi imperij sequester, numen poetici ordinis: quem sane tibi maternæ originis auctorem primum cognatæ virtutis adserit imitatio. Quæ cum ita sint,

non adeo ab ratione,credo,Claudianum poetam aulæ ac viris principibus vnice idoneum videor tibi ſacraturus. Nam etſi à Nilo eſt, Arni tamen fluenta pridem ſibi accolam vindicauere. Enim poſteaquam Fl.Stilicho graui Getarum obſidione Florentiam liberaſſet magis eſt vt hic poeta militaris cum ſuo duce vrbem amicam ouans intrauerit,ob meritum doctrinæ iura ciuitatis adepturus. cuius rei contemplatione fortean tibi fuat iucundior. Et vero quia ſub tuæ lucis exordia ei quadam tenus contigit renaſci obnixe orat vt ſibi Nobilis Hyacinthe,nutu aliquo blandulo,vel micantibus digitulis, vel exili ſaltim oculorum conniuentia adeſſe velis.Ei profecto ante ſæcula duodecim Honorius Imperator adhuc inueſtis honorem ſtatuæ conceſſit: verum hæc prærogatiua tanti ipſi nó eſt, opinor vt ſpe maioris gloriæ a te prouenturæ excidat. Hunc igitur,Delphine amabilis, tanquam alterum Ariona excipe,eiuſque lyra tremulum quiddam & mirabile ſonanti aurium peruia ſinas demulceri. Agnoſces in eo, progreſſu temporis,& clangorem tubæ & bellica incentiua. aduertes multa pietatis, plurima honeſti ac fortitudinis indicia:quæ fuerint vel ipſi diuo Ludouico Ægypti domitori olim placitura, inuenies denique hiſtoriæ huius ſæculi haud obſcura lineamenta,quibus nos fere vbiuis aut lumen fæneramus,aut limbum adſuimus. Quid plura? ecce tibi Theodoſius Magnus præcepta edit paci & armis

vtilia, vt iam non opus ſit alia Inſtitutio principis: Neque vero ſum veritus ne cui nouum & inſolens hoc meum dedicãdi votum adpareat: ſi enim tanti Imp. filio vix anniculo rite conſularis dignitas oblata eſt, quid impedit quo minus in hanc tuam ætatem cadat libelli vnius nuncupatio? quinimo, vt tanti momenti exemplum fauſti ominis & victoriæ Iſtrianæ cauſam præ ſe tulit, ſic & tui Auguſti Genitoris adorea ope infantilis auſpicij pulcre geminabit: ac, ſi fas, huic vati amœniſſimo ad perpetuum decus, veræque laudis incrementa ſufficiet. Faxit Deus, vt Regni deſtina iure audias, longumque ſis regum Europæ maximo ſuperſtes & ille tibi, id enim terris ac bonis omnibus expedit. Biturigis, tertio Id. Iunij. Anno ſalutis Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo.

ΕΙΣ ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΚΛΑΥΕΡΙΟΝ,

τὸν τὰ Κλαυδιανοῦ ποιήματα στίξαντά τε
καὶ ἐξηγησάμενον.

Φοῖβος ἄναξ Μουσέων ὅτε εἶν ἐνὶ τεύχει ἔειδεν
Κλαυδιανοῦ τ' ᾠδάς, Κλαυερίου τε πόνους,
Φῆ ὅγε δενδίλλων ἐς ἕκαστά τε, θαμβήσας τε
Μάντις ἰδοὺ μάντιν καὶ σοφὸς εὗρε σοφόν.
Τοῦ μὲν γὰρ γλυκίων μέλιτος ῥέει αὐδὴ ἀοιδοῦ·
Φέγγει δ' ἡ τούτου πολυμαθημοσύνη.
Ἴσην δ' ἀμφοτέροις τιμὴν θέτο. ἀμφω ἀγασθεὶς
Κλαυδιανὸν μελέων, Κλαυέριον σοφίης.

IS. CASAVBONVS.

P. GNOSIVS SPECIALIS VICARIVS PRÆSIDIS BITVR. apud Issodunum.

EST Pelusiaci cedro laus digna poëtæ,
Te tuus ex alia parte serenat honos.
Nam sapis ipse tibi, quantùm tu prospicis illi.
Atque vna præstas arte duobus opem.
Hinc tibi fama recens, huic florea nascitur ætas:
Hippolytum diuæ sic reuocauit amor.

IN ST. CL. ANNOTATIONES.

Dent glossæ veniam venturæ in luminis auras,
Vix Clario quisquam clarius edet opus
Nomen hic à Phœbo, claues à Pallade veri.
A Musis ederæ stemma virentis habet.

IA. VAL. adlusit.

IN ST. CLA. VIGILIAS.
EPIGRAMMA.

Vnius excellit gemina vice Clauiger artis.
Clarat enim vates nobile Vatis opus:
Non aliter citharam quo pollice tangit Apollo,
Hoc ægris medicam fert quoque lenis opem.

I. TVRNERIVS.

INDEX OPERVM CL. CLAVDIANI

IVXTA RECEPTAS EDITIONES, quamuis manuſcr. quædam, Colinæus & Plantinus aliter ſe habeant, addita annorum deſignatione vt cuiúſque poëmatis ordo hiſtoricus pateat.

ERANT PRÆTEREA IN VET. CODICE ET Schedis Gnosianis multa & varia opuscula neque bella satis, neque genuina, meo iudicio, qualia sunt hæc præcipuè.

Sic fortè pulex, vetula, Philomela Ouidio nil tale merito adscripta, nam & Ætnam, quæ in alio manuscripto, probare non ausus est Lilius. ac facilè coniicio horum partem in ripa Arni fluminis natam esse. vnde illa suspecta in Panegyri Amicorum.

Principio generis simili nos stirpe creatos
Florentis Florique patris.

Sed hæc non adeò cuiuis dissona videantur, aut aliena ab hoc poëta.

DE AQVILA.

Mensa coloratus Aquila iuuatur in alis,
Quam florum distinguit honos: similique figura,
Texitur: implumem mentitur gemma volatum.

LAVS LIBERI.

Lenis, vitisator, proles Semeleïa Bacche
Da reditum nobis sic totis dulcia verbis
Mella fluant totis spumet vindemia & labris.

DE HIPPOPOTAMO & Crocodilo.

Vt quæ fœcundo nutritur bellua Nilo
Quæque necat morsu quæque sub ore fremit.

Plura non libuit addere. vt neque Claudiani Mamerti carmen contra vanos poëtas, de quo alicubi egimus.

SVMMA PRIVILEGII.

HENRICI IIII. Galliarum & Nauarræ Regis Edicto cautum & ſancitum eſt, ne quis cuiuſcumque gradus, ordinis, ſtatus, conditionis ac dignitatis, ſiue ſit Bibliopola, Typographus ſiue alius quilibet, quacumque regni & ditionis eius patent fines, *Cl. Claudiani opera cum notis & commentariis Stephani Claverij in ſuprema Curia Aduocati, & aliorum authorum tam veterum quàm recentiorum*, præter viduam Guillelmi Chaudiere, Robertum Foüet, & Nicolaum Buon Bibliopolas in alma Pariſiorum vrbe commorantes intra duodecim annos eadem vel alia minori forma excudat vel excudenda curet, vendat ipſe aut cuiquam diuendenda mandet, aut denique ab aliis excuſſa intra eiuſdem HENRICI ditionum fines diuendenda importet, ſeu quouis alio modo & prætextu manifeſte aut occulte diſtrahat, ſiue ſit externus ſiue ſit regnicola. Qui ſecus faxit præter librorum amiſſionem, quingentorum coronatorum mulcta pœnas pendito, quorum dimidia Regio fiſco, reſidua vero pars remanebit ipſis viduæ Chaudiere, Foüet, & Buon aut ab illis mandatum habentibus, vti latiùs patet in ipſo diplomate. Dato Pariſiis 16. die Iunij. 1602.

Subſignat. HENRICVS.

Ad mandatum ſacræ maieſtatis Regiæ, POTIER.

SERIES TEMPORVM.

OLibrij & Probini fratrũ Consulatus.	*An.395.*
Rufinus.	
Honorij Aug. tertius Consulatus.	*An.396.*
Honorij August. quartus Consulatus.	*An. 398.*
Honorij Aug. Nuptiæ.	
Gildo.	
Manlij Theodori Consulatus.	*An.399.*
Eutropius.	
Stilichonis prior Consulatus.	*An.400.*
Bellum Geticum.	*An.403.*
Honorij Aug. Sextus Consulatus.	*An.404.*

CL. Claudiani

ST. CLAVERII PRÆFATIO IN SVAS AD CLAVDIANVM ANNOTATIONES.

MAGNAM vt vides suscepi, Lector beneuole, prouinciam, qui auctorem satis hactenus reconditum, sed eximiè vtilem lacessere non sim veritus: tanti verò momenti, vt præ ipso laboret vbiuis annalium sæculi fides, & qui non iniuria hinc maximus, altus & animosus audiat: hoc vnum scilicet restabat vt ad hunc Lydium lapidem se mea probatum iret industria: tenuis quidem illa, sed natiua & veri studio amicabilis. nihil equidem mihi perplexè hærenti, in tantum fuit solatio vt mens nullius inuidiæ, aut malæ contrectationis conscia. non enim id egi, vt tenebras cuiquam offundere; vel byssino cultu, ac specie recenti tot retro commentores anteijsse videar, quinimò de ipsis honorificè loqui, ne dicam sentire, nobis vsitati moris est. ac velim, ita me Deus amet, eorum scripta quasi rediuiua oculis omnium obuersari. enim veneror, & colo ipsorum nomen, iisque me socium licet exilis meriti addere stat sententia. Nam quis Io. Camertem dignè laudauerit è cuius epomide, quod rarum simul ac præclarum est, hic poëta quantus quantus mira luce & candore quantumuis senili conspicuus se mihi, vel in transitu, exeruit! Hunc, vt B. Celsanum omittam, paruo quidem in-

teruallo secutus Ia. Parrhasius plurima, licet confusa, exquisitis tamen floribus vernantia de suo contulit. Nostra autem memoria M. Ant. Delrius, vir pietate dicam, an litteris ac gestis honoribus insignis, Notas satis pulcherrimas dedit; neque Th. Pulmanni manuscripta ei, credo, fuere ignara. Quare nō planè ab ratione dixeris mihi, aut multùm spicilegij, aut parum diffidentiæ superare. quod vtrumque non profiteor modò, sed & simplici gestu præ me fero. vt quid enim actum agerem, aut facerem fucum nouem sororibus? Cùm præsertim apud Iacobum Cuiacium virum omnimodis Illustrem agenti duo Claudiani exēplaria, antiqua manu exarata, se obtulerint, vnde poëta, quem in osculis habebat, conualuerit iam planè, aut certè multo minùs æger sit præstitus. tum verò adeo gratia valebam vt diceret, suos poëtas mihi vel possessione, vel vsu breui datum iri. Sed non ego illi nimiùm credulus, quippe noueram ipsum me, etiam id ætatis. Vt vtsit eius benignitate, vel opera, contextum nostri auctoris in mundum redegimus. vsi insuper codice Gryphiano, in cuius ora varias lectiones aliunde expresserat: at triduo post repetijt, aliquādo enim de suis vigilijs erat anxius, ad vsque vmbram suspicionis. quod minimè mirum: nam & in his amoribus magnum sæpe à riuali aliquo periculum. Itaque ante lustrum, aut plus eo, vt resciui eundem librum esse in musęo v.c. H. Picaultij splendidè eruditi, & fauentiæ pleni, ad eum volaui curriculo, voti mei, vt reapse patuit, compos futurus. Exinde profectò plæraque olim festinando prætérita, non sine voluptate, collegi. Quapropter ipsi vel à me, vel ab omnibus studiosis ingens habenda gratia. Quid plura? P. Gnosij Iudicis optimi, nec parui inter litteratos nominis Schedia, vt placitum, inspexi: è quibus auctarium satis amplum repræsentare potui, ni temperies & delectus suo iure obstitissent, vt suprà attigimus. neque his curis contenti, omnes etiam editiones ferè delibauimus, nec vlla freti coniectura. Scias verò hoc auctore nullum à multis annis opportuniùs humano generi, si fas, illuxisse. nihil enim hæc decem lu-

ſtra ſenſere in Gallijs, cuius clara effigies in eo, tanquam in ſpeculo, non appareat: quod ſanè habet miraculi ſpeciem, vt liquidò conſtat ex noſtra opella ſatis alioqui laborioſa & propter hiſtoriam, notabilis: à cuius vel minimis indicijs, vt ſunt hæc tempora, mihi temperaui, eáque legentium acumini conſultò reliquimus. De cætero nouam, vt ita loquar, in verbis præcipuè orthographiam, quòd textum non adeò ſolicitè obſeruaui. quamuis Ang. Politiano, ac Pomponio Læto quondam fuerit, nunc verò politiſſimo cuique familiaris. neque tamen indignè tulerim, ſi is qui præeſt huic editioni librum excuſum quem contuli ad normam vet. Inſcriptionum redigat. Poteram deníque loca infinita, quæ in promtu habeo, ex orationibus Panegyricis, & Sidonio imitatore meis ſcriptis inſerere, & alia multa cum Græca, tum Iuridica adponere: verùm oſtentationis metu, & captu voluminis deſtiti, aut ſanè diſtuli, ne tædio potiùs quàm melli forem doctioribus, atque vtinam tibi pro gigante luteo, viuum Lagona exhibeam. Etſi enim bonus liber, ait ille, eo melior, quo maior, tamen ſæpiùs contingit vt magnus codex ſit magnus caudex. vide igitur ne tibi ſatis mali eſſe videatur. viue & vale.

DE POETÆ NOSTRI NATALIBVS *& scriptis quædam singularia.*

ERGO verò Claudianum non Hispanum, quia laudauerit Hispaniam; non Gallum, quòd in veteri codice talis perhibeatur; non Etruscum, licet ad Florentinum scribat: sed Ægyptium, sed Alexandrinum, sed Niloten tibi, vel ipso teste, adseuero: vnde Suidas: Κλαυδιανὸς Ἀλεξανδρεὺς ἐποποιὸς, ἐπὶ τῶν χρόνων Ἀρκαδίου καὶ Ὀνωρίου. Natales ei haud obscuri, nam vt satis aptè ex Eunapio mihi colligere videor, Pater eius Illustrium virorum Maximi & Nymphidiani frater fuit; quorum alter Epistolarum græcarum Magister extitit sub Iuliano Imperatore: denique Claudianus Senior, natione Smyrnæus, & qui ne Athenas quidem viderat, adeò mentis acumine valuit, vt sua vnius industria locum insignem inter professores Alexandriæ meruerit: neque abnuerim hunc nostrum fano Serapidis euerso rectà nouam Romam; dein veterem tetendisse sub id tempus, quo Theodosius Eugenium debellaturus Alpes superauit. Quando à Græcis ad Latina deuenerit; quî vxorem duxerit; cuius

ſortis ac fidei tandem fuerit, ſcripta eius ſatis declarant. Sed fruſtra ſunt qui alio opere, quàm Raptu nomẽ poëtæ negent adipiſci; dictione Suidæ malè accepta. nam & à Cicerone ſummus Epicus poëta dicitur Ennius: neque Varius alio nomine dignus viſus eſt, qui pugnam Actiacam diceret; cui ſe impares poëtæ reliqui fatebātur: fuit autem cenſor Virgilii, neque artificem niſi artifex potuit corrigere. Panegyres ſanè nihil aliud ſunt, quàm Ἐποποιΐα δι' Ἡρωικοῦ μέτρου Ἱστορία. In cuius ſcriptionis prærogatiua totus eſt Papinius; nec tanti æſtimat ſuam Thebaïda. Scitum eſt verò quid Naſo de Cæſaris laudibus & alii ſentiant. At Claudianus hanc viam calcare nil veritus eſt; cuius Clara fuga ante alios & primus in æquore puluis. Statium haud obſcurè imitatur, & plures, vt ſuo loco videris: atque hæc paucula è multis effari libuit.

CL. CLAVDIANI IN LIBRVM PRIMVM DE RAPTV PROSERpinæ, præfatio.

A *INuenta ſecuit primus qui naue profundum,*
Et rudibus remis ſollicitauit aquas;
Qui dubiis auſus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias.
Tranquillis primùm trepidus ſe credidit vndis,
Littora ſecuro tramite ſumma legens.
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Aſt vbi paulatim præceps audacia creuit,
Cordáq; languentem dedidicere metum:
Iam vagus irrupit pelago, cœlumq; ſequutus,
B *Ægeas hyemes, Ioniumq; domat.*

IN PRÆFATIONEM.

A INVENTA. Apud Græcos olim tantũ non deſita procœmia & epilogi: at Iuriſperitis aliter viſum, ac poëtis maiorũ gentium: vtriuſque rei exempla ſunt apud Virgilium, Statium & Ouidium. Sed vt verum fatear paulo circunſpectiùs videntur egiſſe Perſius & Claudianus ſeparata præfatione à iuſto poëmate ipſo genere carminis, cùm diuinus alioqui Maro vnum corpus fecerit. Et tamen magnus ille Scaliger ſenior indignatur ijs, qui tanti viri iudicio arbitrium ſuum & cenſuram prætulerint. Nullum verò antiquius aut ſplendidius argumentum ſcribendi fuit hoc Raptu: quem Nicomachus artifex memorabilis in tabulæ depinxit adeo pulchrè, vt Iouis Capitolini templo dedicata ſit. De huius operis Mythologia Actio 5. in Verrẽ tibi fecerit ſatis, ſi adiunxeris quædã ex Natura deorũ. Adde ſi libet Metamorphoſin & Faſtos Ouidij. Verùm excellit hac in re poëta noſter: Qui ferruginei thoros mariti, Et muſa canit inferos ſuperna, vt eleganter Sidonius. Cæterùm Imitatio eſt Achilleidos. vt enim Thetis filiũ in Scyro, ſic filiam Ceres in Sicilia deponit, vnde Inter vtrunque volat dubijs Victoria pennis. quod ſine vllius offenſa dictum velim.

B ÆGEAS. Ita vet. duo codices. & rectè nam hæc duo ſæpe iunguntur apud poëtas. Statius: Ioniũ Ægeúmque premi. vana igitur illa repetitio, Ioniáſque hiemes Ioniúmque domat.

CL· CLAVDIANI
DE RAPTV PROSERPINÆ.
LIBER PRIMVS.

[A] INFERNI raptoris equos,[B] afflataq́; curru
Sidera Tænario, caligantéſque profundæ
Iunonis thalamos audaci [C] prodere cantu
Mens congeſta [D] iubet. greſſus remouete prophani.
Iam [E] furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.
Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,
Aduentum teſtata [F] Dei: iam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templúmque remugit
Cecropidum, ſanctáſque faces extollit Eleuſis:
Angues Triptolemi [G] ſtrident & ſquammea curuis
Colla leuant [H] attrita iugis, lapſuque ſereno
Erecti [I] roſeas tendunt ad carmina criſtas.
Ecce procul ternis [K] Hecate variata figuris
Exoritur, [L] leniſque ſimul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
[M] Tigris, & auratos in nodum colligit vngues.

Ebria Mæonijs [N] *firmat vestigia thyrsis.*

[O] *Dij, quibus* [P] *in numerum vacui famulantur Auerni,*
Vulgus [Q] *iners,* [R] *opibus quorum donatur auaris*
Quicquid in orbe perit, quos Styx liuentibus ambit
Interfusa vadis, & quos fumantia torquens
Æquora, vorticibus Phlegethon perlustrat anhelis,
Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta poli, qua lampade Ditem
[S] *Flexit Amor, quo ducta* [T] *ferox Proserpina curru*
Possedit dotale Chaos, quantásque per oras
Sollicito genitrix errauerit anxia cursu.
Vnde datæ leges populis [V] *& glande relicta*
Cesserit inuentis Dodonia quercus aristis.
[Y] *Dux Erebi quondam tumidas exarsit in* [X] *iras,*
Prælia moturus superis, quòd solus egeret
Connubij, sterilésque diu consumeret annos,
Impatiens nescire torum, nullásque [Z] *mariti*
Illecebras, nec dulce patris cognoscere nomen.
Iam quæcunque latent ferali monstra Barathro,
In turmas aciémque ruunt, contráque Tonantem
Coniurant Furiæ crinitáque sontibus hydris
Tisiphone, quatiens infesto lumine pinum,
Armatos ad castra vocat pallentia manes.
Pænè [A] *reluctatis iterum pugnantia rebus*
Rupissent elementa fidem, penitúsque reuulso
Carcere, laxatis pubes Titania vinclis
Vidisset cæleste iubar, rursúsque cruentus
Ægæon positis [B] *arcto de corpore nodis*
Obuia centeno vexasset fulmina motu.
Sed Parcæ vetuere minas, orbíque timentes,

Ante

Ante pedes, soliúmque ducis fudere seueram
Caniciem, genibúsque suas cum supplice [C] *vultu*
Admouere manus, quarum sub iure tenentur
Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt,
Longáque ferratis euoluunt secula pensis.
Prima [D] *fero Lachesis clamabat talia regi,*
Incultas dispersa comas: ô maxime noctis
Arbiter, vmbrarúmque potens, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendíque vices alterna morte rependis,
Qui vitam, letúmque regis: nam quicquid vbique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debetúrque tibi, certísque ambagibus æui,
Rursum corporeos animæ mittuntur in [E] *ortus:*
Ne pete firmatas pacis dissoluere leges,
Quas dedimus, neuítque colus, neu [F] *fœdera fratrum*
Ciuili [G] *conuerte tuba: cur impia tollis*
Signa? quid incestis aperis [H] *Titanibus auras?*
Posce Iouem, dabitur coniux. vix ille pepercit,
Erubuítque preces, animúsque relanguit atrox,
Quamuis indocilis flecti. Ceu turbine rauco,
Cùm grauis armatur Boreas, glaciéque minaci
Hispidus, & Getica concretus grandine pennas
Bella [I] *cupit, pelagus syluas, campósque sonoro*
Flamine [K] *rapturus, si fortè aduersus ahenos*
Aeolus obiecit postes, vanescit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in claustra procellæ.
Tum MAIA *genitum, qui feruida dicta reportet,*
Imperat acciri: Cyllenius astitit [L] *ales,*
Somniferam quatiens virgam, tectúsque galero.

Ipse rudi fultus solio, [M] nigráque verendus
Maiestate sedet, squalent immania fœdo
Septra situ, sublime caput mœstissima [N] nubes
Asperat, & dira riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat, tunc talia celso
Ore tonat, tremefacta silent dicente tyranno
Atria, latratum triplicem compescuit ingens
Ianitor, & presso lachrymarum fonte resedit
Cocytus tacitísque Acheron obmutuit vndis,
Et Phlegethontææ requierunt murmura ripæ:
Atlantis Tegææ nepos, commune profundis,
Et superis numen, qui [O] fas per limen vtrunque
Solus habes, geminóque facis commercia mundo,
I, [P] celeres proscinde notos, & iussa superbo
Redde Ioui. Tantúmne tibi sæuissime fratrum
In me iuris erit? si nobis noxia uires
Cum cœlo fortuna [Q] tulit, num [R] robur, & arma
Perdidimus? si rapta dies, an forte iacentes
Ignauósque putas? quód non Cyclopeia tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus auras.
Nónne satis visum est, grati quòd luminis expers
Tertia [S] supremæ patior dispendia [T] sortis?
Informésque plagas? cúm te lætissimus ornet
Signifer, & vario cingant splendore Triones.
Sed thalamis etiam prohibes. Nereia Glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te consanguineo recipit post flumina fessum
Iuno sinu. quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem? magnámque Themin? [V] tibi tanta creandi
Copia? te felix natorum turba coronat.

Aſt ego deſerta mærens inglorius aula
Implacidas nullo ſolabor pignore curas.
Non adeò toleranda [B] quies? primordia teſtor
Noctis, & horrendæ ſtagna intemerata paludis,
Si dicto parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas,
Obducam tenebris lucem compage ſoluta,
[Y] Fulgidus vmbroſo miſcebitur axis Auerno.
Vix ea fatus erat, iam nuncius aſtra tenebat,
Audierat mandata pater, ſecúmque volutat
[A] Diuerſò ducens animos, [Z] quæ tale ſequatur
Coniugium, Stygióſque velit pro ſole receſſus.
Certa requirenti tandem ſententia ſedit.
[B] Ætnææ Cereri proles optata virebat
Vnica, nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam,
Feſſáque poſt primos hæſerunt viſcera partus,
Infœcunda quidem, ſed cunctis altior extat
Matribus, & numeri damnum Proſerpina penſat.
Hanc fouet, hanc ſequitur; [C] vitulam non blandiùs ambit
Torua parens, pedibus quæ nondum proterit arua,
Nec noua lunatæ curuauit germina frontis.
Iam vicina toro plenis adoleuerat annis
Virginitas, tenerum iam Pronuba flamma pudorem
Sollicitat, mixtáque tremit formidine votum.
Perſonat aula procis, pariter pro virgine certant.
Mars clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu,
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas,
Et Delon, Clarióſque lares: hinc æmula Iuno,
Hinc poſcit Latona nurum: deſpexit vtrunque
Flaua Ceres, raptúſque timens (heu cæca futuri)

[D] *Commendat Siculis furtim ſua pignora terris,*
Infidis natam laribus commiſit alendam.
Æthera deſeruit, [E] *Siculáque relegat in ora*
Ingenio confiſa loci. [F] *Trinacria quondam*
Italiæ pars vna fuit, ſed pontus, & æſtus
Mutauere ſitum; rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes,
[G] *Paruáque cognatas prohibent diſcrimina terras.*
Nunc illam ſociæ raptam tellure triſulca
Opponit natura mari, caput inde Pachyni
[H] *Reſpicit Ionias protentus rupibus iras.*
Hinc latrat Gætula Tethys, Lilybæáque pulſat
Brachia conſurgens, hinc [I] *dedignata teneri*
Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum:
In medio ſcopulus ſe porrigit Ætna peruſtis;
Ætna Giganteos nunquam [K] *tacitura triumphos,*
Enceladi buſtum, qui ſaucia membra reuinctus,
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulfur,
Et quoties [L] *detrectat onus ceruice reflexa*
In dextrum, læuúmque latus, tunc inſula fundo
Vellitur, & dubia nutant cum mœnibus vrbes.
Ætnæos apices ſolo cognoſcere viſu,
Non aditu tentare licet: pars cætera frondet
Arboribus; teritur nullo cultore cacumen.
Nunc [M] *vomit indigenas nimbos, piceáque grauatum*
Fœdat nube diem, nunc motibus aſtra laceſſit
Terrificis, damníſque ſuis incendia nutrit.
Sed quamuis nimio feruens exuberet æſtu,
Scit niuibus ſeruare [N] *fidem; pariterque fauillis*
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,

Arcano defensa gelu; fumóque fideli,
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
° *Quæ scopulos tormenta rotent? quæ tanta cauernas*
Vis glomeret? quo fonte ruat Vulcanius ignis?
Siue quòd obicibus discurrens ventus [r] *apertis*
Offenso per saxa furit rimosa meatu,
Dum scrutatur iter, libertatémque reposcens
Putrida multiuagis populatur flatibus antra:
Seu mare sulfurei ductum per viscera montis
Oppressis ignescit aquis, & pondera librat.
Hic vbi seruandum mater fidissima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit secura penates,
Turrigerámque petit Cybelen, sinuosa draconum
Membra regens, volucri qui peruia nubila tractu
Signant, & placidis humectant fræna venenis.
Frontem crista tegit, pingunt maculosa virentes
Terga notæ, rutilum squammis intermicat aurum:
Nunc [q] *spiris Zephiros tranant, nunc arua volatu*
Inferiore secant; cano rota puluere labens
Sulcatam fœcundat humum, flauescit aristis
Orbita; surgentes [s] *condunt vestigia culmi*
Vestit iter comitata seges, iam linquitur Ætna,
Tótaque [x] *decrescit refugo Trinacria visu.*
Heu quoties præsaga mali violauit oborto
Rore genas, quoties oculos ad tecta retorsit.
Talia voce mouens, [T] *Salue gratissima tellus,*
Quam nos prætulimus cœlo, tibi gaudia nostri
[v] *Sanguinis, & charos vteri commendo labores?*
Præmia digna manent: nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi versabere vomeris ictu?

Sponte tuus florebit ager; cessan e iuuenco:
Ditior oblatas mirabitur incola messes.
Sic ait, & fuluis serpentibus attigit Iden;
Hic sedes [x] *augusta deæ, templiq; colendi*
Relligiosa [y] *silex, densis quam* [z] *pinus obumbrat*
Frondibus? & nulla lucos agitante procella
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.
Terribiles intus Thyasi, vesanáq; mixto
Concentu delubra gemunt? vlatibus Ide
Bacchatur; timidas inclinant Gargara syluas.
Postquam visa Ceres, mugitum tympana frænant.
[A] *Conticuere chori; Corybas non impulit* [B] *ensem,*
Non buxus, non æra sonant; blandiq; leones
Summisere iubas, adytis gauisa Cybelle.
Exilit, & pronas intendit ad oscula turres.
Viderat hæc dudum summa speculatus ab arce
Iuppiter, & Veneri mentis penetralia [C] *nudat.*
Curarum secreta tibi Cytherea fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proserpina regi
Iam dudum decreta dari? sic Atropos vrget,
Sic cecinit longæua Themis, nunc matre remota
(Rem peragit tempus) fines inuade Sicanos
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Crastina puniceos cùm lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis, quibus vrere cuncta,
Me quoq; sæpe soles? cur vltima regna quiescunt;
Nulla sit immunis regio, nullúmq; sub vmbris
Pectus [D] *inaccessum Veneri, iam tristis Erynnis*
Sentiat ardores? Acheron, Ditísque seueri
Ferrea lasciuis mollescant corda sagittis.

Accelerat præcepta Venus, iussúque parentis
Pallas, & inflexo terret quæ Mænala cornu
Addunt se comites: diuino semita gressu
Claruit, augurium qualis laturus in orbem
[E] *Præceps sanguineo delabitur igne Cometes,*
Prodigiale rubens: non illum nauita tutò,
Non impunè vident populi, sed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut vrbibus [F] *hostes.*
Deuenêre locum, Cereris quà tecta nitebant,
Cyclopum [G] *firmata manu? stant ardua ferro*
Mœnia, ferrati postes! immensáque nectit
Claustra chalybs: nullum tanto sudore Pyracmon,
Nec Steropes construxit opus, nec talibus vnquam
Spirauere [H] *notis* [I] *animæ, nec* [K] *flumine tanto*
Incoctum maduit lassa [L] *fornace metallum.*
Atria cingit ebur, trabibus solidatur ahenis
Culmen, & in celsas surgunt electra columnas.
Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu,
Irrita texebat rediture munera matri.
Hîc elementorum seriem, sedésque paternas
Insignibat [M] *acu; veterem qua lege tumultum*
Discreuit natura parens, & semina iustis
Discessere locis, quiquid leue fertur in altum,
In medium grauiora cadunt: incanduit æther,
[N] *Legit flamma polum, fluxit mare, terra pependit.*
Nec color vnus erat; stellas accendit in auro,
Ostro fundit aquas, attollit littora gemmis,
Filáque mentitos [O] *subter celantia fluctus,*
Arte tument: credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inserpere murmur arenis.

Addit quínque plagas, mediam subtegmine rubro
Obsessam feruore notat; squalebat adustus
Limes, & assiduo sitiebant stamina sole:
Vitales vtrínque duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris: cum fine supremo
Torpentes traxit geminas; brumáque perenni
Fœdat, & æterno [P] contristat frigore telas.
Necnon & patrui pingit [Q] sacraria Ditis,
Fataléśque sibi manes, nec defuit omen:
Præscia nam subitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat & vitreis summo iam margine texti
Oceanum sinuare vadis: sed cardine verso
Sensit adesse deas; imperfectúmque laborem
Deserit, & niueos infecit [V] purpura vultus,
Per liquidas succensa genas; castique pudoris
Illuxere faces: non sic decus ardet eburnum
Lydia Sidonio quod fœmina [R] tinxerit ostro.
Merserat vnda diem, sparsa nox humida somno
Languida cæruleis inuexerat otia bigis,
Iámque viam [S] Pluton [T] Superas molitur ad auras,
Germani monitu: toruos inuisa iugales
Alecto temone ligat, qui pascua mandunt
Cocyti, pratísque Erebi nigrantibus errant,
Stagnáque tranquillæ potantes marcida Lethes,
Ægra soporatis spumant obliuia linguis.
Orphneus crudele micans, Æthonq; sagitta
Ocyor, & Stygij sublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; nota [X] signatus Alastor,
Stabant ante fores iuncti, sæuúmque fremebant
Crastina ventura [Y] spectantes gaudia prædæ.

ANNO-

ANNOTATIONES IN LIB. I. PROSERPINÆ.

a INFERNI. Mira in hoc versu grauitas, & quæ tamen instar orationis paulatim adsurgentis. Plin. Secundus Non affectanda semper elata, In pictura vmbra: in oratione submissio laudabilis. Alia poëmata è contra, vt est apud Seruium, dactylum requirunt. At Papinius ita suam Thebaïda orsus est; vt Silio numerosior appareat.

b *ADFLATA* curru. phrasis elegans, atque Statiana: Adflatúsque fugit curru maiore Bootes. apud Arbitrum: Ventosa loquacitas animos iuuenum pestilenti sidere adflauit.

c *PRODERE.* Sic in v. cod. quod facilè admisi, nam in Ruf. dixit: Quis prodere tanta relatu? At priùs dixerat Lucanus: Caussas expromere rerum.

D *CONGESTA.* Hanc lectionem vetus exemplar, & Colinæi editio adgnoscit. constat verò hunc poëtam Platonis imitatione delectari, neque immeritò Brodæus iuuenis olim peracutus, & seriò doctus arguit eos qui vim tam bellæ dictionis non aduerterint. Siquidem ἡ ψυχὴ λογίζεται κάλλιστα, ὅτι μάλιστα αὐτὴ καθ' αὐτὴν γίγνεται. ergo Congesta mens verè est συνηθροισμένη ψυχή. Quamuis apud Virgilium: Fœcundum concute pectus; vnde fortè, Concussa, magis placuit Scaligero sen. quod sane in deliberationem cadit.

E *FVROR.* Id est, Furentis animi vaticinatio, vt est apud Petronium, cùm scilicet præcipitatur liber spiritus.

F *DEI* Phœbi aduentúm trepidatione delubri, ac lucis indicio denotat. Dido 4. Æn. sacrificat Phœbo, Cereri, & Lyæo, qui & hîc, & Cassandra Dei iussu os aperit. Ouid. Signa Deum nosco per sua Phœbus adest. Alii Cererem explicant.

G *STRIDENT.* Alii Stridunt: qui sonus hîc non placet. At Scal. Seniori hic ordo mutatur; sic enim ille: Triptolemi strident angues.

H *ATTRITA.* Id est polita seu leuia, non recutita. Cic. dixit Mentum simulacri attritius osculis. Adstricta, ineptè.

I *ROSEAS.* Suauia sanè & placida hîc destinatò apparet. Roseas enim cristas lapsui sereno subiungit, denique rosas loqui-

tur, dum sanguineum ac luteum colorem pulcra temperie mitigat: vir tamen cum censoria virgula in lucem editus, ac valde iudiciosus humile nescio quid huic epitheto adsignat. Lucretius: Forsitan & rosea sol altè lampade surgens. Claud. alibi dicit Roseum Luciferũ, & Auroræ color dicitur non malè roseus.

[k] *HECATE.* hæc ternis figuris varia, idque explicat eleganter Prudentius, & illi versiculi incerto auctore. Terret, lustrat, agit: Proserpina, Luna, Diana: Ima, superna, feras: sceptro, fulgore, sagitta.

[l] *LENIS.* Ita vet. c. aliàs lætus non malè ex Virg. sed alludit ad Lenei nomen, qui Donato dicitur quasi mentem leniat, alij Græcam originem tenent mordicus· ignari antiquæ consuetudinis, quod enim in Iure Testatio mentis allusio quidem est, sed talis vt melior testamenti definitio dari non queat, analogias sanè, vel etyma, vel origines boni illi non nesciebant. Sic opinor fures à ferendo, vel ἀπὸ τῦ φέρειν sine periculo dixeris.

[m] *TIGRIS.* Nebrida, vel spolium tigridis accipe: quod etiam humano capiti aptari queat. Camillæ apud Maronem: Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent. Cæterùm siquis viderit figuras signiferorum Romani exercitus facilè agnoscet has induuias.

[n] *FIRMAT.* diuersa lectio: Figit, Fulsit pro Fulcit, at Statius Claudiani norma, & Lydius lapis: Firmat vestigia virga, vnde vetus lectio etiam firmatur, alioqui Fulcit delicatum satis.

[o] *DII.* Orpheus apud Ouidium: O positi sub terra numina mundi, in quem recidimus quidquid mortale creatur.

[p] *IN NVMERVM.* Fauni ludunt in numerum Virgilio, hîc vulgus Auerni famulantur, sic ad symphoniam Carpus ille famulatur, apud Arbitrum.

[q] *VVLGVS.* Naso: Pérque vias vrbis, latósque vlulasse per agros deformes animas vulgus inane ferunt.

[r] *OPIBVS* auaris. In Culice: Non auidas agnouit opes. Cicero: Pluto ideò vocatur Dis, quod omnia & recidant in terras, & oriantur è terris.

[s] *FEROX.* Alij contra vet. scripturam Fero. At Scal. Senior τὸ Ferox non probat, sanè virgo ferox est apud Ouidium, & Iuuenilis ferocia dicitur Senecæ.

r *FLEXIT.* Hoc non improbo, at vetus libet: Vlsit vnde facilis coniectura τῷ Vlsit. Tibullus in hanc rem: Illius ex oculis, cùm vult exurere diuos, accendit geminas lampadas acer Amor. Sed infra dicet Claud. flexura chaos. Imò etiam: Vrere cuncta, nihil tamen mutandum censui, quia plenior est versus. Stat. Lampade parcentes & inani strinximus arcu.

v *LEGES.* Omnia, præter vnum, exemplaria habent: Fruges, sed statim subiungit Aristas quod idem est. Maroni dicitur Ceres legifera. Ad Parisios supra ædem D. Mariæ campestris simulachrum eius, aërium valdè, visitur; gerentis, ni me oculi fefellere, trutinam legum & iustitiæ symbolum, qualis est in nummo Diocletiani.

x *IRAS.* Hîc Amor & Ira in eandem personam concurrunt, neciam demiror illud Horatii: Feruens difficili bile tumet iecur; quamuis sit sedes libidinis, quo spectat illud satis concinnũ: Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras; Splen ridere facit, cogit amare iecur.

y *DVX* Erebi. Statius: Fortè sedens media regni infelicis in aula Dux Erebi.

z *MARITI.* Aliter habuit vetus liber nempe: Nudásque maritę, quasi Illecebræ & blanditiæ sint magis propriæ feminarum, vt infra Neptunum gremio complectitur Amphitrite, & in Opusculo de Magnete.

a *RELVCTATIS.* Id est, ausis reluctari.

b *ARCTO.* Pro Arctato, sic Statius: Angustam centeni Ægęonis vmbram i. Angustatam, seu constrictam non paruam, apud Terentium matres filias faciunt curatura iunceas.

c *VVLTV.* Non Fletu, neque enim flent facilè deæ inexorabiles, atque si Ouidio credimus ipsæ Furiæ tunc demum fleuere, cùm Orpheus miserabilis apud inferos vxorem repeteret.

d *FERO.* Non Ferox Lachesis, tangit enim Plutonis cum adoratione supplici genua.

e *ORTVS.* Vetus lectio, non Artus. Corporei ortus corpora nascentia designant. Virg. Rursus & incipient in corpora velle reuerti.

f *FOEDERA.* Optimè, non Prœlia, quamuis Statius ha-

beat: prælia fratrum, quod non est huius loci.

[g] *CONVERTE*. Id est Euerte. Tullius dixit eodem sensu: Conuersiones Rerumpub.

[h] *TITANIBVS*. Legimus sanè Angelos peccantes rudentibus inferni detractos in tartarum: vide Arnobium in illud: Sicut vnus è principibus cadetis. Homerus verò, ὑπὸ χθονός ἐστὶ βέρεθρον.

[i] *BELLA*. Sic habuit vet. manuscr. non Flare cupit dicet enim postmodò: Flamine rapturus, sanè Statius sæpè: Bella cupit. Ouidius de ventis: tanta est discordia fratrum, inde & Prœlia ventorum apud Virg. & Bella anni Lucretio. Hîc verò notabis aptissimam comparationem, cæterùm vt ait Aristoteles χαλεποὶ τῶν ἀδελφῶν πόλεμοι.

[k] *RAPTVRVS*. Simplex pro composito vt sæpè. Statius: lacerant caua nubila venti, diripiúntque fretum.

[l] *GALERO*. Mercurij petasum intellige, quo solis & siderum ardorem defendit, dum per aëra magnum remigat. Papinius Obnubitque comas & temperat astragalero. Augustus Cæsar (quem filium Maiæ seu Mercurium adpellat Horatius) solis ne hiberni quidem patiens fuit; domi quoque non nisi petasatus sub dio spaciabatur. Sed credo ita formę suæ indulsisse, quæ pulcherrima apparet in ipsius aureo numismate, quod inter alia innumera vidimus apud Cuiacium.

[m] *NIGRA*. Tenebræ sanè, ait Arnobius, non omnibus creaturis obscurum faciunt: siquidem feræ multæ & cattæ atque aues nullum patiútur noctium obscurum, neque nox rebus omnibus colorem adimit auctore Seruio & Academicis, vt ipse ait, nam & squamæ piscium noctu lucidæ, & quidam vermiculi.

[n] *NVBES*. Mens humana etiam (ait Symmachus) liquido die nitet, coacta nube flaccessit.

[o] *FAS*. Sic in v. cod. aliàs Ius quod non implet numerum. Fas itaque pro Iure fandi, seu copia hîc dici videtur. Sed Ausonius: Fas habet & patriam propter considere dextram.

[p] *I. CELERES*. Horatius: I. pete vnguentum. Aliàs I, celer & non malè, sed minore energia. Tib. I, puer & liquidum fortiùs adde merum.

ᵗ *TVLIT.* quidam exponunt Abstulit, ego Intulit vires, id est vim; vt sæpè apud poëtas, sic & Opes pro ope notaui non semel, nam Pluto habet vires, neque ei ablatæ, vt docet Statius: tumidús ne meas regnator olympi Explorat vires? Sed illud tulit non placet Scaligero sen. propter ambiguam notionem, atque ita hunc locum emendare voluit; Si nobis noxia sedem cũ cœlo Fors eripuit.

ᵘ *ROBVR.* Animi robur dixit Tullius, sed magis est fortè vt Ditis trabale sceptrum intelligas, vt infrà videris. At enim claua Herculis robur ab eodem dicitur.

ᵗ *TERTIA.* Vetus monimentum sic habet: Iuppiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto; Regna paterna tenent tres tria, quisque suum, sed enim tergeminus fuit Iupiter; quippe: Tonans, Marinus, Stygius: quæ vnio diuisionem non videbatur pati, Eustathius: Ζεὺς ὄνομα Διός, Ποσειδῶνος, καὶ Ἅδου.

ᵘ *SORTIS.* Olim magistratus sorte electi, & postea Ecclesiastici. Augustinus: Sors est res in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem. Sed hodieque in diuisione hæreditatis sors mittitur. Diana etiam Phœbi consors apud Ouid.

ᵛ *TIBI* tanta. Non vbi, quasi dicat: Tot arua genitalia tibi sũt exposita, vt vbiuis queas vomerem figere. Venustè verò Seneca ridet hunc sobolis propagatorem; quęrens cur post tot natos liberos sterilescat.

ˣ *QVIES.* Mauult esse Irrequies quàm Ἄγαμος, quanuis capistrum maritale non solum curis, sed & stultitiæ adscribatur, vnde ille. Grammaticus: Arma virúmque docens atque Arma virúmque peritus, non duxi vxorem sed magis arma domum. Verùm Græcus ita suadet Μὴ μείνῃς ἄγαμος· μή πως νώνυμος ὄληαι. dein subiungit τίκε δ' ἔμπαλιν quæ planè huic loco sunt consona. Pluto enim se Inglorium, id est νώνυμον queritur, quod sine vxore & liberis in aula sua desideat.

ʸ *FVLGIDVS.* sic v. liber, non Lucidus, quod verius puto propter lucem quæ suprà. Statius eodem sensu: Stygio prætexam Hyperiona cœlo. vide lib. viij. Theb. vnde plurima in vsum suum transmouet hic poëta.

ᶻ *QVÆ* tale. Propertius: Quæ viua sequatur Coniugium.

ᴬ *DIVERSO.* In diuersum ita vetus liber, aduerbii specie, vt

necessariò, voluntariò, eodem significatu dixit Ausonius: Videbis Aliò summæ istius transire rationé. Virgilius dixit: Huc illuc, & in partes varias versare animum. In alijs cod. Diuersos ducens. Ipsum te consule.

[a] *ÆTNÆÆ.* Sic omnino legendum ex veterum auctoritate, & scriptura, quidquid Lilius ambigat, vir quidē doctus, sed liberior impendio, vt patet ex vita Ausonij & huius poëtæ.

[c] *VITVLAM.* Hæc videtur satis humilis cōparatio, sed oppidò quàm venusta, neque sine Ouidij exemplo, de eadem re. vide 4. Hon. Cons. & Martialem.

[a] *COMMENDAT.* Hic versus abest à quodam libro, súntque hi tres dubiæ electionis, ego medium elegerim, si detur optio. In hanc verò sententiam dixit Tibullus: Heu cui mea pignora credo, sed idem contigit Ouidio quod huic poëtæ nostro, nam in met. de Apro quem occidit Meleager: Et setæ densis similes hastilibus horrent, stántque velut vallum, velut alta hastilia setæ.

[a] *SICVLÁ.* Vetus cod. ita præfert, non Siculas oras, nota est è Iure formula relegationis. Prouincia illa, Insulisque illis te relego.

[f] *TRINACRIA.* Ouidius de gigante cui Sicilia imposita est ita differit, vt dicat eius dextram Peloro premi, Pachyno læuam, pedes verò Lilybæo; è quibus elicitur figura illa triquetra △ cuius proportio hominem emendatę staturæ, manibus æqualiter extensis, iunctísque cruribus iacentem oculis subiicit. vide. B. Augustinum de mensura hominis.

[g] *PARVAQVE.* eleganter, nam & Iurisconsultus quasi continentem Italiæ facit Siciliam, hæc autem probat Scaliger: ita tamen vt amandet lectorem ad 3. Æn. vnde hæc, sed inferiore opera delineata pronuntiat.

[h] *DESPICIT.* Ibi Respuit, illic Respicit, sed malè, repetias idque contra v. cod.

[i] *DEDIGNATA* teneri. Vtraque dictio variat in antiquo libro, vbi ex Statio: Indignata moueri, quod non displicet.

[k] *TACITVRA.* Solus verborum sonitus (ait Scal. senior) inuitauit poëtam ad retentionem huius structurę, vsitatum est, tamen illud; Res ipsa loquitur.

l *DETRECTAT.* Hæc veritas manuscr. quæ partim ex Virg. partim ex Nasone elucet, si enim deiectaret onus tota Sicilia funditùs euerteretur, quare apud Statium: tentat Enceladus mutare latus. Sed motat tantùm, non mutat, vnde Ouid. Nititur ille quidem, tentátque resurgere sæpè.

m *VOMIT.* Mouet, perperam in excusis. Vomit nimbos. i. flammarum globos. Liquidus ignis dicitur Lucretio. Ignes irrigui C. Seuero.

n *FIDEM.* Hæc vocula poëtæ amica, ea verò nil aliud signat, quàm fœdus elementorum. Principia enim, ait ille: Confusio & amicitia. Scaliger S. tamen improbat; eo quod, inquit, nihil promisere ignes niui, vide huius totius loci censuram in Hypercritico.

o *QVÆ* Scopulos. Interrogatio Homerica seu Pindarica, eam verò expressere Horat. & Virg. qui de Camilla: Quem telo primum, quem postremum aspera virgo Deijcis? deinde narrat: Eunæum Clytio primum patre. Scaliger autem ait: Poëtam importunè quærere ex persona sua causam incendiorum, quid enim, inquit, nunc agat physicum? Si quem narrantem introduxisset, pateremur.

p *APERTIS.* Non Opertis. Seuerus in Ætna: Secta est omnis humus, penitúsque cauata latebris. Lucretio: ventigeni crateres.

q *SPIRIS.* Ita v. liber. hîc verò Scal. ait Cereris currum leuissimè ab Ouidio descriptum, cùm poëta noster ambitiosè feratur.

r *DECRESCIT.* Statiana locutio: Decrescit Bacchica Naxos Ante oculos crescente Samo.

s *CONDVNT.* Sic v. liber, non: Scindunt, quod est commentitium.

t *SALVE.* Thetis apud Statium: Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ, Depositúmque ingens timido commisimus astu, Sis felix taceásque precor.

v *SANGVINIS* gaudia. alibi dicet: Sanguinis affectum. Tribunianus. In hominum procreatione vtramque personam fungi simili naturæ officio denunciat, nota est sanguinis merces apud Iuuenalem.

x *AVGVSTA.* Sedes. Ouid. Templa vocant augusta patres. aliàs Angusta neque ideò minùs augusta, si modò, vt ait idem; Sacerdotum rite dicata manu.

y *SILEX.* de hoc vide Liuium, sic fortè apud Ouidium in tẽplo Dianæ Scythicæ vastis columnis insigni Stat basis orba Dea. vide etiam lib. 4. Fastorum: Mittuntur proceres: Phrygiæ tũc regna tenebat Attalus; Ausoniis rem negat ille viris, deinde: ipsa peti volui, nec sit mora: mitte volentem; Dignus Roma locus quò Deus omnis eat.

z *PINVS.* Sic apud Theocritum cupressi. Ἀλλήλαις λαλέοντι τέον γάμον αἱ κυπάρισσοι. Virg. Fortè sub arguta consederat ilice Daphnis, vbi Seruius optimè stridulam exponit: quod non capit Gif. vir subtilitatis haud plebeiæ. Olympius: Dic age, sed nobis ne vento garrula pinus obstrepat, has vlmos potius fagósque petamus.

a *CONTICVERE* chori. Statij hemystichium, insuper figura quæ vitij habet speciem, qua vsus Virg. & quam adfectauit Tibullus, teste Mureto, hanc duplicat Lucanus: Et Crœso fatalis Halys. Item Cicero in versu. At Claudianus: Conticuere chori, chorybas.

b *ENSEM.* Id est gladium siue cultrum. Iurisconsultos cùm non liceat alterum lædere, olim in corpus suum sæuire licitum est: Sed alia ratione.

c *NVDAT.* Sic in vet. codice, delicatè idquidem & latinè, cùm aliàs legatur, Monstrat aut Pandit. Seruius 6. Æn. Tegere est celare. Nudare est indicare.

d *INACCESSVM.* Recepta lectio, & quam vet. liber adgnoscit. Virg. Speluncam dixit Solis inaccessam radiis. In animis enim hominum si non speluncæ, tamen latebrę sunt & recessus, aliàs Inaccensum, quod non adeò vulgare est.

e *PRECEPS.* Poëticè id quidem sed pulchrè, mea sententia, ita enim sublimi aëris regioni adfixus est cometa, vt iamiam lapsurus videatur. Sed enim Scaliger hic: Non est pręceps cometa, neque delabitur, atque in iisdem hęret vestigiis Silius: Scintillat sidus, terrísque extrema minatur.

f *HOSTES.* Plinius ait Cometen esse cladium magnarum prænuntium: quod negatur, aliàs Nubibus ignes, ineptè prorsus.

G *FIRMATA*. Multo plenior, ac verior hęc est lectio vetus quàm Fundata, nam ingenio loci munita firmari queunt.

H *NOTIS*. Id est ventis fortè: vt sit species pro genere, nisi malis Indicia intelligi, vt Celsus: salutis & morbi notas. Terētius, Magnum argumentum est extra noxiam esse.

I *ANIMÆ*. Dici videntur quasi ἄνεμοι. Horatius; Impellunt animæ lintea. Virg. ventosis follibus auras Accipiunt reddúntque, sanè Anima follis dicitur Plauto, & Lucretio: Aurarum animæ.

K *FLVMINE* sic. v. cod. non Flamine. Virg. fluit æs riuis, aurique metallum, &: alij stridentia tingunt Æra lacu, id est flumine. Lucretius de ferro candente: Stridit vbi ingelidum properè demersimus imbrem.

L *FORNACE*. Ita v. liber, non Ceruice. Virgilius: Vulnificúsque chalybs vasta fornace liquescit.

M *ACV* Scaliger S. hic. Tela Proserpinæ cum Ouidio certat de rerum sedibus post primam confusionem.

N *LEGIT* flamma, sic v. liber, aliàs Egit nullo sensu. Ouidio: Ignea vis Emicuit, summáque locum sibi legit in arce, & in Fastis Cælum flamma petit; id est legit, seu Eligit, vel sortitur.

O *SVBTERCELANTIA*. Recepta lectio vno vet. codice subnixa, sed alter habuit; Iamiam curuantia, quod nō spreuerim libens quia libro 2. Curuata tumore Paruo planicies.

P *CONTRISTAT*. Vetus lectio. Horat. Contristat Aquarius annum, aliàs Constringit.

Q *SACRARIA*. In ora libri vet. Penetralia, sed minus verè. Cic. Euandro familiariter vtor, is habitat in sacrario, legimus in C. Theod. Sacrarium principis, & apud Auson. Sacrarium Imperialis oraculi. At Sacraria differunt à sacro loco vt colligitur ex Vlpiano, sed Ennius: Acherusia templa orsi salucte infera.

R *TINXERIT*. Sic opt. codex, alius Texuit ineptè, vt docetur ab Ouid. Aut quod, ne longis flauescere possit ab annis, Mæonis Assyrium fœmina tinxit ebur.

S *PLVTON*. Vltima littera non fuit adeò necessaria, vt in illo versu Virgilij: Odit & ipse pater Pluton, odere sorores. Sed

fortiùs cadit, est que magis rotondum. At Statius contra: stimulátque Agamemno volentes.

r *SUPERAS.* hęc vetus lectio, cum in aliis: Siculas oras nō malè, sed alterum retinui, quia Virgilius nostrum habitaculum Ætherem vocauit inferiorum comparatione. vide Ser.

v *PURPURA.* Pudorem innuit, simili figura dixit Papinianus quasdam vsuras non sine rubore peti.

x *NOTA.* Id est Π littera græca quæ Πλούτωνα indicat, didicimus autem, vel ex Anacreonte. Equos nobiles signum coxæ inustum habuisse. Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι Πυρὸς χάραγμ᾽ ἔχουσι. Vide & locum Parrhasij.

y *SPECTANTES.* Id est Exspectantes: neque enim spectare potuerunt terra nondum aperta, ac subtilissimus Scaliger quærit, vnde id scierint equi, hìc verò pausam fecit Claudianus dum excitaretur: exemplo Statij, qui Achilleida suam primis metis hęrere siuit: vt ipse loquitur.

PRÆFATIO
LIBER II.

OTIA sopitis ageret cùm cantibus Orpheus,
Neglectumq; diu seposuisset opus:
Lugebant erepta sibi solatia nymphę,
Lugebant dulces flumina mœsta modos.
Sæua feris natura redit; metuénsque leonum
Implorat cithara vacca tacentis opem.
Illius, a eduri fleuere silentia montes,
Syluáque Bistoniam sæpe secuta chelym.
Sed postquam Inachijs Alcides missus ab Argis
Thracia pacifero contigit arua pede,

Diráque sanguinei vertit præsepia regis,
Et Diomedeos [a] gramine pauit equos:
Tum patria festo lætatus tempore vates
Desuetæ repetit fila canora lyræ:
Et resides leni modulatus pectine neruos,
Pollice festiuo nobile duxit ebur.
Vix auditus erat, venti sternuntur, & vndæ,
Pigrior [c] astrictis torpuit Hebrus aquis:
Porrexit Rhodope sitientes carmina montes:
Excussit gelidas pronior Ossa niues.
Ardua nudato descendit populus Æmo,
Et comitem quercum pinus amica trahit;
Cyrrhæásque dei quamuis despexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit?
Securum blandi leporem fouêre molossi,
Vicinúmque lupo præbuit agna latus:
Concordes varia ludunt cum tigride damæ,
Massylam cerui non timuere iubam.
Ille nouercales stimulos actúsque canebat
Herculis, & forti monstra subacta manu?
Qui timidæ matri pressos ostenderit angues,
Intrepidúsque fero riserit ore puer:
Te neque Dictæas quatiens mugitibus vrbes
Taurus, non Stygij terruit ira canis?
Non [D] leo sidereos cæli rediturus ad axes,
Non Erymanthei gloria montis aper;
Soluis [E] Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu
Appetis, occiduo ducis ab orbe greges.
Tergeminique ducis numerosos deijcis artus,

Et toties vno victor ab hoste redis:
Non cadere Antæo, non crescere profuit Hydræ.
Non ceruam volucres eripuere pedes?
Caci flamma perit, rubuit Busiride Nilus
Prostratis rubuit nubigenis Pholoë?
Te Libyci timuere sinus, te maximus Atlas
Horruit, imposito cùm premerere polo:
Firmior Herculea mundus ceruice pependit,
Lustrarunt humeros Phœbus, & astra tuos.
Thracius hæc vates, sed tu Tirynthius alter
Florentine mihi? nam mea plectra moues:
Antráque Musarum longo torpentia somno
Excutis, & placito ducis ab ore sonos.

S.T. CLAVERII.
NNOTATIONES IN
PRÆFATIONEM LIB. II.
PROSERPINÆ.

æfatio hæc ſcripta eſt ad Florentinum, virum pacis belliqúe artibus nobilem, vt diſcimus ex Epiſtolis Symmachi, & C. Th. Fuit verò Præfectus vrbi Anno 397. Cæſario & Attico conſulibus; quo tēporè videtur poëta opus intermiſſum ipſius hortatu perſecutus eſſe.

E*DVRI* Sic v. liber: aliàs & duri, non adeò verè.

GRAMINE. Vetus hæc eſt lectio, non ſanguine, nam de didicere carnium humanarū eſum obiectu graminis, ab Hercule abducti, atque, vt ait Stat. ſentit equus dominum; quod facit vt Diomedis ſanguinem non depaſti videantur.

ADFECTIS. Eleganter meo iudicio ex v. cod. non Adſtrictis quia Torpuit ſufficere videtur. Cic. ſe variè adfectum dicit.

LEO. rediturus. Hic locus non vulgaris, de quo videas licet Parrhaſium. Infra ſanè dixit cuncta animalia lunari globo ſubiecta, & in laud. Herculis: Taurus medio ſidere lunæ editus eſt. At quidam vir doctus Rediturum dicit putat pro Iturum, vt ſit compoſitum proſimplici, ſic apud Statium Regemunt pro Gemunt, & alia multa, quod eſſet Satis planum, nemo enim ignorat ſidus Leonis Herculei, tu conſidera.

SOLVIS. Ita v. codex, idque, ni fallor, iam coniecerat nobiliſſimus Delrius.

PLACITO. Liber antiquus ita exhibet, alij Placido, vel Placidos, quod non Placet nam indicat Florentinum à ſe, qui antea libro primo placuerit, alios libros elicere, vel efflagitare.

CL. CLAUDIANI
DE RAPTU PROSERPINÆ.

LIBER II.

IMPULIT Ionios præmisso lumine fluctus
Nondum pura dies; tremulis vibratur in undis
Ardor, & errantes ludunt per cœrula flammæ.
Iámque audax animi, fidaque oblita parentis
Fraude Dionæa riguos Proserpina saltus
Sic Parcæ [B] voluere petit: ter cardine verso
Præsagæ [C] cecinere fores, ter conscia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Aetna.
Nullis illa tamen monstris, nullóque mouetur
Prodigio: comites gressum iunxere sorores.
Prima dolo gaudens, & tanti [D] callida voti
It Venus, & raptus metitur corde futuros:
Iam durum flexura Chaos, iam Dite subacto,
Ingenti famulos manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis variatur in orbes
Idalia diuisus acu? sudata marito
Fibula, purpureos gemma suspendit amictus.
Candida Parthasij post hanc regina Lycæi,

Pandionias quæ cuspide protegit arces,
traque virgo ruunt? hæc tristibus aspera bellis,
: metuenda feris. Tritonia casside fulua
latum Typhona gerit, qui [f] summá peremptus
a parte viget, moriens & parte superstes;
stáque terribilisurgens per nubila [g] gyro
nstar habet syluæ? tantùm stridentia colla
rgonis obtentu pallæ fulgentis [i] inumbrat.
At Triuiæ lenis species, & multus in ore
ater erat; Phœbíque genas, & lumina Phœbi
se putes, solúsque dabat discrimina [k] sexus:
rachia nuda nitent? leuibus proiecerat auris
ndociles errare comas, arcúque remisso
cia neruus agit, pendent post terga sagittæ,
Crispatur gemino vestis Cortynia cinctu
Poplite fusa tenus; motóque in stamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua ponto:
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina passu,
Nec membris, nec honore minor, potuitque videri
Pallas, si clypeum ferret: si spicula, Phœbe.
Collectæ tereti nodantur Iaspide vestes?
Pectinis ingenio nunquam felicior arti
Contigit euentus; nulli sic consona telæ
Fila, nec in tantum veri duxere figuram.
Hic Hyperionio Solem de semine nasci
Fecerat, & pariter Lunam, sed dispare forma:
Auroræ noctísque duces; cunabula Thetys
Præbet, & infantes gremio solatur anhelos,
Cæruleúsque sinus roseis radiatur alumnis:

Inualidum dextro portat Titana lacerto
Nondum l ce grauem, nec pubescentibus altè
Cristatum radijs; primo clementior æuo
Fingitur, & tenerum vagitu despuit ignem
Læua arte soror vitreli ibamina potat
Uberis, & paruo signantur tempora cornu.
Tali luxuriat cultu, comitantur euntem
Naiades, & socia stipant vtrinque corona,
Quæ fontes [L] Crimnisc tuos, & saxa rotantem
Pantagiam, noménque Gelan qui præbuit vrbi,
Concelebrant; quas pigra vado Camarina palustri
Quas Arethusæi latices, quas aduena nutrit
Alphæus; Cyane totum supereminet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exultat [M] ademptis
Pulchra cohors, quoties Arcton populata virago
Hypolyte, niueas ducit post prælia turmas:
Seu flauos strauere Getas, seu fortè rigentem
[N] *Thermodoontiaca Tanain fregere securi.*
Aut quales referunt Baccho solennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit, ripásque paternas
Percurrunt auro madidæ; lætatur in antro
Amnis, & vndatem declinat prodigus vrnam.
Uiderat herboso sacrum de vertice vulgus
[O] *Aetna parens florum, curuáque in valle sedentem*
Compellat Zephyrum, Pater ô gratissime veris,
Qui mea lasciuo regnas per prata volatu,
Semper, & assiduis irroras flatibus annum,
Respice Nympharum cœtus, & celsa Tonantis
Germina, per nostros dignantia ludere campos:
Nunc adsis, faueasque precor; nunc omnia fœtu

Pubes-

Pubescant virgulta velis, vt fertilis Hybla
Inuideat, vincíque suos non abnuat hortos.
Quicquid turiferis spirat Panchaïa syluis,
[P] *Quicquid odoratus longè blanditur Hydaspes,*
Quicquid ab extremis ales longæua colonis
Colligit, [Q] *optati referens exordia secli,*
In venas disperge meas, & flamine largo
Rura foue, vt merear diuino pollice carpi,
Et nostris cupiant ornari numina sertis.
Dixerat ille nouo [R] *madidantes nectare pennas*
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat,
Quáque volat, vernus sequitur color, omnis in herbas
Turget humus, medióque patent conuexa sereno,
Sanguineo splendore [S] *rosas, vaccinia nigro*
Imbuit, & dulci violas ferrugine pingit
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales iunctura sinus? quæ vellera tantum
Ditibus Assyrij spumis fuscantur aheni?
Non tales [T] *volucer pandit Iunonius* [V] *alas:*
Nec sic innumeros arcu mutante colores,
Incipiens redimitur hyems, cùm tramite flexo
Semita discretis interuiret humida nimbis
Forma loci superat flores, curuata tumore
Paruo planicies, & mollibus edita cliuis
Creuerat in collem, niueo de pumice fontes
Roscida mobilibus lambebant gramina riuis.
[X] *Syluáque torrentes ramorum frigore soles*
Temperat, & medio brumam sibi vendicat æstu.
Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Ioui, tumulos tectura cupressus,

Ilex plena fauis, venturi præscia laurus
Fluctuat, hinc denso crispata cacumine buxus;
Hîc hederæ serpunt, hîc pampinus induit vlmos.
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis, admittit in altum
Cernentes oculos, & latè peruius humor
Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus,
Imáque perspicui prodit secreta profundi.
Huc elapsa cohors gaudet per florea rura,
Hortatur Cytherea legant: nunc ite sorores,
Dum matutinis [y] præsudat solibus aër
Dum meus humectat flauentes Lucifer agros,
Roranti prouectus equo. Sic fata, [z] doloris
Carpit signa sui, varios tum cætera saltus
Inuasere cohors, credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cùm cerea reges
Castra mouent, fagíque caua demissus ab aluo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.
Pratorum spoliatur honos, hæc lilia fuscis
Intexit violis, hanc mollis amaracus ornat,
Hæc graditur stellata rosis, hæc alba ligustris,
Te quoque flebilibus mœrens Hyacinthe figuris,
Narcissúmque metunt: tunc inclita germina veris,
Præstantes olim pueros, tu natus Amyclis,
Hunc Helicon genuit, te disci perculit error,
Hunc fontis decepit amor, te fronte [a] retusa
Delius; hunc fracta Cephisus arundine luget.
Æstuat ante alias auido feruore legendi
Frugiferæ spes vna Deæ, nunc vimine texto

Ridentes calathos folijs agrestibus implet,
Nunc sociat flores, seséque ignara coronat:
Augurium fatale tori; quippe ipsa tubarum,
Armorumque potens, dextram qua fortia turbat
Agmina, qua stabiles portas & mœnia vellit,
Jam leuibus laxat studijs, hastámque reponit,
Insolitísque docet galeam mitescere sertis;
Ferratus lasciuit apex, horrórque recessit
Martius, & cristæ placato fulgure vernant.
Nec quæ Parthenium canibus scrutatur odoris
Aspernata choros, libertatémque comarum
Iniecta voluit tandem frænare corona.
Talia virgineo passim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronáque vibratis radicibus oppida verti,
Causa latet, dubios agnouit sola tumultus
Diua Paphi, mixtóque metu perterrita gaudet.
Iámque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, grauibúsque gementem
Enceladum calcabat equis, immania findunt
Membra rotæ, pressáque [b] gigas ceruice laborat
Sicaniam cum Dite ferens, tentátque moueri
Debilis, & fessis serpentibus impedit axem,
Fumida sulfureo prolabitur orbita dorso.
Ac velut occultus securum prodit in hostem
Miles & effossi subter fundamina campi,
[c] Transilit elusos arcano limite muros,
Turbáque deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros. sic tertius hæres
Saturni tenebrosa vagis rimatur habenis

Deuia, fraternum cupiens exire sub orbem.
Ianua nulla patet, prohibebant vndique rupes
Oppositæ, duráque Deum compage tenebant.
Non tulit ille moras, indignatúsque trabali
Saxa ferit sceptro, Siculæ sonuere cauernæ,
Turbatur Lipare, stupuit fornace relicta
Mulciber, & trepidus deiecit fulmina Cyclops,
Audijt, & si quem glacies Alpina coercet,
Et qui te latis nondum præcincte trophæis
Tybri natat, missámque Pado qui remigat Alnum.
[D] *Sic cùm Thessaliam scopulis inclusa teneret*
Peneo stagnante palus, & mersa negaret
Arua coli, trifida Neptunus cuspide montes
Impulit aduersos, tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractóque meatu,
Redduntur fluuijque mari, tellúsque colonis.
Postquam victa manu duros Trinacria nexus
Soluit, & immenso latè discessit [c] hiatu,
Apparet subitus cœlo timor, astra viarum
Mutauere fidem, vetito se proluit Arctos
Aequore, præcipitat pigrum formido Booten.
Horruit Orion, audito palluit Atlas
Hinnitu, rutilos obscurat anhelitus axes
Discolor, & longa solitos caligine pasci
Terruit orbis equos: pressis hæsere lupatis:
Attoniti meliore polo, rursúsque verendum
In Chaos obliquo certant temone reuerti.
Mox vbi pulsato senserunt verbera tergo,
Et solem didicere pati, torrentius amne

Hyberno, tortáque ruunt pernicius hasta.
Quantum non iaculum [F] *Parthi, non impetus Austri,*
Non leue sollicitæ mentis discurrit [G] *acumen.*
Sanguine fræna calent, corrumpit spiritus auras
Letifer, infectæ spumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt Nymphæ, rapitur Proserpina curru,
Implorátque Deas, iam Gorgonis ora reuelat
Pallas, & intento festinat Delia cornu.
Nec patruo cedunt, stimulat communis in arma
Virginitas, criménque feri raptoris acerbat.
Ille velut stabuli decus, armentíque iuuencam
Cùm leo possedit, nudatáque pectora fodit
Unguibus, & rabiem totos exegit in armos:
Stat crassa turpis sanie, nodósque iubarum
Excutit, & viles pastorum despicit iras:
Ignaui domitor vulgi, teterrime fratrum,
Pallas ait, quæ te stimulis facibúsque prophanis
Eumenides mouere? tua cur sede relicta
Audes Tartareis cælum incestare quadrigis;
Sunt tibi deformes Diræ, sunt altera Lethes
Numina, sunt tristes Furiæ te coniuge dignæ:
Fratris linque domos, alienam desere sortem.
Nocte tua contentus abi, quid viua sepultis
Admisces? nostrum quid proteris aduena mundum?
Talia vociferans, auidos transire minaci
Cornipedes vmbone ferit, clypeíque retardat
Obice, Gorgoneísque premens assibilat hydris
[H] *Pretentásque aperit cristas, libratur in ictum*
Fraxinus, & nigros illuminat obuia currus
Missáque penè foret, ni Iuppiter æthere summo

Pacificas rubri torsisset [l] fulminis alas,
Confessus [k] generum: nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & testes firmant connubia [l] flammæ.
Inuitæ cessere Deæ, compescuit arcum
Cum gemitu, talésque dedit Latonia voces:
Sis memor, ô longúmque vale, reuerentia patris
Obstitit auxilio, nec nos defendere contrà
Possumus, imperio vinci [m] maiore fatemur.
In te coniurat genitor, populóque silenti
Traderis, heu [n] cupidas non aspectura sorores.
Æqualésque choros, quæ te fortuna supernis
Abstulit, & tanto damnauit sidere luctu?
Iam neque Parthenijs innectere retia lustris,
Nec pharetram gestare libet, securus vbique
Spumet aper, sæuíque fremant impune leones:
Te iuga Taygeti, posito te Mænala flebunt
Venatu, mœstóque diu lugebere Cyntho.
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.
Interea volucri fertur Proserpina curru
Cæsariem diffusa noto, planctúque lacertos
Verberat, & quæstus ad nubila fundit inanes:
Cur non torsisti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela pater? sic me crudelibus vmbris
Tradere? sic toto placuit depellere mundo?
Nulláne te flectit pietas? [o] nihilúmne paternæ
Mentis inest? tantas quo crimine mouimus iras?
Non ego cùm rapido sæuiret Phlegra tumultu
Signa Deis aduersa tuli, non robore nostro
Ossa pruinosum vexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas, aut cuius conscia culpæ,

ul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
Fortunatas, alij quascunque tulere
ptores, saltem communi sole fruuntur.
d mihi virginitas, pariter cœlúmque negatur,
ipitur cum sole pudor, terrísque relictis
felix [P] Stygio ducor captiua tyranno.
male dilecti flores, despectáque matris
onsilia, ô Veneris deprensæ serius artes.
Mater iô, seu te Phrygijs in vallibus Idæ
Mygdonio buxus circunsonat horrida cantu,
eu tu sanguineis vlulantia Dindyma Gallis
ncolis, & strictos Curetum despicis enses,
Exitio succurre meo, compesce furentem,
Comprime ferales torui prædonis habenas.
Talibus ille ferox dictis, fletúque decoro
Vincitur, & primi suspiria sentit amoris.
Tunc ferrugineo [Q] lacrymas detersit amictu,
Et placida mœstum solatur voce dolorem:
Desine funestis animum Proserpina curis,
Et vano vexare metu, maiora dabuntur
Sceptra, nec indigni tædas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Seruit, & immensum tendit per inane potestas:
Amissum [R] ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alij, lumenque videbis
Purius, Elysiósque magis mirabere campos,
Cultorésque pios: illic preciosior ætas,
Aurea progenies habitat, sempérque tenemus,
Quod superi meruere semel: nec mollia desunt
Prata tibi, Zephyris illic melioribus halant

Perpetui flores, quos nec tua protulit Ætna.
Est etiam lucis arbor prædiues Auerni
Fulgentes viridi ramos curuata metallo,
Hæc tibi sacra datur, fortunatúmque tenebis
Autumnum, & fuluis semper ditabere pomis.
Parua loquor, quicquid liquidus complectitur aër
Quicquid alit tellus, quicquid [s] salis æquora verrunt,
Quod fluuij voluunt, quod nutriuere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari subiecta globo, qui septimus auras
Ambit, & æternis mortalia separat astris.
Sub tua purpurei venient vestigia Reges
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat. tu damnatura nocentes,
Tu requiem latura pijs, te iudice sontes
Improba cogentur vitæ commissa fateri.
Accipe Letheo famulas cum gurgite Parcas.
Sit [t] factum quodcúnque velis, hæc fatus, ouantes
Exhortatur equos, & Tænara mitior intrat.
Conueniunt animæ, quantas truculentior Auster
Decutit [v] arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas,
Cunctáque præcipiti stipantur Tartara cursu,
Insignem visura nurum, mox ipse serenus
Ingreditur facili passus mollescere risu.
Dissimilisque sui dominis intrantibus ingens
Assurgit Phlegethon, flagrantibus hispida riuis
Barba madet, totóque fluunt incendia vultu.
Occurrunt propere lecta de plebe ministri.
Pars altos reuocant currus, frænísque solutis

Vertunt

Vertunt emeritos ad pascua nota iugales.
Pars aulæa tenent, alij prætexere [x] *ramis*
Limina, & in thalamis cultas extendere vestes.
Reginam casto cinxerunt agmine matres
Elysiæ, teneróque leuant sermone [y] *doloris*
Et sparsos religant crines, & vultibus addunt
Flammea sollicitum præuelatura pudorem.
Pallida lætatur regio, gentésque sepultæ
Luxuriant: epulisque vacant genialibus vmbræ.
Grata coronati peragunt conuiuia manes.
Rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus.
Sedantur gemitus Erebi. se sponte relaxat
Squalor: & æternam patitur [z] *rarescere noctem.*
Vrna nec incertas versat Minoïa sortes.
Verbera nulla sonant: nullóque frementia luctu
Impia dilatis respirant Tartara pœnis.
Non rota suspensum præceps Ixiona torquet
Non aqua Tantalicis subducitur inuida labris.
Soluitur Ixion: inuenit Tantalus vndas.
Et Tityus tandem spatiosos erigit artus,
Squalentisque nouem detexit iugera campi,
Tantus erat, laterisq́; piger sulcator opaci,
Inuitus trahitur lasso de pectore vultur,
Abreptásque dolet iam non sibi crescere fibras.
Oblitæ scelerum formidatiq́; furoris
Eumenides, cratera parant: & vina feroci
Crine bibunt, flexisq́; minis iam lene canentes
Extendunt socios ad pocula plena Cerastas:
Ac festas alio succendunt lumine tædas.
Tunc & pestiferi pacatum limen Auerni

F

Innocuæ [A] transistis aues: flatúmque repressit
Amsanctus; tacuit fixo torrente vorago:
Tunc Acherontæos mutato gurgite fontes
Lacte nouo tumuisse ferunt, hederisq; virentem
Cocyton dulci perhibent stagnasse lyæo.
Stamina non rumpit Lachesis: nec turbida sacris
Obstrepitant lamenta choris: mors nulla vagatur
In terris, nullique rogum planxere parentes.
Nauita non moritur fluctu: non cuspide miles:
Oppida funerei pollent immunia Lethi.
Impexosque [B] senex velauit arundine crines
Portitor: & vacuos egit cum carmine remos.
Iam suus inferno processerat Hesperus orbi,
Ducitur in thalamum virgo, stat Pronuba iuxtà
Stellantes Nox picta sinus, tangénsque cubile
Omina perpetuo genialia fœdere sanxit.
Exultant [D] cum voce [C] pij, Ditisque sub aula
Talia peruigili dicunt exordia plausu:
Nostra parens Iuno, túque ô germane Tonantis,
Et gener; vnanimis consortia ducite somni,
Mutuáque alternis innectite colla lacertis.
Iam felix oritur proles, iam læta futuros
Expectat natura Deos: noua numina rebus
Addite, & optatos Cereri proferte nepotes.

ANNOTATIONES IN LIB. I. PROSERPINÆ.

^a IMPVLIT. Hoc verbi figuratè sumitur, sic Ouid. Flāma nitore suo templorum verberat aurum, & tremulum celsa spargit in æde iubar. Lucretius etiam dixit radiorum verbera, & tela diei, sed quia æquora noctu dicuntur etiam quiescere 4. Æneidos, illud impulit pro Excitauit accipias licet.

^b VOLVERE. Tribus aut quatuor Syllabis; nil interest. Virg. Sic voluere Parcas. Horat, sic dij voluere, sed voluere Parcarum est, alias: Iussere non improbè.

^c CECINERE. Id est sonuere. In Ciri: Sonitum nam fecerat illi Marmoreo æratus stridens in limine cardo.

^d CALLIDA VOTI. Sic v. libet, non: Conscia furti, suprà dixit de Proserpina iam nubili: mistâque tremit formidine votum, inde votorum festinatio.

^e VTRAQVE. Diodorus libro 5. vt monuit Scaliger magnus, ait Dianam Mineruam & Proserpinam socias in Sicilia flores legisse, atque ex iis vestem Ioui texuisse, sed huius loci ratio à me deprehensa lib. 3. nempe eiusmodi comites Veneri additas, ne suspecta foret. Statius Achil. 1. Quales Siculæ sub rupibus Ætnæ, Naiadas Enneas inter Diana feróxque Pallas.

^f SVMMA. Hæc vox aduerbii vice est. Sic apud Horat. Cætera fuluus. Æn. 3. de Scylla prima hominis facies τὰ πρῶτα ἀνθρώπος, postrema prestis τὰ ἔσχατα πρήστις. Eodem modo Alciatus accipit versum Val. Flacci Prima Deum magnis canimus freta peruia ventis: quod tamen examina, quidam verò adprimè doctus hoc Summa quasi ablatiuum accipit, simili errore cum Tyb. Donato qui musis iratis dixit: ille triumphata capitolia ad altâ Corintho.

^g GYRO. Sic v. liber, cum in aliis Ferro. Gyrus autem hic est rotunditas. Ausonius: Per teretes feminum gyros, id est quasi benè tornatos: vt sunt iaculi & hastæ.

^h INSTAR siluæ. Hyperbole, tale fuit Æneæ saxum, sic & Auson. Nec præter dominum vibrabilis ornus Achilly, mira etiam referunt de arcu Vlyssis, vide hastam bellorum arbitri 2. in Eutropium.

[l] *INVMBRAT.* Sic v. cod. non Obumbrat. Virg. Obtenta frondis inumbrant.

[k] *SEXVS.* In eiusmodi formæ descriptione oblectarunt se poëtæ; sed palmam tulit Ausonius vno disticho, quod à mortali factum negabat Auratus. Id tale est: Dum dubitat natura marem faceret'ne puellam: factus es ô pulcher pœne puella puer, in quam sententiam proferebat aliud Petronio adscriptum: Seu puerum vidi formosum siue puellam Formosam; sit vter sexus enim dubito: Inter vtrumque decus formæ dubitare coactus, contra grammaticos ne faciam vereor. Sin pulcer, seu pulcra mihi dicatur & etrem, Musa Solœcismi nostra futura rea est, quę sanè ipsi poëtæ regio tribuerim libentiùs.

[l] *CRIMNISE.* Sic. v. liber. Brodæi coniectura Amazene, aliàs Erasine. Sed Crimnisus est fluuius Siciliæ, quod bene habet.

[m] *ADEMPTIS.* Vetus lectio quam Statius defendit: cùm Scythicas rapuere domos, & capta Getarum Agmina suppositis epulantur Amazones armis, quæ imitatur Cl. Sed hæc dictio non placet Scal. S. quare de suo sic emendat: Qualis Amazonidum positis agit agmina peltis pulchra cohors.

[n] *THERMODONTIACA.* Sex syllabis non septem, Prop. Et tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ, Sidonius: Thermodontiacas calere turmas.

[o] *ÆTNA.* Sunt qui malint Enna, quæ pars Ætnæ subiecta, quod non probabis si textum perpendas. Ennæ verò descriptio est apud Cic. Act. in Verrem. Sed Ausonius: Qualis floricoma quondam populator in Ætna, quæ hanc vet. lectionem fulciunt.

[p] *QVIDQVID.* Phœnicis comparatio valdè amica fuit huic poëtæ, déque aue illa singulare carmen edidit, & fortè Lactantius.

[q] *OPTATI.* Ita vet. liber, cùm in altero legatur: Optato repetens exordia busto, & verò idem in Phœnice: Incendia poscit, sed prior lectio est amœnior; atque ita fortè Secla ferarum dixit Lucretius.

[r] *MADIDANTES.* Hæc est vetus lectio, quam quasi ream peregrinitatis agit Censor maximus: qui libentiùs Manantes legeret, licet minus impleat numerū. At enim Latitans pro

latente, & Viridans pro virente efferunt Lucr. Virg. & Plinius.

[s] *ROSAS.* Vide fabellam satis iucundam, quam delineat Aphthonius: at quæ nimiùm arrisit Politiano.

[t] *VOLVCER.* Veterem hanc lectioné à grammatista aliquo reiectam indignè tuli, quamuis non ignorem illud Ouidii: Laudatas homini volucris Iunonia pennas Explicat. Itaque Volucer Iunonius est Pauo. vt apud Lucanum volucer Iouis Aquila est.

ALAS. Hîc verò alę pro pennis quę in canda paui, sic in Eutrop. Roseis pauonum ventilat alis, sed & cauda remigat, & alarum officio fungitur.

[v] *FORMA.* Huius comp. tale est Scaligeri magni iudicium, vt poëta noster sit multo compositior Ouidio, minúsque laxus, neque enim solum, inquit, prata floribus, sed flores ipsos pingit coloribus fabularum: itaque & in illis pictior phrasis.

[x] *SILVAQVE.* Tullius auctor est circa Ennam lacus & Lucos esse plurimos, denique Ennam esse in loco edito quo agri planicies æquata est, vbi aquę perennes. Niceph. pro paradiso videtur figuratè vsurpare.

[y] *PRÆSVDAT.* Non hîc sumendus calor, qui sudorem eliciat, sed quasi pręludia sideris vnici: ita vt verè sudum non sit: sed frigidula aurorę nascentis temperies, sic apud Statium pręsudat Achilles. & Theb. vi. Ludum quo martia belli Pręsudare paret, seséque accendere virtus.

[z] *DOLORIS.* Mirum non est tantam fuisse olim Politiani auctoritatem, vt libri excusi ferè omnes eius coniecturam pręferant: fuit enim sui sęculi princeps, idem notauit Muretus de Oarione. At siquis Lucretium gręculi Marulli consideret non mirari solùm, sed misereri occipiet: Hîc verò Cruoris legi volebat Angelus ex Aph. Sophista, cùm non de rosa, sed de Anemone agatur.

[a] *RETVSA.* Sic in v. cod. verè meo iudicio, alii Recussa nō adeo male. Virg. vteróque recusso. Ouidius de eodem puero: Dura repercusso subiecit in aëre tellus in vult[*], Hyacinthe, tuos.

[b] *GIGAS.* Alij cod. Graui, contra manuscr. codicem, ídque ineptè.

[c] *TRANSILIT.* Hic versus elegans, sed cui nociua fuerit

quorundam imperitia, cum ea sit vetus lectio. Transilit clusos arcano limite muros. aliàs: Trāsiliit clusos arcano limine muros.

[b] *SIC CVM.* Stagnauit olim Thessalia (vt ait Strabo) sed post terrę motum abrupti montes, atque datus aquis exitus. At Diodorus & Seneca id Herculi, non etiam Neptuno tribuūt.

[c] *HIATV.* Cicero ait circa Ennam speluncam tradi infinita altitudine, ad Aquilonem conuersam, qua Ditem ferunt cum curru ascendisse, ita vt subitò, non longè à Syracusis sub terras penetrarit.

[d] *PARTHI.* Prudentius: Parthica non æquè ventos transcurrit arundo. Lucretius veruti cursum dixit.

[e] *ACVMEN.* Mentis equum, & mentis alas habent philosophi. Animi celeritas ab Ausonio etiam prædicatur, an verò ad Iram hoc pertinet? Idem Claud. Pro telo geritur quidquid suggesserit ira. Apud Hom. sunt ἔπεα πτερόεντα. Ennius dixit: Vagore volanti, ab Ausonio celebratur sermonis nostri properatio, quæ omnia sunt valdè subtilia.

[f] *PRÆTENTAS.* Sic in v. libro, pulchrè autem alludit opinor, ad cohortis auem, quæ ad pugnam se erigens cristas videtur aperire, nisi hæc de cristis serpentum qui in Gorgone.

[g] *FVLMINIS.* Hæc est vetus lectio, hactenus luminis, perperam, vt patet ex aliis auctoribus, & numis antiquis vbi fulmen alatum.

[h] *GENERVM.* Id malui ex v. cod. quàm Socerum. Nec alia ratione venus confessa deam apud Virg. quàm quòd mortales visus induerat. Sed hîc non se videndum prębuit Iuppiter.

[i] *FLAMMÆ.* Ignis iugalis Statii designatur. Ouid. cum faciunt iustos ignis & vnda viros.

[k] *MAIORE.* Hîc planè comperio θεοῦ βίαν, quæ maior quàm cui resisti possit, quinetiam locus Columellæ hunc raptum satis (licet alia de re) repræsentat: Cæli vìs maior aut prædonis incessit: sic Iuppiter cæli vice, Pluto vice prædonis est. fuit sanè olim, post ludos Romuli, raptus & rapina in vsu. Prop. Nec mea de sterili facta rapina domo: quasi Cornelia à Paulo vi abducta sit.

[l] *CVPIDAS.* Vet. lectio. Alii cupias nullo sensu. In Ciri: Et

cupidas secum rapiens Galatea sorores.

[a] *NIHILUM NE.* Sic v. liber. Alii nullum, non benè.

[b] *INFELIX.* Hæc epitheti (si fas) geminatio vsitata est Ho. & Virgilio, tamen Scaliger minùs probat, at supplices miseros habet Albius. Sed veriùs est captiua substantiuum, nisi me animus fallit. Alij Seruitium, & Seruitum, quod non reperi in manuscr.

[c] *LACRIMAS.* Hîc Plutonem flere demiror, sed hæ sunt Quasi-lacrimæ vt Iurisperitus aliquis dicat. Ouidius præclarè Dixit, & vt-lacrimæ, nec enim lacrimare deorum est, Decidit in tepidos lucida gutta sinus.

[d] *AMISSUM.* In his versibus amœnitatem singularem notat Scal. quam sanè Virgilio partim acceptam ferimus.

[e] *SALIS* æquora. Sic habet v. cod. quod vena Maronis dignum est. Æn. 3. Et salis Ausonii lustrandum nauibus æquor. Aliàs legitur: Maris.

[f] *SIT FACTUM.* Ita vet. liber, & Mirandulæ excerpta, nã apud deos dictum ac factum eiusdem momenti est. Seruius in illud Iouis ad Iunonem: Do quod vis; Bene præsenti vsus est, inquit, nam promissio numinis pro facto est. Alii: Fatum, vel, Sitque ratum; quibus sua non deest ratio.

[g] *DECUTIT.* Hæc comparatio, vel auctore Scaligero, fluxit è sexto Æneidos vbi: Quàm multa in siluis autumni frigore primo lapsa cadunt folia.

[h] *RAMIS.* Stat. obtendunt limina ramis, vide Lucianum, & Palladii Epith.

[i] *DOLORIS.* Ita vet. codex, fortè pro Dolores. At leuare doloris defendi potest. Virg. etiam dixit, vt Claudianus noster: Lætus laborum. Sed magis ad rem dixit Horatius græca ratione: Abstineto irarum & Desine querelarum, & Apuleius: Recreabar animi. Si tamen mauis Dolores nil repugno. Statius: Exhaustus sermone dolor.

[k] *RARESCERE.* Aliàs Clarescere, sed apud Maronem: Rarescunt claustra Pelori, & alibi: Crebescunt optatæ auræ.

[l] *INNOCUÆ.* Eleganter, sic Bel. Get. Nauis Innocua id est Illæsa, apud Tacitum Ignarus pro Ignoto.

[a] *IMPEXOS.* Hæc ſanè vet. ſcriptura, quam reiicere non potui licet ſpecioſior ſit in altero codice; Implexa, & Frontem, non Impexos crines. At Virgil. de eodem: Canicies inculta iacet, niſi propter nuptias quis velit ei artificium adſtruere.

[c] *OMINA.* Sic. v. liber. Alii ineptè: Omnia genitalia, ſed & ipſe Cuiacius in ora codicis excuſi idem notauit, quare non fallebatur doctiſſim. Canterus, qui ita legendum eſſe cenſuerat.

[a] *CVM VOCE.* Hæc vetus lectio, at in altero codice legi; Proferre quod mirabar primo intuitu. Sed P. Pithœus vir ſanæ mentis, clari iudicii, ac ſermonis puri, ſiquis alius in Europa, mihi ſcrupulum ademit, ex Optato: apud quem noua nupta, cùm ad mariti domum peruentum erat[c] in altum tollitur vt ne limen contingat, atque inuita virginitatem amittere videatur. Sed illud: Cum voce mihi retinendum fuit propter conſenſum plurium: quæ locutio recepta eſt; nam & ſuprà dixit cum carmine. Quaſi non ſatis fuerit vmbris exultare, niſi & linguis faueant. in hanc rem Virgilius: Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt. Ouid. Nunc dicenda bono ſunt bona verba die. Mart. Salutauit voce manúque Deum.

[c] *PII.* Felices intellige, vnde Ouidius de Tibullo: Auxiſti numeros culte Tibulle pios. C. Seuerus: Sed veris ceſſere domus & iura piorum, ver enim æternum fingitur in Elyſio.

CL. CLAV-

CL. CLAVDIANI
DE RAPTV PROSERPINÆ.

LIBER III.

IVPITER interea cinctā Thaumantida nimbis
Ire iubet, totoque deos accersere mundo.
Illa colorato Zephyros [B] inlapsa volatu
Numina conclamat pelagi, Nymphásque morantes
Increpat, & fluuios humentibus euocat antris.
Ancipites trepidíque ruunt, quæ causa quietos
Excierit; tanto quæ res agitanda tumultu.
Vt patuit stellata domus, considere iussi.
Nec confusus honor; cælestibus ordine sedes
Prima datur; tractum proceres tenuere secundum
Aequorei, placidus Nereus, & lucida Phorci
Canicies, Glaucum series extrema biformem
Accipit, & certo mansurum Protea vultu.
Nec non & senibus fluuiis concessa sedendi
Gloria: plebeio stat cætera more iuuentus,
Mille amnes liquidis incumbunt patribus, vnde
Naiades, & taciti mirantur [D] numina Fauni.
Tum grauis ex alto genitor sic orsus olympo est:

Abduxere [E] meas iterum mortalia curas
Iam pridem neglecta mihi, Saturnia postquam
Otia, & ignaui senium cognouimus æui,
Sopitósque diu populos torpore paterno
Sollicitæ placuit stimulos impellere vitę,
Incultis ne sponte seges [F] grandesceret aruis,
Vndaret neu sylua fauis, neu vina tumerent
Fontibus, & totę [G] fremerent in pocula ripę.
Haud equidem inuideo (nec enim liuescere fas est,
Vel nocuisse deos) sed quòd dissuasor honesti
Luxus, & humanas [H] oblimat copia mentes,
Prouocet vt segnes animos, rerúmque remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas.
Vtq; artes pariat solertia, nutriat vsus,
Nunc mihi cum magnis instat Natura querelis
Humanum releuare genus, dirúmque tyrannum,
Immitémque vocat, regnatáque secula patri
Commemorat, parcúmque Iouem se diuite clamat:
Cur campos horrere situ? dumísque repleri
Rura velim, & nullis exornem fructibus annum?
Se iam quæ genitrix mortalibus antè fuisset
In diræ subitò mores transisse nouercę.
Quid mentem traxisse polo? quid profuit altum
Erexisse caput? pecudum si more pererrant
Auia, si frangunt communia pabula glandes,
Hęccine vita iuuat syluestribus abdita lustris
Indiscreta feris: tales cùm sæpe parentis
Pertulerim questus, tandem clementior orbi
Chaonio statui gentes auertere victu.
Atque ideò Cererem, quæ nunc ignara malorum

Verberat Idæos torua cum matre leones,
Per mare, per terras auido discurrere luctu
Decretum, donec natæ lætata repertę
Indicio tribuat fruges, currúsque feratur
Nubibus, ignotas populis sparsurus aristas.
Et iuga cærulei subeant Actæa dracones.
Quòd si quis Cereri raptorem prodere diuûm
Audeat, imperij molem, pacémque profundam
Obtestor rerum, natus licet ille, sorórue
Vel coniunx, fuerit, natarúmue agminis vna,
Se licet [K] *illa meo conceptam vertice iactet,*
Sentiet iratam procul ægida, sentiet ictum
Fulminis, & genitum diuina sorte pigebit,
Optabítque mori: tunc vulnere languidus ipsi
Tradetur genero, [L] *passurus prodita regna,*
Et sciet, an propriæ conspirent Tartara causæ,
Hoc sanctum; mansura fluant hoc ordine fata.
Dixit, & horrendo concussit sidera motu.
At procul armisoni Cererem sub rupibus antri
Securam placidámque diu iam certa peracti
Terrebant simulachra mali, noctésque timorem
Ingeminant, omnìque perit Proserpina somno.
Namque modò immissis inuadi viscera telis,
Nunc sibi mutatas horret nigrescere vestes.
Nunc steriles medijs frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus; virgineos olim quæ fronde pudica
Vmbrabat thalamos, hanc ima stirpe recisam
Vidit, & incomptos fœdari puluere ramos,
Quærentiq; nefas, Dryades dixere gementes

Tartarea Furias debellauisse bipenni.
Sed tunc ipsa sui, iam non ambagibus vllis,
Nuntia materno facies inserta sopori.
Namque videbatur tenebroso obtecta recessu
Carceris, & sæuis Proserpina vincta catenis.
Non qualem Siculis olim mandauerat aruis,
Non qualem roseis nuper conuallibus Aetnæ
Suspexere deæ, squalebat pulchrior auro
Cæsaries, & nox oculorum infecerat ignes,
Exhaustúsque gelu pallet rubor: ille superbi
Flammeus oris honos. & non cessura pruinis
Membra colorantur picei caligine regni.
Ergo hanc vt dubio vix tandem agnoscere vultu
Eualuit, cuius tot pœnæ criminis inquit?
Vnde hæc informis macies? cui tanta potestas
In me sæuitiæ est? rigidi cur vincula ferri
Vix aptanda feris molles meruere lacerti?
Tu mea tu proles? an vana fallimur vmbra?
Illa refert. Heu dira parens, nataque peremptæ
Immemor, heu fuluas animo transgressa leænas.
Tantáne te nostri tenuere obliuia? tantum
Vnica despicior! certè Proserpina nomen
Dulce tibi, tali quæ nunc, vt cernis, hiatu
Supplicijs inclusa [M] feror, tu sæua choreis
Indulges. Phrygiásque etiamnum interstrepis vrbes.
Quòd si non omnem pepulisti pectore matrem,
Si tu nota me Ceres, & [N] te non Caspia tigris
Edidit, his oro miseram defende catenis,
Inque superna refer: prohibent si fata reuerti,
Vel saltem visura veni. Sic fata, trementes

ndere conatur palmas, vis improba ferri
pedit, & motæ somnum excussere catenæ.
riguit visis, gaudet non vera fuisse.
mplexu caruisse dolet, penetralibus amens
osilit, & tali compellat voce Cybelem:
Iam non vlteriùs Phrygia tellure morabor
ancta parens, reuocat tandem custodia chari
Pignoris, & cunctis obiecti fraudibus anni.
Non mihi Cyclopum quamuis extructa caminis
Culmina fida satis, timeo ne fama latebras
Prodiderit. leuiùsque meum Trinacria celet
Depositum. terret nimium vulgata locorum
Nobilitas, aliis sedes obscurior oris
Exquirenda mihi: gemitu flammísque propinquis
Enceladi nequeunt vmbracula nostra taceri.
Somnia quinetiam variis infausta figuris
Sæpe monent, nullúsque dies non triste minatur
Augurium, quoties flauentia serta comarum
Sponte cadunt, quoties exudat ab vbere sanguis,
Larga vel inuito prorumpunt flumina vultu,
Iniussæque manus ° mirantia pectora tundunt.
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt,
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt.
Ah vereor ne quid portendant omina veri.
Heu longæ nocuere moræ. procul irrita venti
Dicta ferant. Subicit Cybele. Non tanta Tonanti
Segnities, vt non pro pignore fulmina mittat:
I tamen, & nullo turbata reuertere casu.
Hæc vbi, digreditur templis (sed nulla ruenti
Mobilitas) tardos queritur non ire iugales

Immeritásque mouens alterno verbere pinnas
Sicaniam quærit, cùm necdum abſconderit Idam.
Cuncta pauet, ſperatq; nihil. Sic æſtuat ales,
Quæ teneros humili fœtus commiſerit orno,
Allatura cibos, & plurima cogitat abſens:
Ne gracilem ventus diſcuſſerit arbore nidum:
Ne furtum pateant homini, neu præda colubris.
Vt domus excubijs incuſtodita remotis
Et reſupinati neglecto cardine poſtes,
Flebilis & tacitæ ſpecies apparuit aulæ,
Non expectata reſpectu cladis, amictus
Conſcidit, & fractas cum crine auellit ariſtas.
Hæſerunt lacrymæ, nec vox, aut ſpiritus oris
Redditur; atque imis vibrat tremor oſſa medullis.
Succidui titubant greſſus, foribúſque recluſis,
Dum vacuas ſedes, & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas,
Atque interceptas agnoſcit pectinis artes.
Diuinus perit ille labor, ſpatiúmque relictum,
Audax ſacrilego ſupplebat aranea textu.
Nec deflet, plangitque malum, tamen oſcula telæ
Figit, & abrumpit mutas in fila querelas,
Attritóſque manu radios, proiectáque penſa,
Cunctáque virgineo ſparſa oblectamina ludo,
Ceu natam preſſat gremio, carúmque cubile,
Deſertóſque toros, & ſicubi ſederat olim
Perlegit. Attonitus ſtabulo ceu paſtor inani,
Quem lupus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infeſtauere cateruæ.
Serus at ille redit, vaſtatáque paſcua luſtrans

responsuros ciet, implorátque iuuencos.
e ibi secreta tectorum in parte iacentem
it Electram, natę quæ sedula nutrix
ui priscas inter notissima Nymphas.
Cereri pietas, hæc post cunabula dulci
sinu summóque Ioui deducere paruam
rat, & genibus ludentem aptare paternis,
comes, hæc custos, hæc proxima mater haberi.
laceras effusa comas, & [R] puluere cano
la sidereæ raptus lugebat alumnæ.
aggressa Ceres postquam suspiria tandem
uit, frenósque dolor. Quod cernimus, inquit,
ium? cui præda feror? regnátne maritus?
œlum Titanes habent? quæ talia viuo
Tonante manus? rupitne Typhœia ceruix
nen? [S] fractáne iugi compage Vesæui
neus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?
ina mihi quassatis faucibus Ætna
lit Enceladum? nostros an forte penates
it centum Briareia turba lacertis?
bi nunc est nata mihi, quò mille ministræ?
Cyane, volucres quæ vis Sirenas abegit?
e vestra fides, sic fas aliena tueri
a, Contremuit nutrix, mœrórque timori
& aspectus miseræ non ferre parentis
m morte velit, longúmque immota moratur
m [T] dubium, certúmque expromere funus.
men hæc: Acies vtinam vesana Gigantum
ederit cladem. (leuiùs communia tangunt)
æ, multóque minus, quod rere, sorores

In nostras nimium coniurauere ruinas.
Insidias superûm, cognatáque vulnera cernis
Inuidiæ Phlegra nobis incensior æther.
Florebat tranquilla domus, nec lumina virgo
Linquere, nec virides audebat visere saltus,
Præceptis obstricta tuis, telæ labor illi
Sirenes requies, sermonum gratia mecum,
Mecum somnus erat, castáque per atria ludi.
Cùm subito (dubium quoniam monstrant: latebras
Prascierit) Cytherea venit, suspectáque nobis
Ne foret, huic Phœben comites, hinc Pallada iunxit.
Protinus effuso lætam se fingere risu,
Nec semel amplecti, noménque iterare sororis,
Et dura de matre queri, quæ tale recessu
Maluerit damnare decus, vetitámque dearum
Colloquio, patrijs procul v amandauerit astris:
Nostra rudis gaudere malis, & nectare largo
Instaurare dapes; nunc arma habitúmque Dianæ
Induitur, digitísque attentat mollibus arcum:
Nunc crinita iubis galeam, laudante Minerua
Implet, & ingentem clypeum gestare laborat
Prima Venus campos, Aetnæáque rura maligno
Ingerit affatu, vicinos callida flores
Ingeminat, meritúmque loci velut inscia quærit.
Nec credit quod bruma rosas innoxia seruet,
Quòd gelidi rubeant alieno gramine menses
Verna nec iratum rimeant virgulta Bootem.
Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi
Persuadet teneris, heu lubrica moribus ætas:
Quos ego nequicquam planctus? quas irrita fudi

Ore

reces? ruit illa tamen, confisa sororum
dio, famulæ longo pòst ordine Nymphæ.
ur, in æterno vestitos gramine campos
ima sub luce legunt, cùm rore serenus
[x] ager, sparsósque bibunt violaria succos,
ostquam medio [y] sol altior astitit orbe,
olum nox alta rapit, tremefactáque nutat
a cornipedum strepitu pulsúque rotarum,
nec aurigam licuit: seu mortifer [z] æstus
ors ipsa fuit, liuor peruenit in herbas,
iunt riui, squalent rubigine [a] prata,
il à flatu viuit: pallere ligustra,
are rosas, decrescere lilia vidi.
uco reduces tractu detorsit habenas,
sua prosequitur currum, lux redditur orbi:
phone [b] nulla est voto rediere peracto,
ansere deæ: medijs inuenimus aruis
imem Cyanen, ceruix redimita iacebat
ligantes marcebant fronte coronæ.
redimur subitò & casus [c] scitamur heriles,
n propior cladi steterat) quis vultus equorum?
egat? illa nihil, tacito sed læsa veneno
ur in laticem, subrepsit crinibus humor;
ur, in rorémque pedes, & brachia manant,
áque mox lambit vestigia perspicuus fons.
dunt aliæ, rapidis Acheloïdes alis
æ, Siculi latus obsedere Pelori.
sæque malo iam non impune canoras
em vertere lyras, vox blanda carinas
; audito frænantur carmine remi.

H

Sola domi luctu senium tractura relinquor.
Hæret adhuc suspensa Ceres, & singula demens,
Ceu nondum transacta timet, mox lumina torquens
Multùm [E] *ad cœlicolas furiato pectore fertur:*
Arduus Hyrcana quatitur sic [F] *matre Niphates,*
Cuius Achæmenio regi ludibria natos
Auexit [G] *tremebundus* [H] *eques: fremit illa marito*
Mobilior. zephyro totamque virentibus iram
Dispersit [I] *maculis,* [K] *iamiamque hausura profundo*
Ore [L] *virum* [M], *vitreæ tardatur imagine formæ.*
Haud aliter toto genitrix bacchatur olympo,
[N] *Reddite, vociferans, non me vagus edidit amnis,*
Non Dryadum de plebe sumus, turrita Cybelle
Me quoque Saturno genuit. quò iura deorum?
Quò leges cecidere poli? quid viuere rectè
Proderit? en audet noti Cytherea pudoris
Ostentare suos post Lemnia vincula vultus
Hos animos bonus ille sopor? castúmque cubile
Præbuit? amplexus hoc promeruere pudici?
Nec mirum. si turpe nihil post talia ducit.
Quid nos expertes thalami? tantúmne relictus
Virginitatis honos? tantum mutata voluntas?
Iam Veneri, & socijs iunctæ raptoribus itis
O templis Scythiæ, atque hominem sitientibus aris
Vtraque digna coli, tanti quæ causa furoris?
Quam mea vel dicto tenui Proserpina læsit.
Scilicet aut charis pepulit te Delia syluis,
Aut tibi commissas rapuit Tritonia pugnas.
An grauis alloquio? vestros an forte petebat
Importuna choros: atqui Trinacria longè

et ne vobis oneri) deserta colebat.
d latuisse iuuat? rabiem liuoris acerbi
a ptest placare dies. hic increpat omnes
bus, ast illæ (prohibet reuerentia patris)
reticent, aut nosse negant, responsáque matri
t lachrymas. Quid agat? rursus se victa remittit
e humiles demissa preces, Ignoscite siquid
nuit pietas, si quid flagrantius actum est,
m decuit miseram, supplex[o] deiectáque vestris
oluor genibus, [p] liceat cognoscere sortem.
antum, liceat certos habuisse dolores.
peto quæ forma mali, quancunque dedistis
nam; si rapta feram: fatúmque putabo,
celus, aspectum precor indulgete parenti.
repetam quæsita manu; securus habeto
uis es, [x] affirmo [q] prædam, desiste vereri.
si vos aliquo præuenit munere raptor,
tè Latona refer, confessa Diana
ibi, nosti quid sit Lucina, timórque
nitis, & quantus amor, partúsque tulisti
inos, hæc vna mihi. sic crine fruaris
r Apollineo: sic me felicior æuum
r agas. largis tunc imbribus ora madescunt
tantum est dignum fleri, dignúmque taceri?
bi, discedunt omnes, quid vana moratis
us? non bella palàm cœlestia sentis
otius natam pelago, terrísque requiris?
ar lustrare diem, per deuia rerum
sa ferar, nulla cessabitur hora.
quies, non somnus erit, dum pignus ademptum

Inueniam, gremio quamuis mergatur Iberæ
Thetyos, & rubro iaceat [s] *vallata profundo.*
Non Rheni glacies, non me Rhi[illegible] hæa tenebunt
Frigora, non dubio Syrtis cunctabitur æstu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæque niualem
Vestigare domum: primo calcabitur Atlas
Occasu, facibúsque meis lucebit Hydaspes
Impius errantem videat per rura, per vrbes
Iuppiter, extincta satietur pellice Iuno.
Insultate mihi, cælo regnate superbi,
Ducite præclarum Cereris de stirpe triumphum.
Sic fatur, notæque iugis illabitur Aetnæ
Noctiuago tædas inflammatura labori.

Lucus erat prope flumen [T] *Acym, quod candida præfert*
Sæpe mari, pulchròque secat Galatea natatu.
Densus, & innexis Aetnæa cacumina ramis,
Quà licet vsque tegens: illic posuisse cruentam,
Ægida, captiuámque pater post prælia prædam
Aduexisse [v] *datur. Phlegræis sylua superbit*
Exuuijs, totúmque nemus victoria vestit.
Hîc patuli rictus, hîc prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudelè minantur
Affixæ facies truncis, immaniaque ossa
Serpentum passim tumulis exanguibus albent,
Et rigidæ multo [x] *suspirant fulmine pelles,*
Nulláque non magni iactat se nominis arbor.
Hæc centum geminis strictos Aegæonis enses
Curuata vix [y] *fronde leuat: liuentibus illa*
Exultat [z] *Zancli spolijs, hæc arma* [A] *minantis*
Sustinet, hos onerat ramos exutus Ophion:

or & cunctis abies vmbrosáque latè
us Enceladi fumantia gestat opima,
mi terrigenûm regis, caderétque grauata
dere, ni lapsum fulciret proxima quercus.
timor [C]. numénque loco nemorísque senectæ
citur, æthereis que nefas nocuisse trophæis.
cere nullus oues, nec robora lædere Cyclops
det, & ipse fugit sacra Polyphemus ab vmbra.
tamen hoc tardata Ceres, accenditur vltrò
gione loci, vibrátque incerta securim.
um etiam [B] petitura Iouem, succidere pinus,
agis enodes properat prosternere cedros.
lorátque habiles truncos, rectíque tenorem
tis, & certo prætentat brachia nixu.
ui vecturus longinqua per æquora merces
litur tellure ratem, vitámque procellis
ctare parat, fagos metitur, & alnos,
arium rudibus syluis accommodat vsum:
longa est timidis præbebit cornua velis,
fortis, clauo potior, quæ lenta, fauebit
igio, stagni patiens aptanda carinæ.
bant geminæ capita inuiolata [D] cupressus
ite vicino, quales non rupibus Idæ
itur Simois, quales non diuite ripa
bit Apollinei nemoris nutritor Orontes:
anas adeò credas, sic frondibus æquis
ant, & socio despectant vertice lucum.
acuere faces; pernix inuadit vtranque
a sinus, exerta manus, armata bipenni,
násque ferit, totísque obnixa trementes

Viribus impellit, pariter traxere ruinam,
Et pariter posuere comas, campóque recumbunt
Faunorum Dryadúmque dolor? complectitur ambas
Sicut erat, altéque leuat, retróque solutis
Crinibus ascendit fastigia montis anheli,
Exuperátque æstus, & nulli peruia saxa,
Atque indignantes vestigia calcat arenas. [E]

Qualis pestiferas animare ad criminâ taxos
Torua Megæra ruit, Cadmi seu mœnia poscat,
Siue Thyestæis properet sæuire Mycenis.
Dant tenebræ manésque locum, plantísque resultant
Tartara ferratis, donec Phlegethontis in vnda
Constitit, & plenos accepit lampade fluctus,
Postquam [F] *est peruentum scopuli flagrantis* [G] *in ora,*
Protinus arsuras auersa fronte cupressus
Faucibus iniecit mediis, latéque cauernas
Texit, & vndantem flammarum obstruxit hiat
Compresso mons igne tonat, clausúsque laborat
Mulciber, obducti nequeunt exire vapores,
Coniferi micuere apices, creuítque fauillis
Aetna nouis, strident admisso sulphure rami.
Tum ne deficerent tantis erroribus ignes
Semper in occiduos insopitósque manere
Iussit, & arcano perfudit robora succo,
Quo Phaëthon irrorat equos, quo luna [H] *iuuencas.*
Iámque soporiferas nocturna silentia terris
Explicuere vices? laniato pectore longas
Inchoat illa vias, & sic ingressa profatur:

Non tales gestare tibi Proserpina tædas
Sperabam? sed vota mihi communia matrum

halami, festæque faces, cœlóque canendus
e oculos Hymenæus erat. sic numina fatis
uimur, & Lachesis nullo discrimine sæuit.
m nuper sublimis eram? quantísque procorum
ebar studijs? quæ non mihi pignus ob vnum
bat numerosa parens? tu prima voluptas,
ostrema mihi; per te fœcunda videbar.
us, ô requies, ô grata superbia matris,
gessi florente deam, qua sospite nunquam
ior Iunone fui: nunc squalida, vilis.
placitum patri: cur autem ascribimus illum
crymis, ego te (fateor) crudelis [1] ademi.
e deserui solam, quæ instantibus vltro
bus exposui, raucis secura fruebar
rum Thyasis, & læta sonantibus armis
bam Phrygios, cùm tu raperere, leones.
quas merui pœnas: en ora fathiscunt
ibus, grandésque rubent in pectore sulci:
nor en vterus crebro contunditur ictu.
parte poli? quo te sub cardine quæram?
nonstrator erit? quæ me vestigia ducent?
rrus? ferus ille quis est terrę ne marísne
? quæ volucrum deprændam signa rotarum?
quocúnque pedes [x] quocúnque iubebit
ic Venerem quærat deserta Dione.
étne labor? rursus te nata licebit
cti? manet ille decor, manet ille genarum
an infelix talem fortasse videbo,
octe venis, qualem per somnia vidi?
prima gressus molitur ab Ætna,

Exitijq; reos flores ipsúmque rapinæ
Detestata locum, sequitur dispersa viarum
Indicia, & pleno rimatur lumine campos,
Inclinátque faces, omnis madet orbita fletu,
Omnibus admugit, quacúnque it in aëra syluis
Annatat vmbra fretis, extremáque lucis imago
Italiam Libyámque ferit, clarescit Etruscum
Littus, & accenso resplendent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit, canibúsque reductis
Pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat.

LIB. III. DE RAPTV PROSERPINÆ FINIS.

ST. CLAVERII.
ANNOTATIONES IN
LIB. III. PROSERPINÆ.

Hìc imperiti homines ausi erant Præfationem inserere ex manuscripto quidem, sed non ideò probæ fidei. Sanè indignor eo nomine Plantinianis editionibus & vni Lugdunensi; At Gryphius & Beringi ab hac labe sunt immunes.

^ IVPPITER. Hòc initium quantum licet coniectura assequi visum est Scaligero Sen. censuræ obnoxium. Ego rem totam oculis subiicere non grauabor. Solent enim tales argutiæ eruditorum animos quadam voluptate afficere: veniant ergo in mediū sublimia Scaligeri: Iuppiter intereà variis Thaumantida nimbis Præcinctam ire iubet, totóque arcessere mundo Numina: quæque polum radiantibus incita flammis, Quæque orbis medias sedes, insanáque ponti Murmura et immotæ mode-

tæ moderantur pondera terræ. Quæ profectò sonora & planè heroïca, sed confer obsecro cum Claudiani versibus.

[a] *INLAPSA.* Sic in vet. Cod, aliàs, Transgressa, non malè. Sed enim Virgilius me securum facit, qui lib. 4. Æn. Vade age, nate, voca Zephyros & labere pennis: & sequentia, vnde colligitur Flamine portari Mercurium siue æquora suprà, seu terras, vt loquitur poëta.

[b] *UNDE.* Sic vet. Cod. aliàs Vdæ, quod & agnoscit Scal. dixit verò Ouidius: Nàmque senex Proteus Thetidi prædixerat vdæ. Sed si liquidæ partes sunt decliues, & infra magnorum deorum consessum positæ, non dubito quin Vndæ prçualeat, itaque reijcere nolui.

[c] *NUMINA* Per excellentiá, vt poëta pro Homero. Sunt enim & Fauni numina, sed rustica, seu plebs deorum, aliàs sidera. Cæterùm in hoc diuorum Concilio dignitatum ordo peritè ac legitimè videtur seruari, ita vt inferiores suspiciant prçsidatu inclitos, dicas profectò magnam Curiæ Galliarum sedem hîc delineari.

[d] *ABDUXERE.* Id est, A curis cælestibus ad mortalia rursus attrahor.

[e] *GRANDESCERET.* Sic apud Plinium frumẽta grandescunt, aliàs Granesceret, quod est minùs tritum.

[f] *FREMERENT.* Hęc satis inflata videantur alicui, sed poëtæ non deest ratio, suprà dixit, tumere vina, figuram igitur huc vsque voluit producere, néque Fluerent ab eo scriptum mihi quis facilè persuaserit: negat enim vetus membrana.

[g] *OBLIMAT.* Sic optimè in v. Cod. Sublimare est contrarium Ennio. Idem igitur valet quod Deprimit, seu affigit humo, aliàs, Excæcat, non adeo verè.

[h] *NOVERCÆ.* Hesiodium illud est, de die quæ modò μητὴρ modò μητρυιή.

[i] *SE LICET.* Aliàs Scilicet, contra mãnuscr.

[k] *PASSURUS.* Id est luiturus, Horat. Quidquid delirant reges plectuntur Achiui, eadem structura.

[l] *FEROR.* Quibusdam hæc, licet vetus, lectio visa est aut minùs Latina, aut certè frigidior, atque in aliis Trahor & Teror,

ego textui adſentio. Simplex enim pro compoſito; vt ſæpe notamus, ſic Terentius explicat: Differor doloribus.

[n] *ET ME.* Sic in vet. libro, variat enim pulchriùs hæc Virgiliana imitatio, neque ſe poëtæ adeo ſeruili nexu obligant, vt non ſuo iure vti liceat.

[o] *MIRANTIA.* Vet. lectio non reproba, quamuis etiam legatur Mærentia, ſed minùs argutè, mæſtum quidem pectus dici queat, at animas miratur qui fiat vt manus, ſe inconſulto, vel inopino, pectus concutiant.

[p] *ABSCONDERIT.* Sic in vet. libro. Aliàs: Liquerit, Nec deſcenderit: totidem ferè coniecturis; illud verò Abſconderit figuratum, ſic apud Virgilium: terræque vrbéſque recedunt; ſic quaſi diceret, ſe abſcondunt, vel oculos effugiunt, quî enim Idam aſcendat Ceres, cùm iam ex Idæ faſtigio euaſerit. Ouidius de Matre Deum: In Idæo eſt inueniendaiugo, verum Idæ inſunt etiam minora iuga, & Gargara, quæ quaſi χάρᾳ χάρας: quod innuit Claud. ſupra, cùm ſtatuit Cererem ſub rupibus antri, & lib. 2. in Eutr. Cybelen in ſecretis partibus Idæ collocat, vnde coniicio Aſcenderit, quod eſt in altero codice, non eſſe à fide veti alienum nimis.

[q] *SIC ÆSTVAT.* Hæc mellita comparatio repertorem agnoſcit Papinium ſatis manifeſtè, ea talis eſt: Qualis vicino volucris iam ſedula partu, Iámque timens qua fronde domum ſuſpendat inanem, Prouidet hinc ventos, hinc anxia cogitat imbres, hinc homines.

[r] *PVLVERE CANO.* Sic in vet. cod. Superiùs dixerat de curru Cereris: cano rota puluere labens, in cod. Gryphij tum laceras effuſa comas (vel genas) & puluere canos Sordida, vnde non improba ſtructura elici queat. Martialis: cana putríſque coma.

[s] *INARIMEN.* Antiquiores videntur legiſſe apud Homerum Il. B. γαῖαν Εἰναρίμης, non Εἰν Ἀρίμοις, quis enim ignorantiæ, aut oſcitantiæ arguat diuinos illos muſarum interpretes ſic fortè παναθλεῖαια & παναχαιοὶ ex duabus dictionibu in vnam coaluere, ſanè Maximus Pl. natione græcus expreſsè agnouit Εἰναρίμην ac Plinius ita ſcripſiſſe Homerum pronuntiat, quicquid Euſtathius, & Aldus voluerint, neque tamen Ἀρίμα ab aliis dicta negare licet.

[t] *AVCTOREM.* hic versus aberat à vet. codice, an obliuione librarij? an verò alterius exempl. fide? vix sanè percipio, neque plus ei tribuo, quàm illi qui Statio increpsit: donec in angustam ceciderunt vndique vallem: sed prodeunt fortè ex eadem officina.

[v] *AMENDAVERIT.* sic in vet. codice, sed non melioris notæ nam in altero absentauerit, eadem forma qua præsentare Fabius & Plinius dixerunt, quare non video cur facilè mutari debeat aut ingrata sit legenti.

[x] *ALBET.* Sic vet. liber. aliàs Alget. Horatius: Nec prata canis albicant pruinis.

[y] *SOL ALTIOR.* adstitit. Sic in opt. exemplari eodem labdacismo, vt ita dicam, vsus est Lucr. Sol altè lampade surgens.

[z] *ÆSTVS.* In vet. libro, mortifer estus, aliàs Mortifer ille nescio quid simile apud Lucretium legi, & sanè Mortiferum æstum reperies, idem est opinor, quod pestilitas.

[a] *PRATA.* Lucr. Finibus Cecropiis funestos reddidit agros, Vastauítque vias.

[b] *NVLLA.* Sic in v. cod eleganter. Sic enim loquitur Terentius, aliàs Nusquam.

[c] *SCITAMVR.* Sic opt. liber. Magnam verò huic loco inflixit plagam vel scriptorum incuria, aut perfidia, dum ab ijs prima huius verbi syllaba corripitur, nam inuenias vbique ferè: Casúsque Scitamur heriles, at virg. Suspensi Eurypilum scitatum oracula Phœbi. Aliàs etiam, scrutamur, sed falsò.

[d] *VENENO*, dictio hæc mediæ significationis, ita vt addi oporteat sit ne bonum an malum, quare Bello Gild. Noxia venena dixit; sed hîc non opus fuit. Cæterùm notus est Homeri versus à iurisc. citatus. At Ausonius: Separet hæc si quis, faciunt discreta venenum; Antidotum sumet qui sociata bibet. Ergo φάρμακα μεμιγμένα sunt sępiùs salutaria, quem tamen locum viri magni longè secus accipiunt.

[e] *MVLTVM.* ad. Sic v. liber, alij vltrò. Et verò Seneca: Vltrò adfero res multùm cogitatas.

[f] *MATRE.* Id est tigride, hæc comparatio fluxit è Thebaïde: Qualis vbi audito venantũ murmure tigris Horruit in maculas:

G *AVEXIT*. Sic habet, manuscr, non Aduexit.

H *EQVES*. Põp. Mela: Eques vbi interceptos catulos cœpit auehere (agnoscis verba Claudiani) astu vnum omittit: hęc proiectum ad cubilia refert: rursum & sæpiùs id fit; donec profugus raptor euadat, vnde Martialis: Raptor in Hyrcano qui fugit albus equo. Albus verò idem quod tremebundus, vt loquitur Cl.

I *MACVLIS*. Satyricus: Parcit cognatis maculis fera, & tigris maculosa: vt etiam docuit suprà Stat. caue ergo retia interpreteris.

K *IAMIAMQVE* hausura. Rectè & eleganter ex v. codice & Statio, aliàs inoleuerat: Nimiúmque haustura. Virg. Iam iamqúe manu tenet, & supplicia hausurum scopulis.

L *VIRVM*. Statius de tigride. Spirantem fert ore virum, huius verò animalis tanta est pernicitas, vt ex Zephyro marito concipere dicatur: vt equę Hispanę, oua etiam huic vento tributa. ζεφύρια ὠά. Aristoteli, at verò ζέφυρος γενετὴρ Oppiano dicitur, vnde Lucr. genitabilis aura Fauoni.

M *VITREÆ*. Melæ interpres hæc scitè explicat ex B. Ambrosio, ita vt sit orbis vitreus, seu speculum, quod moretur oculos tigridis elusæ vano adspectu, vel præ admiratione, nam & cõsulere speculum apud Gallos Mirari est, vt apud Albinouanum. Firmare oculos, idem quod Claudere.

N *REDDITE*. Vox iuri accommoda, apud Ouidium puellæ clamant in foro Redde meum, deinde illud: Reddite depositum, nec te celabo diuinum Cuiacium dicere solitum circa hæc duo vocabula: Meum & tuum, versari hodie ciuilẽ prudentiã.

O *DEIECTAQVE*. Ita vet. liber, Inuitus propè feci vt, Miseranda, excluderem, quia Ouid. Sis miser & nulli miserabilis, sed Deiecta magis quadrat, neque hîc Miseranda tantum habet gratiæ, quia non sequitur euestigiò Miseram.

P *LICEAT*. Thetis apud Statium: sit fas pro nato timuisse mihi, sed non parili sensu.

Q *ADFIRMO*. Vlpiano: Affirmator quasi fideiussor est, cùm idoneum tutorem dixit, hîc verò Ceres adfirmat prædam, ita vt idoneũ raptorẽ præstet. Ouidius: Decepit idoneus auctor.

A *QVID TANTVM EST*. Hunc versum non habuit

vetus liber, nihilóque melior est, aut maioris momenti, eiusdem fatinç est ille in fine Statij. Aura silet, puppis currens ad littora venit, non tamen reieci, vt vides.

VALLATA. Sic in opt. cod. Silius: Insula fluctiuago circumuallata profundo, aliàs velata, quod nimis exile.

ACIN. Huius nominis prima vbique producitur apud latinos, de Græcis nil mirer, quia vocalis anceps, eorúmque leges minùs seuerę. Idem Syphacis pænultimam corripit, hæc imitari quidem licet, sed sub conditione, at in vetustiss. codice, qui nomē Saletani prætulit, vix est vt aliter legas quàm: Flauū Acin.

DATVR. Id est traditur, simpl. pro compos. atque ita gręci vtuntur suo διδόναι. Terentius: Paucis dabo. Virg. Da Tytire. Scaliger tamen ait, nihil insuauius, ac remotius esse à puritate latini sermonis.

SVSPIRANT. Suprà de Encelado: Spirat inexhaustum flagranti pectore sulfur, tamen Scal, hunc versum reprehendit atque ita castigat: Exhaustæque rigent infesto fulmine pelles, cuius etsi diuersa sententia, nō tamen crediderim, Claudiano, si esset rediuiuus, ingratam nimis fore.

FRONDE. Ita vet. c. non Fronte, agit enim de arbore, atque ramos nimium spoliis onustos indicat.

ZANCLI. Sic in manuscripto & excusis, in altero: Cœi, non malè. Sed mutare sum veritus, licet non meminerim gigantis, cui nomen fuerit Zando. At Zande vrbs Siciliç, neque nde dicta sit satis perspicio: Silius tamen. Nec Zanclea gerunt bscuram mœnia famam, Dextera quam tribuit posito Saturia telo, quod videtur hanc firmare lectionem.

MIMANTIS. Sic in v. cod. éstque gigantis nomen. orat. Typhœus & validus Mimas, alii: minantis, ídque ineptè.

ERITVRA Iouem. Sic in manuscripto. Id est itura per uem, sic Lucretius dixit Peritare. Seruius ait: Per plerume regere suum casum, vt Percurro forum. Scimus autem ex rio Max. Celtas etiam Quercum Iouis nomine appellasse, sa- Petitura debetur cuidam sciolo, neque dum versifici, nam bullus: Lucta petituras freta per parentia ventis ducunt in- biles sidera certa rates, delirat verò Eunapius cùm suggillat acium mensorem, vt par est, accuratum, aitque Homerum n metri, sed solius euphoniç habuisse rationem, cęterum Sta-

tii locutio huc pertinet: Nullis in te datur ire sagittis.

[c] *TIMOR* numénque. Petronius è Statio: primus in orbe deos fecit timor.

[a] *CVPRESSVS.* Tedę Cereris apud Ouidium sunt pineę.

[z] *TAXOS.* Stat. Necdum illum trunca lustrauerat obuia taxo Eumenis.

[t] *POSTQVAM.* Stat. lib. xii. Qualis ab Ætnęis accensa lampade saxis, vide reliqua.

[u] *ORA.* Lucr. In summo sunt vettice item crateres, vt ipsi Nominitant, quæ nos fauces perhibemus & ora.

[x] *IVVENCAS.* Ita v. cod. Ausonius: renouauit luna iuuencas, alij Iuuencos non malè.

[y] *ADEMI.* Id est Perdidi, exilio seu relegatione. Naso: Inuenies qui me suspiret ademptum.

[z] *QVACVNQVE.* Sic manuscriptus: Omnibus admugit quacunque it in aëra Syluis. Alii aliter. Statius: Orba Ceres magnæ variabat imagine flammę Ausonium Siculúmque latus, exin: illius insanis vlulatibus ipse remugit Enceladus. Et quod planè ad rem: Persephonen amnes, siluę, freta, nubila clamant, quibus fulcitur vetus lectio, atque hæc paucula, sed non vana omnino, pro captu voluminis expressi & quasi decumani, vt & sequentia. Scaliger verò ille magnus Claudianum in hoc opere cultum, candidum, & numerosum pronuntiat. Quartus liber desideratur in vet. codice quod etiam monuit Parrhasius & Colinæi editio.

CL. CLAVDIANI
IN RVFINVM
PRÆFATIO.

Phœbeo domitus Python cùm decidit arcu,
Membráque Cyrrhæo [A] fudit anhela iugo:
Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tangeret astra iubis.
Iam liber Parnassus erat, [B] nexúque soluto
Cœperat erecta surgere fronde nemus.
Concussæq; diu spatiosis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas.
Et qui vipereo spumauit sæpe veneno
Cephisus, liquidis purior ibat aquis.
Omnis iò Pæan regio sonat, omnia Phœbum
Rura canunt, [C] Tripodas plenior aura rotat.
Auditóque procul Musarum carmine dulci,
Ad Themidis coëunt antra seuera deæ.
Nunc alio domini telis Pythone perempto
Conuenit ad nostram [E] sacra caterua [F] lyram.
Qui stabilem seruant [G] Augustis fratribus orbem,
Iustitia pacem, viribus arma regunt.

S T. C L.

ANNOTATIONES LIBRI PRIMI IN RVFFINVM.

PRÆFATIONI perpetua inest comparatio Pythonis serpentis cum Rufino: qui primò Magister Officiorum, inde Consul, & Præfectus Prætorio Orientis, vt ei nihil præter diadema videatur defuisse. In hunc poëta præclarè inuehitur, atque ita à fabulis seu Proserpinæ lib. 1. ad historiam nobilissimam exsurgit, stilo mirè concinno & absoluto. Flores enim Rhetoricæ colore poëtico imbuit, comit, & serenat, vernóque dicendi genere se colligit, quæ res in Dialogo de Oratoribus laudabilis & bella imprimis ducitur, quinimò Statius, poëtæ nostri vnicum ferè exemplar, ita omne dubium olim dispulit: Non tu flumina, nec greges ferarum, Nec plectro Geticas mouebis ornos; Sed septem iuga, Martiúmque Tibrim, Et doctos Equites & eloquente Cantu purpureum trahes Senatum, idem post paullo subiungit: Æneis venerabitur canentem, quæ sanè faciunt vt minùs indigneris Elogio Claudiani, vbi magnfica voce Præglorioss. poëtarum quasi ex senatusconsulto dicitur ac pronuntiatur. At de opere fabuloso idem Statius: Hæc primo iuuenis canes in æuo, quod fecit hic poëta.

SVDIT membra, id est explicuit. Papinius: centum per iugera campi vix tandem explicitum, idem: mors imitata quie-

mitata quietem explicuit, fortean Porrigere dixerit Martialis, nam spirę adhuc spirantis esse videantur.

NEXV. Data libertate soluitur nexus, id est seruitutis vinculum, pulchrè igitur ac legitimè dicit liberum Parnasum.

TRIPODAS. Nescio qua vi nisi magica, tripodes mouerantur. Statius: Nec tua te, princeps, tripodum sola agmina quęrunt de Amphione.

THEMIDIS. Hic locus Curiam Romanam, vbi iustitiæ templum fingitur, apertè designat, sumtus est verò ex Metam. 1. vbi agitur de Pythone interfecto.

SACRA caterua, nihil aliud quàm pacis & armorum pręsides, vel sanctum Senatum indicat, quo pręsente hęc & penè reliqua admirabilis poëta recitauit: sed & poëseos candidati forte intererant.

LYRAM. Hæc dictio non Lyrica, sed heroïca nobis significat. Sic Papinius dum canit Thebaïda Chelyn se tendere profitetur, quinetiam Anacreon: Δότε μοι λύρας Ὁμήρου.

AVGVSTIS fratribus, hinc patet iam obiisse Theodosiũ imp. relictis Arcadio & Honorio. Cæterùm hi duo libri in Rufinum editi sunt Olybrio & Probino Conss. Anno ccc.xc.v neque enim Haloaddrum sequimur, sed Ant. Contium Iurisc. nobilem neque huius rei incautum.

CL. CLAVDIANI
IN RVFINVM. LIBER I.

SÆPE mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cùm dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptósque maris fines, annique meatus,
Et lucis, noctísque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, solémque suo: porrexerit vndis
Littora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, latósque diu florere nocentes,
Vexaríque pios: rursus labefacta cadebat
Relligio [c], causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo [b] quæ currere [e] semina motu
Affirmat, magnúmque nouas per inane figuras

rtuna non arte regi, quæ numina sensu
nbiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
bsoluítque [F] deos, iam non ad culmina rerum
iustos creuisse queror; tolluntur in altum
t lapsu grauiore [G] ruant. Vos pandite vati
erides, quo tanta lues eruperit ortu.
uidiæ quondam stimulis incanduit atrox
lecto, placidas late cùm cerneret vrbes;
rotinus infernas ad limina tetra sorores
ncilium deforme vocat; glomerantur in vnum
numeræ pestes [H] Erebi, quascunque sinistro
Nox genuit fœtu; nutrix Discordia belli
nperiosa Fames, leto vicina [I] Senectus,
npatiensque sui morbus, Liuórque secundis
nxius, & scisso mœrens velamine Luctus,
t Timor, & cæco præceps Audacia vultu,
t Luxus populator opum, [K] cui semper adhærens
nfelix humili gressu comitatur Egestas.
œdáque Auaritiæ complexæ pectora matris
nsomnes longo veniunt examine Curæ.
Complentur vario ferrata sedilia cœtu,
otáque collectis stipatur curia monstris.
llecto stetit in medijs, vulgúsque tacere
ussit, & obstantes in tergum repulit angues,
Perque humeros errare dedit, dum corde sub imo
nclusam rabidis patefecit vocibus iram:
Siccine tranquillo produci secula cursu?
ic fortunatas patiemur viuere gentes?
Quæ noua corrupit nostros clementia mores?

Quò rabies innata perit? quid inania prosunt
Verbera? quid facibus nequicquam cingimur atris?
Heu nimis ignauæ, quas cœlo Juppiter arcet,
Theudosius [L] *terris. En aurea nascitur ætas,*
Et proles antiqua redit, Concordia, Virtus,
Cúmque Fide Pietas alta ceruice vagatur,
Insignémque canunt nostra de plebe triumphum.
Proh dolor, ipsa mihi liquidas delapsa per auras
Iustitia insultat, vitiísque à stirpe recisis
Elicit oppressas tenebroso è carcere leges.
At nos indecores longo torpebimus æuo?
Omnibus eiectæ regnis? agnoscite tandem
Quid Furias deceat, consuetas sumite vires.
Conuentúque nefas tanto decernite dignum.
Iam cupio Stygijs inuadere nubibus astra,
Iam flatu violare diem, laxare profundo
Fræna mari, fluuios ruptis immittere ripis,
Et rerum [M] *vexare fidem. sic fata, cruentum*
Mugijt, & totos serpentum erexit hiatus,
Noxiaque effudit concusso crine venena.
Anceps motus erat vulgi, pars maxima bellum
Indicit superis, pars Ditis iura veretur,
Dissensúque alitur rumor. Ceu murmurat alti
Impacata [N] *quies pelagi, quum flamine fracto*
Durat adhuc, sæuitq; tumor, dubiumq; per æstum
Lassa recedentis fluitant vestigia venti.
Improba mox surgit tristi de sede Megæra,
Quam penes insani fremitus, animíque prophanus
Error, & vndantes spumis furialibus iræ.
Non [O] *nisi quæsitum cognata cæde cruorem,*

icitúmque bibit, patrius quem fuderit ensis,
uem dederint fratres: hæc terruit Herculis ora.
æc defensores terrarum polluit arcus;
æc Athamanteæ direxit spicula dextræ;
æc Agamemnonios inter bacchata penates,
lternis lusit iugulis: hac auspice tædæ
edipoden matri, natæ iunxere Thyesten.
uæ tunc horrisonis effatur talia dictis:
Signa quidem, ô sociæ, Diuos attollere contra
ec fas est, nec posse reor: sed lædere mundum
i libet, & populis commune intendere letum,
st mihi prodigium cunctis immanius hydris,
igride mobilius fœta, violentius Austris,
crius Harpyis, *refluis incertius vndis*
*ufinus, quem prima meo de matre * cadentem*
uscepi gremio; reptauit paruus in isto
æpe sinu tenero, pérque ardua colla volutus.
bera quæsiuit fletu, linguísque trisulcis.
Mollia lambentes finxerunt membra Cerastæ.
e tradente dolos gestus, artémque nocendi
didicit simulare fidem: sensúsque minaces
rotegere, & blando fraudem prætexere risu,
lenus sæuitiæ, aurique cupidine feruens.
on Tarthesiacis illum satiaret arenis
empestas pretiosa Tagi; non stagna rubentis
Aurea Pactoli, totúmque exhauserit Hermum,
rdebit maiore siti; nam fallere mentes
octus? & vnanimes odijs turbare sodales?
alem progenies hominum si prisca tulisset,
Pyrithoum fugeret Theseus, offensus Orestem

Desereret Pylades, odisset Castora Pollux.
Ipsa quidem fateor vinci, [a] rapidóque magistram
Præuenit ingenio: nec plus sermone morabor:
Solus habet scelerum quicquam possedimus omnes
Hunc ego, si vestræ res est accommoda turbæ.
Regalem ad summi perducam principis aulam,
Sit licet ille Numa grauior, sit denique Minos,
Cedet, & insidijs nostri flectetur alumni.
Orantem sequitur clamor, cunctæque profanas
Porrexere manus, inuentáque tristia laudant.
Illa vbi cæruleo vestes connexuit angue,
Nodauítque adamante comas, Phlegethonta sonorum
Poscit, & ambusto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo succendit gurgite pinum:
Pigráque veloces per Tartara concutit alas.
Est locus extremum pandit quà Gallia littus
Oceani prætentus aquis, vbi fertur [b] Vlysses
Sanguine libato populum mouisse silentum.
Illic vmbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus; simulachra coloni
Pallida, defunctásque vident migrare figuras.
Hinc Dea prosiluit, Phœbíque egressa serenos
Infecit radios, vlulatúque æthera rupit
Terrifico; sensit ferale Britannia murmur,
Et Senonum quatit arua fragor, reuolutáq; Thetys
Substitit, & Rhenus proiecta torpuit vrna.
Tunc in caniciem mutatis sponte colubris
Longæuum mentita senem, rugisq; seueras
Persulcata genas, & ficto languida passu
Inuadit muros Elysæ notissima dudum

e̲cta petens, oculísque diu liuentibus hæsit
eiorem mirata virum; tunc talia fatur:
Otia te Rufine iuuant? frustráque iuuentæ
onsumis florem patrijs inglorius aruis?
eu nescis quid fata tibi, quid sidera donent,
uid fortuna paret: toti dominabere mundo,
i parere velis; artus ne sperne seniles:
Tanque mihi magicæ vires? æuique futuri
ræscius ardor inest, noui quo Thessala cantu
ripiat lunare iubar, quid signa sagacis
egypti valeant, qua gens Chaldea vocatis
nperet arte Deis, nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarúmque potestas
lerbarum; quicquid letali germine pollens
aucasus; & Scythicæ vernant in gramine rupes,
uas legit Medea ferox, & callida Circe.
æpius horrendos manes, sacrîsque [s] citaui
octurnis Hecaten; & condita funera traxi
arminibus victura meis: multósque canendo,
uamuis Parcarum restarent fila, peremi,
re vagas quercus, & flamina stare coëgi,
ersáque non prono curuaui flumina lapsu
fontes reditura suos. Neu vana locutum
le fortasse putes, mutatos cerne penates.
ixerat, & niueæ (mirum) cœpere columnæ
itari; subitóque trabes lucere metallo.
lecebris capitur, nimíumque elatus auaro
ascitur intuitu. Sic Rex [T] ad prima tumebat
Mæonius, pulchrò cùm verteret omnia tactu.
ed postquam riguisse dapes, fuluámque reuinctos

In glaciem vidit latices, tunc munus acerbum
Sensit: & inuiso votum damnauit in auro.
Ergo animi victus, sequimur quocunque vocabis,
Seu tu vir, seu numen, ait, patriáque relicta
Eoas furiæ iussu tendebat ad arces,
Instabiléſque olim Symplegadas, & freta remis
Inclita Thessalicis, celsa quà Bosphorus arce
Splendet, & Othrysiis [v] Asiam discriminat oris.
Ut longum permensus iter, ductúsque maligno
Stamine fatorum, claram subrepsit in aulam:
Illicet ambitio nasci, discedere rectum,
Venum [z] cuncta dari: profert arcana, clientes
Fallit, & indeptos à principe vendit honores?
Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem
Nutrit, & exiguum stimulando vulnus acerbat.
Ac velut innumeros amnes accedere [y] Nereus
Nescit, & vndantem quamuis hinc hauriat Istrum,
Hinc bibat æstiuum septeno gurgite Nilum,
Par semper similiſque meat: sic fluctibus auri
Expleri calor ille nequit? cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent,
Rufino populandus erat? dominóque parabat
Exitium fœcundus ager? metuenda colonis
Fertilitas? laribus pellit, detrudit [z] auitis
Finibus, aut aufert viuis, aut occupat hæres.
Congestæ cumulantur opes, orbiſque ruinas
Accipit [A] vna domus, populi seruire coacti,
Plenáque priuato succumbunt oppida regno.
Quò vesane ruis? teneas vtrunque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,

Iungantur

ungantur [B] solium Crœsi, Cyríque tiaræ,
Nunquam diues eris, nunquam satiabere quæstu.
Semper inops, quicunque cupit: contentus honesto
Fabricius, paruo spernebat munera Regum,
Sudabátque graui consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis: tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos? mihi donat inemptas
Terra dapes, rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturatæ saturantur murice vestes?
Hîc radiant flores, & prati viua voluptas
Ingenio variata suo, fulgentibus illic
Surgunt strata toris? hîc mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba [C] salutantum latas ibi perstrepit ædes;
Hîc auium cantus, labentis murmura riui.
Viuitur exiguo meliùs: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.
Crescebat scelerata sitis prædæque recentis
Incestus flagrabat amor, nullúsque petendi
Cogendiue pudor; crebris periuria miscet
Blanditijs, sociat perituro fœdere dextras,
Si semel è tantis poscenti quisque negasset,
Effera prætumido quatiebat corda furore.
Quæ sic Getuli iaculo percussa leæna,

L

Aut Hyrcana premens raptorem bellua partus,
Aut serpens calcata furit? iurata Deorum
Maiestas [D] *teritur; nunquam reuerentia* [E] *mensæ,*
Non [F] *coniux, non ipsa simul, non* [G] *pignora cæsi*
Sufficiunt odijs; non extinxisse propinquos,
Non notos egisse sat est extinguere ciues,
Funditus, & nomen gentis delere laborat.
Nec perimit celeri leto: crudelibus antè
Supplicijs fruitur: cruciatus, vincla, tenebras
Dilato mucrone parat. proh sæuior ense
Parcendi [H] *rabies, concessáque vita dolori.*
Mors adeóne parum est? [I] *causis fallacibus instat,*
Arguit attonitos se iudice: cæterà segnis,
Ad facinus velox; penitus regione remotas
Impiger ire vias? non illum Syrius ardens
Brumaue Riphæo stridens Aquilone retardat.
Effera torquebant auidæ præcordia curæ,
Effugeret ne quis gladios, neu perderet vllum
Augusto [K] *miserante nefas; non flectitur annis*
Non ætate labat; iuuenum rorantia colla
Ante patrum vultus stricta cecidere securi.
Ibat grandæuus nato moriente superstes
Post [L] *Trabeas exul. Quis prodere tanta relatu*
Funera? quis cædes posset deflere nefandas?
Quid tale immanes vnquam gessisse feruntur
Vel Sinis Isthmiaca pinu? vel rupe profunda
Scyron? vel Phalaris tauro? vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
Clementes; iam Cinna pius, iam Spartbace lenis

Rufino collatus eris. deiecerat omnes
Occultis odijs terror. tacitíque sepultos
Suspirant [M] *gemitus, indignarique verentur.*
At non magnamini virtus [N] *Stilichonis eodem*
Fracta metu solus medioque in turbine rerum
Contra letiferos rictus, contraque rapacem
Mouit tela feram? volucris non præpete cursu
Vectus equi, non Pegaseis adiutus habenis.
Hic cunctis aptata quies, hic sola pericli
Turris erat, clypeúsque trucem porrectus in hostem;
Hic profugis sedes, aduersáque regna furori,
Seruandis hic castra bonis? Hucusque minatus
Hærebat, retróque fuga cedebat inerti.
Haud secus hyberno tumidus cum vertice torrens
Saxa rotat, voluítque nemus, pontesque reuellit.
Frangitur obiectu scopuli, quærensque meatum
Spumat, & illisa montem circuntonat vnda.
Qua dignum te laude feram, qui penè ruenti,
Lapsuróque tuos humeros obieceris orbi?
Te nobis trepidæ, ceu sidus dulce carinæ
Ostendêre Dei, geminis quæ lapsa procellis
Tunditur, & victo trahitur iam cæca magistro.
° *Inachius quondam perhibetur in æquore Perseus*
Neptuni domuisse pecus, sed tutior alis.
Te non penna vehit: rigida cum Gorgone Perseus,
Tu non vipereo defensus crine Medusæ.
Illum vilis amor suspensæ virginis egit,
Te Romana salus, taceat superata vetustas,
Herculeos conferre tuis iam desinat actus.

Vna Cleoneum pascebat sylua leonem,
Arcadiæ saltum vastabat dentibus vnum
Sæuus aper; túque ô compressa matre rebellis
Non vltra Libyæ fines Antæe nocebas,
Soláque fulmineo resonabat Creta iuuenco,
Lernæámque virens obsederat Hydra paludem:
Hoc monstrum non vna palus, non vna tremebat
Insula, sed Latia quicquid ditione subactum
Viuit; & à primis Ganges horrebat Iberis,
Hoc neque Geryon triplex, nec turbidus Orci
Ianitor æquabat; nec si concurrat in vnum
Vis Hydræ, Scyllæque fames, & flamma Chimeræ.
Certamen sublime diu, sed moribus impar
Virtutum scelerúmque fuit; iugulare minatur,
Tu prohibes, ditem spoliat; tu reddis egenti:
Eruit, instauras: accendit prælia, vincis.
Ac velut infecto morbus crudescere cælo
Incipiens, primò pecudum depascitur artus,
Mox populos vrbésque rapit? ventísque perustis,
Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes.
Sic auidus prædo iam non per singula sæuit,
Sed sceptris inferre minas, omnique perempto
Milite, Romanas audet prosternere vires.
Iam gentes Istrúmque mouet, Scythiámque receptat
Auxilio, traditque suas hostilibus armis
Relliquias; mixtis descendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes, patriamque bibens Mæotin Alanus;
Membráque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus:

uffino collecta manus, vetat ille domari,
nnectitque moras, & congrua tempora differt.
Nam tua cùm Geticas strauisset dextera turmas
lta [P] ducis socij letum, parsque vna maneret
Debilior, facilísque capi: tunc impius ille
roditor imperij, coniuratúsque [Q] Getarum,
Distulit instantes eluso principe pugnas.
Hunnorum [R] laturus opem, quos affore bello
Norat, & inuisis mox se coniungere castris.
Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanain, quo non deformius vllum
Arctos alit, tristes habiturus, obscœnáque visu
Corpora, mens duro nunquam cessura labori;
Præda cibus, vitanda Ceres; [S] frontemque secari
Ludus, & occisos pulchrum iurare parentes.
Nec plus Nubigenas duplex natura bimembres
Cognatis [T] aptauit equis? acerima nullo
Ordine mobilitas, insperatíque recursus.
Quos tamen impauidus contra spumantis ad Hebri
Tendit aquas; sic [X] ante tubas ferrúmque precatus:
Mauors, nubifero seu tu procumbis in Hemo,
Seu te cana gelu Rhodope, seu remige Medo
Sollicitatus Athos, seu caligantia nigris
Ilicibus Pangæa tenent, accingere mecum,
Et Thracas defende tuos; si lætior adsit
Gloria, vestitâ spolijs donabere quercu.
Audijt illa pater, scopulísque niualibus Hemi
Surgit, & hortatur celeres clamore ministros.
Fer galeam Bellona mihi, nexúsque rotarum

Tende Pauor, frænet rapidos Formido iugales,
Festinas vrgete manus; meus ecce paratur
Ad bellum Stilicho, qui me de more trophæis
Ditat, & hostiles suspendit in arbore cristas:
Communes semper litui communia nobis
Signa canunt, iunctóque sequor tentoria curru.
Sic fatus campo insilijt, latéque fugatas
Hinc Stilicho turbas, illinc Gradiuus agebat
Et clypeis, & mole pares: stat cassis vtrique
Sidereis hirsuta iubis, loricáque cursu
Aestuat, & largo satiatur vulnere cornus.
Acrior interea voto, multísque Megæra
Luxuriata malis, mæstam deprandit in arce
Iustitiam, diróque prior sic ore lacessit:
En tibi prisca quies, reuocatáque secula rursus
Vt rebare vigent, en nostra potentia cessit,
Nec locus est vsquam furijs: huc lumina flecte,
Aspice Barbaricis iaceant quot mœnia flammis,
Quas mihi Rufinus strages, quantúmque cruoris
Trabeat, & quantis epulentur cædibus hydri.
Linque homines, sortémque meam; pete sidera: notis
Autumni te redde plagis, x quà vergit in Austrum
Signifer, æstiuo sedes vicina Leoni,
Iam pridem z egelidæ cessant confinia Libræ,
Atque vtinam per magna sequi connexa liceret.
Diua refert, non vlterius bacchabere demens,
Iam pœnas dabit iste tuus: iam debitus vltor
Imminet; & a terras qui nunc ipsúmque fatigat
Æthera nec vili moriens condetur arena.

nque aderit læto promissus Honorius æuo,
ec forti genitore minor, nec fratre corusco,
ui subiget Medos, & cuspide proteret Indos:
b iuga venturi Reges, calcabitur asper
rasis equo, pontémque pati cogetur Araxes.
ique simul grauibus ferri religata catenis
xpellére die, debellatásque draconum
nsa comas, imo Barathri claudêre recessu.
nc tellus communis erit, tunc limite nullo
iscernetur ager, nec vomere sulcus adunco
ndetur; subitis messor gaudebit aristis.
rabunt querceta fauis, stagnantia passim
ina fluent, oléique lacus, nec murice tinctis
elleribus quæretur honor, sed sponte rubebunt
Attonito pastore greges, pontúmque per omnem
idebunt virides gemmis nascentibus algæ.

ANNOTATIONES LIBRI I. IN RVFINVM.

[a] *SÆPE.* Hîc agitur de diuina prouidentia, de qua venustè dubitat poëta, quamuis Cicero philosophum agens ita scribat: Mala consuetudo est contra deos disputandi, siue id ex animo fiat, siue non, at Panegyr. ad Cõstantinũ seuerè minùs magísque populariter: Audi doloris nostri liberam vocem; siquidem dij ipsi, quod plerunque humanas res negligant, dum querimur ignoscunt, exempla sunt huius rei non pauca vel in sacris litteris.

[b] *NOCENTES.* Visendus Seneca Neronis præceptor, multus enim est in hac consideratione. Cùm videris, inquit, bonos laborare, malos lasciuire, cogita nos filiorum modestia, vernularum licentia delectari, vt vt sit Deus nulli vnquam iniurius est idque Plato innuit: θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος.

[c] *RELIGIO.* Nimis anxia perquisitione perit religio: Deus enim, vt ita dicam, meliùs scitur nesciendo, subtilis verò sententia apud Gellium: Religentem esse oportet, religiosum nefas, ac vetus poëta dixisse videtur Religiones pro morbo animi. Sed Religione vita constat, vel auctore Plinio: vide Liuiũ de Gallis quorum permissu Fabius sacrum solenne confecit; quia nimirum religionis haudquaquam negligens est.

[d] *QVÆ.* Ita liber antiquus, quod ipse Cuiacius manu propria adseruit, olim, qui, nullo sensu. Si verò minùs exactè varias lectiones hîc dinumero, fide tamen eas quæ pluris sunt te habiturum; ac natiua omnia in textu tibi obuersari, reliqua fere tibi Index sufficiet.

[e] *SEMINA.* Huc etiam pertinet Epicuri opinio ex versu λουκιλίου; Ἐξ ἀτόμων Ἐπίκουρος ὅλον τὸν κόσμον ἔγραψεν. Et Lucilij: Idola atque atomos Epicuri vincere vellem.

[f] *ABSOLVIT.* Mart. Absoluere Deos.

[g] *RVANT.* Non enim his gradibus quibus ad summa peruentum est retroitur, denique, vt ait Tacitus, Nil medium inter summa & præcipitia.

EREBI

EREBI pestes, de his Virgilius vi. hunc autem Furiarum apparatum luculentis versibus à poëta nostro explicari testatur magnus ille Scaliger senior.

SENECTVS. In eius laude totus est Cicero senex, at hîc inter Noctis filias recensetur, quod mirarer magis, ni Hesiodus in hæc verba de Nocte. Γῆρας τ' οὐλόμενον καὶ Ἔριν τέκε. Peperit ergo illa Senectutem & Discordiam.

CVI. In vet. codice: Quem semper, vt videatur iungi τῷ comitatur, sed in optimo exemplari Martialis: Incidit in flammas, iuuenique secuta relicto coniuge, quod quidem tueri fortè posset Græca ratio, verùm magis est fortè vt sequare duo Manuscr. quæ manu sua confirmat Cuiacius, sed cui sine scrupulo iungi potest dictioni Adhærens.

THEVDOSIVS. In omnibus ferme codicibus antiquæ fidei sic legitur, non Theodosius, atque poëtæ nostri γνήσιον esse mihi persuadeo; inde enim vrbs θευδοσία. Libro Anthologiæ 4. visitur θευδόσιος βασιλεύς. Ipse Gnomographus de se dixit θεύγνιδος non θεόγνιδος dialecto, si memini Dorica, est tamen qui malit: Theodosius dicatque Synizesin, ego Proceleumaticum dici veriùs autumo, cuius exempla in re simili vix reperias nisi forte apud Virgilium vt: Genua labant, & Ariete crebro, sed hæc de industria non coactus protulit: Duodecies apud Lactantium non diffidet, vide etiam Ausonium, & illud minime malum quod habet vetus & elegans Epitaphium in Æde beatæ Mariæ Paris. nempe: Duodecimo Iuli transiit Odo die, & hæc quidem, licet fortè leuia, sunt tamen πρὸς ἔπος, ni fallimur, nisi quis Græcum illud δώδεκα pro δυοκαίδεκα & Theophilam velit obiicere, sed enim Theudoricus apud, Sid. in vet. codice legitur.

VEXARE. hoc verbum, vel teste Gellio, multùm habet efficaciæ, eóque vsus Maro eadem fère notione, quare libenter in textum è veteri cod. adsciuimus, cùm Laxare fræna versu præcedente dixerit.

IMPACATA quies, huic comparationi adsimilem vix reperias, de hac Scal. senior: Maris æstum siue agitationem ex his poteris cognoscere quæ sunt satis felicia; adducitque illud è Pharsalia: Cùm mare lassatur, sed iam succurrit mihi locus Ouidij vbi agit de Tarquinio iuuene, visa Lucretia, abeunte: Vt solet à magno fluctus languescere flatu, sed tamen à vento, quæ fuit, vnda tumet.

o *NON NISI.* Etsi tacerent de hoc vet. libri, tamen constaret facilè ita legendum, vt quid enim admiseris illud, Non si.

p *CADENTEM.* Hęc omnia f re desumit ex Papinio: Annue Tisiphone, peruersaque vota secunda, si benè quid merui, si me de matre cadentem Fouisti gremio. Suscipiebantur olim rubentes infantuli, atque apud Terentium idem est Tollere, sic in Paneg. 2. Stilichonis susceptus puer dicitur fonte ablui.

q *RAPIDO* ingenio, vet. codex ita præfert. suprà enim dixit Rufinum esse prodigium incertius vndis, sic fortè Plinius hist. impetuosum animum: Horatius dixit: rapido feruentius amni ingenium. Symmachus in hoc homine oris laudat facultatem, eáque sitim suam rigari optat; ac litteras blanda ipsius recitatione commendari, at magnus Ambrosius ei pro Theodosio ab Ecclesia repulso instanti caninam obiicit impudentiam, quia videlicet miseræ illius Stragis, quę Thessalonicę contigit impulsor credebatur, fuit autem procerus, & elegans dubio procul, atque vt ait Symmachus sua luce conspicuus: sed nequam & versipellis, vt græca historia & Suidas referunt.

r *VLYSSES.* In vet. codice Vlyxes quod videtur confirmare Plutarchus satis disertè, totus hic locus quod mireris ex Odysseæ Λ. elicitur, Ἡ δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυῤῥόου ὠκεανοῖο. reliqua vide suo loco, hæc verò fabulatus est non illepidè Claudianus, cùm opinor, legisset l. pas. Drepanium venisse ab vltimo Galliarum recessu, quà littus Oceani cadentem excipit solem, ac deficientibus terris sociale miscetur elementum. Ausonius: quid facis extremis positus telluris in oris, Oceani finem iuxta, solémque cadentem? vnde hic noster cimmerias tenebras bellè imaginatus est, fortè etiam alludit ad nomen Elusæ vel potius Elysæ vrbis primariæ in Gallia Narbonensi, vnde Rufinus; vultque ab Vlysse deduci poëtica fide, de hac vide Ammianum, & Sid. Epistolas.

s *CITAVI.* Sic in v. codice, aliàs Litaui, Litatis: quæ planè dissona, neque congrua.

t *AD PRIMA.* Virgilius specie aduerbij dixit: Flos ad prima tenax quod aliud est opinor, hoc enim valdè, illud primò significat; quod græcè vetteris ἐν πρώτα. nosttum verò εἰς τὰ πρῶτα.

v *ASIAM.* Cuiacius in obseruat. rara & exquisita de hac separatione Asię prodidit, quem consule id enim de te meretur. Eu-

ſtathii locum citát: Οἱ παλαιοί φασιν ὅτι Ουεσπασιανὸς ἐχώρησε τὴν θεράκην ἀπ' Ευρώπης.

ᶜ *VENVM* cuncta dari, hæc planè confutat Pacatus, contrà Zoſimus ait ſub Theodoſio omnis luxuriæ genus vinatim creuiſſe, ita vt Prouinciæ & magiſtratus quaſi ſub haſta venirét, & ſolis argentariis ac nummulariis honorum ianna ſe recluderet; palámque diceretur precium eſſe recuperandum, quod nō miror, idem enim ſub Oct. Auguſto optimo principe vſu venit, quamuis Paulinus vir nobilis Apologiam aduerſus eiuſmodi calumnias pro Theodoſio ediderit. Nil ſanè turpius quàm nundinatio magiſtra uum: illa iniquitatis principium & finis; illa omnium ſcelerum fons Iuſtiniano dicitur.

ʳ *NEREVS*. Sic etiam Panegyris ad Maximianum Imperatorem: Omnes aquas cælo & terris prębet oceanus, ſemper tamen in motibus ſuis totus eſt. Ambroſius: Mare fœnerator eſt, omnium patrimonia tanquam fluctus abſorbet, vide Scaligeri Sen. comparationes, & Ariſtotelis Meteora.

ˢ *AVITIS*. Pacatus: Non contenti auitis exuiſſe patrimoniis, & reliqua. Suetonius: Confiſcabantur alieniſſimæ hęreditates.

ᵗ *VNA DOMVS*. Rofini domus erat quaſi ſpelunca latrocinii, Zoſimus eodem planè modo tradit; quidquid in Oriente diuitiarum exſtitit, in Rufini domum confluxiſſe. Suet. Bona viuorum & mortuorum vſquequaque, quolibet accuſatore, & crimine corripiebantur.

ᵘ *SOLIVM* Crœſi, ſic habent excuſi, quibus non repugnat vetus membrana, at vir doctus non putat Claudianum ita ſcripſiſſe: cùm Cyri ſolium, non Crœſi dicat Horat. cum etiam Plutarchus Κύρου θρόνον habeat, ſed videbis lib. I. in Eutr. Pollētem ſolio Crœſum.

ˣ *SALVTANTVM*. Ambitu comitatu& ſalutantium agminibus contenditur apud Tacitum; at in pectore amicus non in atrio, Salue aut Aue matutinum eſt. Vale veſpertinum, vt probant Mart. & Suet.

ʸ *MAIESTAS* teritur. Rufinum quaſi imminutæ Maieſtatis videtur accuſare, ſpreuit enim Arcadium non ſolùm ſed & memoriam retro principum qui diuorum loco poſt obitum habiti, quinimò Theodoſii viuentis parum fuit reuerens, quem tamen Athanaricus Gothorum rex Deum pronuntiauit, talem

finxit Augustum Virg. cui Aras iurandas olim posuere, hîc verò iurata Majestas fortè indicat Rufinum fuisse imperatoribus quasi sacramento obligatum, quòd si deos Ἀθανάτους malis non repugno.

ᵗ *MENSÆ.* Hîc mensa imperialis designatur, idem est, Mēsæ regalis honor apud Am. In veteri Epitaphio magni illius Probi P. F. P. quod illustris historiæ Ecc. scriptor à situ vindicauit: Lętabare prius mensę Regalis honore, Principis alloquio, Regis amicitia, dicam plura in Eutrop. I.

ʸ *CONIVX.* Forsitan hîc Fl. Eudoxiam innuit, quæ Eutropij astu, præterita vt ita dicam Rufini filia, nupsit Arcadio, sed quia hic liber velut sub Theodosio scriptus est, ideòque ante nuptias eorum fortè verius est vxorem & liberos Luciani Comitis à Rufino plumbatarum verberibus contusi aut cęsi accipere, nisi malis de Fl. Promoto insidiis Rufini interempto Eudoxiæ auo id intelligi.

ᶻ *PIGNORA.* In vet. codice ita legitur, quæ lectio iis quæ suprà attulimus aptari queat, dixit verò eleganter negatione repetita: Nōn coniux, non ipsa simul, non pignora cæsi. Sic suprà non Tartesiacis, & reliqua sic vsus Maro & Auson. Neque verò Rufinus Vxorem suam aut liberos occidit, constat enim ipso mortuo Vxorem eius & filiam metu pœnæ ad Ecclesiam profugas, inde nauigasse Hierosolimam, vbi vitę quod reliqui erat exegere, quod verò, ipse, in textu non agnoscit vetus liber, sed ipsa.

ᵘ *PARCENDI* rabies. Ammianus: nulla crudelior sententia est ea, quæ parcere videtur, sic Valens Imp. eodem auctore, pœnarum moras finiri cum morte ægrè tulit, tunc scilicet mors erat solatio, vita supplicio. Est verò apud Senecam locus risu simul & miseratione dignus de eo qui abstinentia vitam finiit Seianus autem per indices hominem primò detulerat: Queruntur, inquit, mori Cordum vt interpellarent quod coegerant; magna res erat in quæstione: An mortis rei proderentur, hoc est, meo iudicio, an accusarentur mortis, homines iam damnati; quod erat contra omnem iuris rationem eo præcipuè sæculo, quo licebat imò pulchrum erat in seipsum sæuire, atque vt inedia eiusmodi est voluntaria, sic etiam videtur laudi quàm crimini propior tunc verò singultibus ac dolore paulatim deficimus fiuntque lachrymæ cibus, vt Naso eleganter extulit, cui flere voluptas est.

AVSIS fallacibus, hæc in criminalibus iudiciis valdè sunt ericulosa & immania, quod impulit Marcellinum vt diceret: Quæsitoris iniquitatem omnibus esse criminibus grauiorem, uic quodammodo adfine est illud Plinii Secundi de improbo : bipedum omnium nequissimo Regulo agentis: Laqueis insidiosæ interrogationis me inuoluerat, nisi mihi Deus aliquis dfuisset.

AVGVSTO miserante, Theodosius erat bonus & demens ed aliquando in prauum flexibilis aliena, vt ita dicam, sponte imium enim credulus fuit Rufino, eique fauit in bonorum erniciem: quod non aduertebat obtentu malitiæ istius Busiriis, hîc tamen apparet Principis natura benignior, qui sententiam Præfecti Prętorio venia sed nimium sera, vel præuenta oluerit. Zosimus ad hanc rem clarè & opportunè scribit: Runum vbi consulatum iniit, Tatiano per inuidiam incubuisse: a vt Proclum (siue malis Proculum P. F. Vrbi Constantinop.) lium eius securi percuti iuberet nulla mora; ne locus esset veiæ, quam procul dubio erat concessurus imperator.

POST TRABEAS exul. O miserum & miserabilem seem Tatianum qui filium ad mortem rapi viderit, hoc sanè fore on credebat diuinus Ambrosius, qui ad Tatianum ita scribit: ufinus ex Mag. Officiorum factus est in Consulatu P. F. P. ac er hoc plus posse cæpit: sed tibi iam nihil obesse, quamuis auem Tatiani fama videatur vacillare in quibusdam locis Codicis 'h. tamen constat eum, cùm esset Præfectus Præt. ex mandato 'heodosii maximi criminis reos persequi potuisse, postea Arc. : Honorius Impp. edixerunt: Ne vnius viri inlustris tantùm aleat temporalis offensio teterrimi iudicis inimici, id est Runi infensi Tatiano, fuit verò Consul cum Symmacho. Anno)1. Codex Theod, Gothica manu scriptus ita præfert. Haue 'atiane K. nb. vel etiam Habe, hoc est Aue Tat. carissime nos, éstque salutatio imperatoris, vt Gratiani ad Ausonium: Ae consul amplissime.

GEMITVS taciti. Pacatus de Tyrannide Maximi: Sereos vultus nubilis mentibus induebamus vt illi qui degustato ardoum graminum succo in morte ridet, de genere hoc pluria sunt apud Tacitum & infra Bello Gild. est, qui gemitus sepultos dicat.

TILICHO. Hunc belli ducem toto orbe clarissimum, cuius fidei commissus erat Oriens & Occidens, ex vltima

Theodosii volũtate; cuius sub quasi tutela iuuenculi Impp. fuerát, multi in crimẽ vocauere: quasi imperiũ suo vel filii nomine affectarit. At D. Ambrosius Paulinus & prudẽtius honorificè vbique appellant, neque id sensisse de eo comperiuntur. Zosimus quoque non futilis auctor, velut peracta cognitione, absoluit. Orosius verò prætenuis meriti homo, neque adeo Getis infensus: Eum Vandalorum dolosæ gentis genere editum inter cætera obijcit. Eunapius in sua historia, teste Photio, eundem miris modis exagitat, cæterique Græculi. Rutilius poetaster paruulus natione Gallus, elegans alioquin & suauis ea re videtur in ipsum inuehi præcipuè, quòd libros Sibyllinos Veneris marito donauerit, quod nihil est aliud quàm orthodoxam Stilichonis fidem criminari, non tamen adhirmare ausim ambitionis, quę splendidis & excelsis ingenijs contingit, fuisse expertem, sed ei non defuere inuidi aut calumniatores, plura alibi dicturus sum.

o *PECVS.* Neptuni. Belluæ cui dicitur Andromeda exposita ossa in Vrbem adportata ostendit inter reliqua miracula M. Sc. Ædilis.

p *DVCIS* socij non alius fuit ille socius Stilichonis quàm Promotus vir trabeatus & triumphalis; qui cùm Rufino coram insolescenti colaphum infregisset, eius dolo ac insidiis expeditione militari suscepta à barbaris (quasi data ab eo tessera) miserè occisus est, quod postea vlcus Stilicho multa Getarum millia retulit inferias. Fuit autem Consul cum Timasio Anno 389. Inter cætera fudit immanem Regem Gothunnorum nomine Odotheum, qui Danubium mille nauibus pænè traiecerat: ab hoc dicuntur Promotiana ostrea apud Ausonium quod Elias interpres non intellexit, imo eruditus ille Notarum scriptor hunc locum non assequitur, vide Symmachi Epistolas.

q *GETARVM* coniuratus. Rufinus quo se imperatori vtilem necessariò, vel potius formidabilem redderet gentem, illam fœdere tacito demeruit. Getarum itaque dux fuit Alarichus, quem cum suis fautoribus execratur ac deuouet Sardianus, aitque à pullatis hominibus siue solitariis accersitum, & verò quidam auctores Geticæ, vt ita loquar, factionis eum à pietate & fido imp. obsequio laudant. At diuus Ambrosius Gothos vbique iusto adoritur conuicio, eorúmque Ecclesiam plaustro vehi acriter quidem, sed facetè pronuntiat, aitque in prophera, Gog intelligi Gothum, quod non visum est Hieronymo, neque Augustino viris sanctis.

IUNNORUM laturus opem, aliàs Ablaturus, quod t glossema satis ineptum, hîc enim idem quod Consecutu-us, de hac proditione infrà de Bello Get, & Paneg. 1. Stil. sanè roditoribus ita infensus est Plato, vt iis dari iudices præcipiat, ui & sacrilegis, describit verò Claudianus Hunnorum gentem atis eleganter, de his vide Historiam miscellam.

FRONTEMQUE secari, aliàs secare, & Fratrésque neare quæ non adeo reproba, hîc verò Frontem pro Facie videur accipere, vt alibi sæpè. In ore igitur habēt duas fistulas quas nater nascentibus facit. D. Ambrosius tradit Hunnos adeò aleæ uisse intentos, vt arma & vitam addicerent victoribus, ac reertum vnum qui ludo superatus, morte imperata se exsolueit.

BIMEMBRES. Aliàs Biformis nullo sensu v. codici adentit Maro: Tu nubigenas inuicte bimembres, sunt autem Centauri.

COGNATIS equis, hæc peritis equitandi bellè conueniunt, de Hunnis idem Sidonius fere: Forma quidem pedii media est, prócera sed exstat si cernas equites, sic longi sæpe utantur; Mox præbet tergum sonipes, cognata reare Membra viris, talis fuit Chiron equitandi peritissimus, vnde fabula.

ANTE Tubas hæc poëtæ vsitata locutio, quam qui nesciebant apud Iuuenalem credidere legendum. Hæc animante tuba, pro: hæc, anima, ante tubas, vt Prop. Surge, anima, ex humili, vide autem Sid. Claudiani simiam.

QUA vergit in Austrum Signifer, eadem verba repeties in Manl. Theodori consulatu.

EGELIDÆ librę, aliàs Geminæ & Gelidę, sed lectio vetus quę in textu nescio quid medium ac temperatum, denique iustitię adfine repræsentat.

TERRAS qui nunc, hic locus satis obscurus fuit hactenus, non enim exprimit prouerbiū illud: Cælum terrę miscere, quin potius indicat Rufinum dijs & hominibus inuisum, ne vilissima quidem arena sepultum iri. vt patet ex libro sequenti.

CL. CLAVDIANI
IN RVFINVM
LIBER II.

IAM post edomitas [A] Alpes, defensáque regna
Hesperiæ, merita complexus sede parentem,
Auctior adiecto fulgebat [B] sidere mundus.
Iámque tuis Stilicho Romana potentia curis
Et rerum commissus apex, tibi credita fratrum
Vtraque maiestas, geminæque exercitus aulæ.
Rufinus ([C] neque enim patiuntur sæua quietem
Crimina, pollutaque negant arescere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Incl;oat, & solito pacem turbare [D] tumultu.
Hæc etiam secum: Quánam ratione tuebor
Spem vitæ fragilem? qua tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odijs, hinc milite cingor
Heu quid agam? non arma mihi, non principis vllus
Auxiliatur amor, matura pericula surgunt
Vndique, & impositi radiant ceruicibus enses,
Quid restat, nisi [E] cuncta nouo confundere luctu;

Insontés-

Insontésque meæ populos miscere ruinæ?
Euerso iuuat orbe mori. solatia leto
Exitium commune dabit, nec territus antè
Discedam, cum luce simul, linquenda potestas.
Hæc fatus. Ventis veluti si frena remittat
Æolus, abrupto gentes sic obice fudit,
Laxauitque viam bellis. & ne qua maneret
Immunis regio, cladem diuisit in orbem,
Dispositque nefas. alij per terga ferocis
Danubij solidata ruunt, expertáque remos
Frangunt stagna rotis; alij per Caspia claustra,
Armeniásque niues inopino tramite ducti
Inuadunt Orientis opes. Iam pascua fumant
Cappadocum, volucrúmque parens Argæus equorum.
Iam rubet altus Halys, nec se defendit iniquo
Monte Cilix, Syriæ tractus vastantur amœni,
Assuetúmque choris, & læta plebe canorum
Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem.
Hinc planctus Asiæ; Geticis Europa cateruis
Ludibrio prædæque datur, frondentis adusque
Delmatiæ fines; omnis quà mobile ponti
Æquor, & Hadriacas tellus interiacet vndas,
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Instar anhelantis Lybiæ, quæ torrida semper
Solibus, humano nescit mansuescere cultu.
Thessalus ardet ager, reticet pastore fugato
Pelion, Emathias ignis populatur aristas.
Iam plaga Pannoniæ, miserandáque mœnia Thracum,
Aruáque Mysorum, iam nulli flebile damnum
Sed cursus solennis erat: campúsque furori

Expositus, sensúmque malis detraxerat vsus.
Eheu quàm breuibus pereunt ingentia causis,
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Seruatum; quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor vnus iners, angusto tempore vertit.
Vrbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Calcedonias contrà despectat arenas,
Iam non finitimo Martis terrore mouetur,
Sed propiùs lucere faces, & rauca sonare
Cornua, vibratísque peti fastigia telis
Aspicit. ij vigili muros statione tueri,
Hi iunctis properant portus munire carinis.
Obsessa tamen ille ferus lætatur in vrbe,
Exultátque malis, summóque à culmine turris
Impia vicini cernit certamina campi,
Vinctas ire nurus, hunc per vada cærula mergi,
Seminecem hunc subitò percussum vulnere labi
Dum fugit, hunc animam portis efflare sub ipsis,
Nec canos prodesse seni, puerique cruore
Maternos vndare sinus; immensa voluptas,
Et risus plerunque subit; dolor afficit vnus,
Quòd feriat non ipse manu, videt omnia latè
Præceptis incensa suis, & crimine tanto
Luxuriat, charúmque sibi non abnegat hostem,
Iactabátque vltro, soli quòd castra paterent,
Sermonúmque foret vicibus permissa potestas.
Egregij quoties exisset fœderis autor
Stipatus socijs, circúmque armata clientum
Agmina, priuatis ibant famulantia signis.

Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, [G] reuocat fuluas in pectora pelles,
Frenáque, & immanes pharetras, arcúsque sonoros
Assimulat, mentémque palam testatur amictus.
Nec pudet Ausonios [H] currus, & iura regentem
Sumere deformes ritus, vestémque Getarum
Insignémque habitum Latij mutare, togaque:
Mœrent captiuæ pellito iudice leges.
Quis populi tunc vultus erat? quæ murmura furtim?
Nam miseris nec flere quidem, aut lenire dolores
Colloquijs impunè licet. Quonam vsque feremus
Exitiale iugum? duræ quis terminus vnquam
Sortis erit? quis nos funesto turbine rerum,
Aut tantis soluet lachrymis? quos barbarus illinc,
Hinc Rufinus agit, quibus arua, fretúmque negatur.
Magna quidem per rura lues, sed maior oberrat
Intra tecta timor: tandem succurre ruenti
Heu [I] patriæ Stilicho, dilecta hîc pignora certé,
Hic domus, hîc thalamis proprium genialibus omen,
Hæc tibi felices crexit regia tædas.
Vel solus sperate veni, te prælia viso
Languescent, auidíque cadet dementia monstri,
Talibus vrgetur discors Aurora procellis.
At Stilicho Zephyris cùm primùm bruma remitti,
Et iuga diffusis nudari cœpta pruinis,
Partibus Italiæ tranquilla in pace locatis,
Vtraque castra mouens Phœbi properabat ad ortus,
Gallica discretis. Eoáque robora turmis
Complexus. nunquam tantæ ditione sub vna
Conuenere manus, nec tot discrimina vocum.

Illic Armeniæ vibratis crinibus alæ
Herbida [K] *collectæ facili velamina nodo.*
Inde truces flauo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes explorat gurgite [L] *Rhenus,*
Quósque rigat retro pernicior vnda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.
Mens [M] *eadem cunctis, animíque recentia ponunt*
Vulnera, non odit victus, victórue superbit.
Et quamuis præsens tumor, & ciuilia nuper
Clássica, bellatrixque etiam nunc ira caleret,
In ducis eximium conspirauêre fauorem.
Haud aliter Xerxem toto simul orbe secutus
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes,
Et telis vmbrasse diem cùm classibus iret
Per scopulos, tectúmque pedes contemneret æquor.
Vix Alpes transgressus erat, nec iam ampliùs errat
Barbarus, aduentúmque tremens, se cogit in vnam
Planiciem, tutóque includit pascua gyro.
Tum duplici [N] *fossa non exuperabile vallum*
Asperat alternis sudibus, muríque locata
In speciem cæsis obtendit [O] *plaustra iuuencis.*
At procul exanguis Rufinum perculit horror
Infectæ [P] *pallore genæ,, stetit ore* [Q] *gelato*
Incertus, peteretne fugam, veniámue subactus
Posceret, an tantos sese transferret in hostes
Quid nunc diuitiæ? quid fului vasta metalli
Congeries? quid purpureis effulta columnis
Atria [R] *? prolatæ ve iuuant ad sidera moles?*

Audit iter, numerátque dies ſpatióque viarum
Metitur vitam, torquetur peſte futura.
Nec recipit ſomnos, & ſæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnámque luit formidine pœnæ.
Sed redit in rabiem ſcelerúmque immane reſumit
Ingenium, ſacráſque fores prædiuitis aulæ
Intrat, & Arcadium mixto terrore precatur.
Per fratris regale iubar, per fata parentis
Ætherei, florémque tui te deprecor aui
Eripe me gladijs, liceat Stilichonis iniquas
Euitare manus; in noſtram Gallia cædem
Coniurata venit; quicquid ligat vltima Tethys,
Extremos vltra volitat gens ſi qua Britannos
Mota mihi; tantis capiendi credimur armis,
Tot ſignis vnum petitur caput; vnde cruoris
Iſta ſitis? geminum cœli ſibi vendicat axem,
Et nullum vult eſſe patrem, ſuccumbere poſcit
Cuncta ſibi; regit Italiam, Libyámque coërcet,
Hiſpanis Galliſque iubet: non orbita ſolis.
Non illum natura capit; quaſcunque parauit
Hîc Auguſtus opes, & quas poſt bella recepit,
Solus habet; poſſeſſa ſemel non reddere curat.
Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur?
Nos premet obſidio? quid partem inuadere tentat?
Deſerat [s] *illyricos fines, Eoa remittat*
Agmina, fraternas ex æquo diuidat haſtas.
Nec ſceptri tantùm fueris, ſed militis hæres.
Quòd ſi diſſimulas noſtræ ſuccurrere morti,
Nec prohibere paras, Manes & ſidera teſtor

Hæc ceruix non sola cadet, miscebitur alter
Sanguis, nec Stygias ferar incomitatus ad vmbras,
Nec mea securus ridebit funera victor.
Hæc vbi; dictatur facinus; missúsque repentè
Qui ferat extortas inuito principe voces.
Interea Stilicho iam lætior hoste propinquo,
Nec multo spatij distantibus æquore vallis
Pugnandi cupidas accendit voce cohortes.
Armenijs frons læua datur, per cornua Gallos
Dexteriora locat. spumis ignescere fræna,
Pulueris extolli nimbos, altéque videres
Surgere purpureis vndantes anguibus hastas,
Serpentúmque vago cœlum sæuire volatu.
Implet Thessaliam ferri nitor, antráque docti
Cornipedis, teneróque amnis reptatus Achilli,
Et nemus Oetæum resonat clamore; niualis
Ossa tonat, pulsóque fragor geminatur Olympo.
Intumuit virtus, & lucis prodigus arsit
Impetus, haud illos rupes, haud alta vetarent
Flumina, præcipiti strauissent omnia cursu.
Si tunc his animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Græcia clades:
Oppida semoto Pelopeïa Marte vigerent,
Starent Arcadiæ, starent Lacedæmonis arces,
Non mare fumasset geminum flagrante Corintho,
Nec fera Cecropias traxissent vincula matres.
Illa dies potuit nostris imponere finem
Cladibus, & sceleris causas auferre futuri.
Inuida proh quantum rapuit Fortuna triumphum,

Inter equos, intérque tubas mandata feruntur
Regis & armati veniunt ductoris ad aures.
Obstupuit, simul ira virum, simul obruit ingens
Mæror, & ignauo tantùm licuisse nocenti
Miratur; dubios anceps sententia voluit
Euentus, peragat pugnas, an fortia cœpta
Deserat: Illyricis [x] *ardet succurrere damnis,*
Præceptis obstare timet: reuerentia frangit
Virtutis stimulos: hinc publica commoda suadent,
Hinc metus inuidiæ; tandem indignatus ad astra
Extollit palmas, & ab imo pectore fatur:
[y] *Numina Romanis nondum satiata ruinis,*
Si iuuat imperium penitus de stirpe reuelli,
Vno si placuit deleri sæcula lapsu.
Si piget humani generis, prorumpat in arua
Libertas effræna maris, vel limite nullo
Deuius errantes Phaëthon confundat habenas:
Cur per Rufinum geritur? procumbere mundum
Hoc autore pudet. medijs reuocamur ab armis,
Proh dolor, & strictos deponere cogimur enses.
Vos arsuræ vrbes, perituráque mœnia testor,
Cedo equidem, & miserum permitto cladibus orbem.
Flectite signa duces, redeat iam miles Eous.
Parendum est, taceant litui, prohibete sagittas,
Parcite, contiguo Rufinus præcipit hosti.
His dictis omnes vnà fremuere manipli,
Quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu,
Quantum non madidis illisa tonitrua Coris:
Secerníque negant, ereptáque prælia poscunt,

Insignémque ducem populus defendit vterque.
Et sibi quisque trahit, magno certatur amore,
Alternámque fidem non illaudata lacessit
Seditio, talíque simul clamore mouentur:
Quis mihi nudatos enses? quis tela lacertis
Excutit? & solui curuatos imperat arcus?
Quisnam audet leges, vibrato imponere ferro?
Inflammata semel nescit mitescere virtus.
Iam iam Barbaricos sitientia pila cruores
Sponte volant, vltróque manus mucrone furenti
Ducitur, & siccum gladium vagina recusat.
Non patiar. sempérne Getis discordia nostra
Proderit? En iterum belli ciuilis imago.
Quid consanguineas acies? quid [z] *diuidis olim*
Concordes aquilas; non dissociabile [A] *corpus*
Coniunctumque sumus, te quò libet ire sequemur:
Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thylen,
Te vel ad incensas Libyæ comitabor arenas;
Indorum si stagna petas, rubríque recessus
Littoris, auriferum veniam poturus Hydaspen;
Si calcare Notum, secretáque littora Nili
Nascentis iubeas, mundum post terga relinquam.
Et quocunque loco Stilicho tentoria figet,
Hic patria est. Dux inde vetat: Desistite quæso,
Atque auidam differte manum, cadat iste minacis
Inuidiæ cumulus. Non est victoria tanti,
Vt videar vicisse mihi; vos fida iuuentus
Ite mei quondam socij. nec plura loquutus
Flexit iter. Vacuo qualis discedit hiatu

Impatiens

Impatiens remeare [B] leo, quem plurima cuspis,
Et pastorales pepulerunt igne cateruæ,
Inclinátque iubas, demissáque lumina velat,
Et trepidas mœsto rimatur murmure syluas.
Vt sese legio vidit disiuncta relinqui,
Ingentem tollit gemitum, galeásque, solutis
Humectat lachrymis, pressámque morantia vocem
Thoracum [L] validos pulsant suspiria nexus.
Spernimur heu, tantúmque sequi prohibemur amorem
Exclamant, tradisne tuas dux optime dextras?
Quas tibi victrices toties Bellona probauit.
Nos adeò viles? adeò felicior axis
Hesperius? meruit qui te rectore teneri?
Quid nobis patriam? quid chara reuisere tandem
Pignora? dilectósue iuuat coluisse penates?
Te sine dulce nihil. iam formidata tyranni
Tempestas subeunda mihi, qui forte nefandas
Iam parat insidias, qui nos aut [D] turpibus Hunnis,
Aut impacatis famulos præstabit [E] Alanis.
Quanquam non adeò robur defecerit omne,
Tantáue gestandi fuerit penuria ferri.
Tu licet occiduo maneas sub cardine solis,
Tu mihi dux semper Stilicho, nostrámque vel absens
Experiere fidem; dabitur tibi debita pridem
Victima, promissis longè placabere sacris.
Tristior Æmonijs miles digressus ab oris
Tangebat Macetum fines, muró sque subibat
Thessalonica [F] tuos: sensu dolor hæret in alto
Abditus, & tacitas vindictæ præstruit iras:

O

Spectaturque fauens odijs locus, aptáque leto
Tempora, nec quisquam tanta de plebe repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quæ non posteritas, quæ non mirabitur ætas
Tanti consilium vulgi potuisse taceri?
Aut facinus tam grande tegi, mentísque calorem
Non sermone viæ, non inter pocula rumpi?
Æqualis tantam tenuit constantia turbam,
Et fuit arcanum populo. percurritur Hebrus,
Deseritur Rhodope, Thracúmque per ardua tendunt,
Donec ad c Herculei peruentum nominis vrbem.
Vt cessisse ducem, propius venisse cohortes
Cognita Rufino, magna ceruice triumphat,
Omnia tuta ratus sceptrúmque capescere feruet,
Et coniuratos hortatur voce clientes:
Vicimus, expulimus, facilis iam copia regni,
Nullus ab hoste timor, quis enim, quem vincere solum
Horruit? hunc tanto munitum milite vincat;
Quis ferat armatum? quem non superauit inertem?
I nunc exitium nobis meditare remotus
Incassum Stilicho: dum nos longissima tellus
Diuidat. & medijs Nereus interstrepat vndis,
Alpinas transire tibi me sospite rupes
Haud dabitur, iaculis illinc me figere tenta,
Quære ferox ensem qui nostra ad mœnia tendi
Possit ab Italia; non te monimenta priorum,
Non exempla vetant? quisquam conatus adire
Has iactat vitasse manus? detrusimus orbe
Te medio, tantísque simul spoliauimus armis.

Nunc epulas tempus, socij, nunc larga parare
Munera, donandúmque nouis legionibus aurum.
Opportuna meis oritur lux crastina votis:
Quod nolit, rex ipse velit, iubeátque coactus
In partem mihi regna dari; contingat in vno
Priuati fugisse modum crimenque tyranni.
Talibus acclamat dictis infame nocentum
Concilium, qui perpetuis creuere rapinis,
Et quos vna facit Rufino causa sodales,
Illicitum duxisse nihil, delicta fuere
Nexus amicitiæ; iam iam connubia læti
Despondent aliena sibi, frustráque vicissim
Promittunt quas quisque petat, quas deuoret vrbes.
Cœperat humanos alto sopire labores
Nox gremio, pigrásque sopor diffuderat alas,
Ille diu " *curis animum stimulantibus æger*
Labitur in somnos. vix toto corde quierat,
Ecce videt diras alludere protinus vmbras,
Quas dedit ipse neci: quarum quæ clarior vna
Visa loqui, Proh surge toro, quid plurima voluis
Anxius, hæc requiem rebus, finémque labori
Allatura dies; omni iam plebe redibis
Altior, & læti manibus portabere vulgi,
Has canit ambages: occulto fallitur ille
Omine, nec capitis fixi præsagia sensit.
Iam summum radijs stringebat Lucifer Hemum,
Festinámque rotam solito properantior vrget,
Tandem Rufini visurus funera Titan.
Prosiluit stratis, densæque capacia turbæ

Atria regifico iussit splendere paratu
Exceptura dapes, & quod post v ta dartur
Inscribi [K] *proprijs aurum fatale figuris:*
Ipse salutat um reduces post prælia turmas
Iam regale tumens, & principe celsior ibat,
Colláque fœmineo iactabat mollia gestu,
Imperij certus, tegeret ceu [L] *purpura tutum*
Corpus, & ardentes ambirent tempora gemmæ
[M] *Vrbis ab angusto tractu, quà vergit in Austrum*
Planicies vicina patet (nam cætera pontus
Circuit) exiguo dirimi se tramite passus.
Hîc vltrix acies ornatu fulgida ferri
Explicuit cuneos: pedites in parte sinistra
Consistunt, equites illinc poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sedare lupatis.
Hinc alij sæúum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores:
Quos operit, [N] *formátque chalybs coniuncta per artem*
Flexilis inductis [O] *hamatur lamina membris,*
(Horribilis visu) credas simulacra moueri
Ferrea, cognatóque viros spirare metallo.
Par vestitus equis, ferrata fronte minantur,
Ferratósque mouent securi vulneris armos,
Et iusso stat quísque loco, metuenda voluptas
Cernenti, [P] *pulchérque timor, spirísque remissis*
Mansuescunt varij vento cessante [Q] *dracones.*
Arcadius [R] *veneranda prior vexilla salutat,*
Ruffinus sequitur, qui fallere cuncta solebat
Callidus affatu, deuotáque brachia laudat

Nomine quénque vocans,[s] natósque patrésque reuersis
Nunciat incolumes: illi dum plurima ficto
Certatim sermone petunt, intendere longos
A tergo amplexus, insperatóque suprema
Circuitu sociare parant; decrescere campus
Incipit, & clypeis in se redeuntia iunctis
Curuo paulatim sinuantur cornua ductu.
Sic ligat immensa virides indagine syluas
Venator, sic attonitos ad littora pisces
Æquoreus populator agit, rarósque plagarum
Contrahit anfractus, & hiantes colligit oras;
Excludunt[T] alios, cingi se feruidus ille
Nescit adhuc, grauitérque apprensa veste morantem
Increpat[v] Augustum, scandat sublime tribunal
Participem sceptri, socium declaret honoris.
Cùm subitò stringunt gladios, vox desuper ingens
Infremuit, nobis etiam deterrime, nobis
Sperasti famulas imponere posse catenas?
Vnde[x] redi nescis? patiárne audire satelles?
Qui leges alijs, libertatémque redux?
Bis domitum ciuile nefas, bis rupimus Alpes,
Tot nos bella docent, nulli seruire tyranno.
Diriguit, spes nulla fugæ, seges vndique ferri
Circunfusa micat, dextra læuáque reuinctus
Hæsit, & ensiferæ stupuit mucrone coronæ.
Vt fera, quæ nuper montes amisit auitos,
Altorúmque exul nemorum, damnatur arenæ,
Verberibus commota ruit, vir murmure contrà
Hortatur,[Y] nixúsque genu venabula tendit.

Illa pauet strepitus, cuneósque erecta theatri
Despicit, & [A] tanti miratur sibila [B] vulgi.
Vnus per medios audendi pronior ense
Prosilit exerto, dictísque & vulnere toruus
Appetit. Hac Stilicho, quem iactas pellere dextra
Te [C] ferit, hoc absens inuadit viscera ferro.
Sic fatus; meritóque latus transuerberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauserit, & fessi pœnam [D] libauerit [E] orbis.
Mox omnes fodiunt hastis, artúsque trementes
Dilaniant, vno tot corpore pila tepescunt,
Et non infesto puduit mucrone reuerti.
Hi vultus auidos, & adhuc spirantia vellunt
Lumina; truncatos alij rapuere lacertos:
Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutis
Nexibus; hic fracti reserat curuamina dorsi,
Hic [F] iecur, hic cordis fibras, hic pandit anheli
Pulmonis latebras; spatium non inuenit ira,
Nec locus est odijs; consumpto funere vix tum
Deseritur, sparsúmque perit per tela cadauer.
Sic mons Aonius rubuit cùm Penthea ferrent
Mænades, aut subitò mutatum Actæona cornu
Traderet insanis Latonia virgo Molossis.
Criminibúsne tuis speras fortuna mederi?
Et male donatum certas æquare fauorem
Supplicijs? vna tot millia morte rependis?
Euersis agedum Rufinum diuide terris,
Da caput Othrysijs, truncum mereantur Achiui.
Quid reliquis dabitur? nec singula membra peremptis

Sufficiunt populis; vacuo plebs vndique muro
Iam secura ruit: senibus non obstitit ætas,
Virginibúsue pudor; viduæ quibus ille maritos
Abstulit, orbatæque ruunt ad gaudia matres,
Insultantque alacres; laceros iuuat ire per artus,
Pressáque calcato vestigia sanguine tingi.
Nec minus assiduis certant elidere saxis
Prodigiale caput: quod iam de cuspide summa
Nutabat digna rediens ad mœnia pompa.
Dextera [G] *quinetiam ludo concessa vagatur*
Æra petens, pœnasque animi persoluit auari
Terribili lucro, viuósque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.
[D] *Desinat elatis quisquam confidere rebus,*
Instabilésque deos, ac lubrica numina discat:
Illa manus quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cuius se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas, inhumata diu, miseróque reuulsa
Corpore feralem quæstum post fata poposcit,
Aspiciat, ne quis nimium sublata secundis
Colla gerat: triuijs calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos extruxit [I] *culmina manes;*
Et qui Sidonio velari credidit [K] *ostro,*
Nudus pascit aues: iacet en qui possidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur; nunquam, totiesque sepultus.
Senserunt conuexa necem, tellúsque nefandum
Emolitur onus, iam respirantibus astris;

Infernos grauat vmbra lacus, pater Aeacus horret,
Intrantémque etiam latratu Cerberus vrget.
Tunc animæ, quas ille fero sub iure peremit,
Circunstant, nigríque trahunt ad iudicis vrnam,
Infesto fremitu. Veluti pastoris in ora
Commotæ glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennásque cient, & spicula tendunt:
Et tenuis saxi per propugnacula cinctæ
Rimosam patriam, dilectáque pumicis antra
Defendunt; pronóque fauos examine velant.

[M] *Est locus infaustis, quo conciliantur in vnum*
Cocytus, Phlegethónque vadis, inamœnus vterque
Alueus: hic voluit lachrymas, hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, solidóque rigens adamante, sinistrum
Proluit igne latus. dextra Cocytia fundit
Æquora, triste gemens, & fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia secula vitam,
Deueniunt, vbi nulla manent discrimina fati,
Nullus honor, vanóque exutum nomine regem
Proturbat plebeius egens. quæsitor in alto
Conspicuus solio pertentat crimina Minos:
Et iustis dirimit sontes: quos nolle fateri
Viderit, ad mala mox transmittit verbera fratris.
Nam iuxta Rhadamanthus agit: cùm gesta superni
Curriculi, totósque diu prospexerit actus,
Exæquat damnum meritis, & muta ferarum
Cogit vincla pati: truculentos ingerit vrsis,
Predonésque lupis, fallaces vulpibus addit;

At qui

At qui desidia semper, vinóque grauatus
Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu,
Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui iusto plus esse loquax, arcanáque sueuit
Prodere, piscosas fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.
Quos vbi per varios annos, per mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ reuocat primordia formæ.
Tum quoque dum lites Stygijque negotia soluit
Dura fori, veteré[s]que reos ex ordine quærit,
Rufinum procul ecce notat, visúque seuero
Lustrat, & ex imo concussa sede profatur:
Huc superûm, labes, huc insatiabilis auri
Proluuies, precióque nihil non ause parato.
Quódque mihi summum scelus est: huc improbe legum
Venditor [N], *Arctoi simulator perfide Martis;*
Cuius ob innumeras strages angustus Auerni
Iam sinus, & plena lassatur portitor alno.
Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant [o] *maculæ, vitijsque inolevit imago,*
Nec sese commissa tegunt; genus omne dolorum,
In te ferre lubet: dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu, volucer te torqueat axis;
Te refugi fallant latices, atque ore natanti
Arescat decepta sitis; dapibúsque relictis
In tua mansurus migret præcordia vultur.
Quanquam omnes alij quos hæc tormenta fatigant
Pars quota sint Rufine tui? quid tale vel audax

P

Fulmine Salmoneus, vel lingua Tantalus egit?
Aut inconcesso Titius deliquit amore?
Cunctorum si facta simul iungantur in vnum
Praecedes numero; quo tanta piacula quisquam
Supplicio conferre valet? quid denique dignum
Omnibus inueniam? vincant quum singula poenas
Tollite de medijs animarum dedecus vmbris,
Aspexisse sat est, oculis iam parcite nostris,
Et Ditis purgate domos, agitate flagellis,
Trans Styga, trans Erebum, vacuo mandate Barathro
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos; quo Ditis opaci
Fundamenta latent, praeceps vbi mersus anhelet,
Dum rotat astra polus, feriunt dum littora venti.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES LIBRI SECVNDI IN RVFFINVM.

a ALPES. Hîc intelligenda est Theodosij victoria de Eugenio tyranno, qui non alia ratione dici potuit Gallorũ Rex, nisi quod Galliam Togatam siue insubres occupauerit, verùm ille se pro Imperatore gessit, neque B. Ambrosius ab eodem tacita vi oppressus dubitauit tandem ad eum Epistolam mittere, cuius hæc inscriptio: Clementissimo Imp. Eugenio, quinetiam in veteri nummo hæc reperias: Dn. Eugenius P. F. Aug. hic verò notare licet obiter viri sancti mitem sapientiam vtili astu, pro re nata, temperatam; qui columbæ instar sub aquila se deiecerit, eique laudem clementiæ tribuerit quem à ferocia hostili volebat diuertere, sic opinor anteà Maximus à Gallis nostris Clemens dicebatur; quod nomen eius numisma non præfert, plura suo loco dicentur.

b *SIDERE.* Notat Apotheos in magni illius Imp. Theodosij hîc venit in mentẽ nummi pulcherrimi vbi velata Principis effigies cum inscript. DIVVS Constantinus P. F. Aug. altera facie quatuor equi iugales sursum tendunt; ipse verò videtur ad cælum exsurgere manum manui cælesti porrigens: ex quibus comperio etiam orthodoxis Impp. id honoris delatum esse. Placet verò locus D. Ambrosij: Manet in lumine Theodosius, & sãctorum cœtibus gloriatur; ibi Gratianum complectitur; Dies, diei eructat verbum, deinde agens de Maximo & Eugenio ait: Nox nocti indicat scientiam.

c *VTRAQVE* Maiestas hac in parte variant historici, quod in Græcis aliquot excuso; nam veri simile est Rufinum hactenus, penes quem rerum summa in Oriente, id obtinuisse, vt Arcadij tutor crederetur. At Ambrosius qui mihi instar multorum, de Theodosio sic: Nihil habebat nouum quod conderet qui filiis totum dederat, nisi vt eos præsenti commendaret Parenti, id est Stilichoni, quæ Claudiani minimè mendacis dicta plus satis confirmat, neque idem Zosimus auctor elegans dubitauit scribere.

[a] *TVMVLTVS.* Videtur quid grauius quàm bellum, quia fortè deprehensis accidit, nulla clarigatione, qualis tumultus Gallicus, qui neminem ſoluebat militia, neque ipſos ſacerdotes teſte Plutarcho, ait enim in Camillo poſitam legem, Nequis immunis eſſet ſi, γαλατικὸς πόλεμος ingrueret.

[z] *CVNCTA* confundere. Tacitus: Difficile eſt temperare felicitati, qua te non putes diu vſurum. Statius: Non parcit populis regnum breue.

[f] *ÆMVLA ROMÆ.* Auſonius de Conſtantinopoli: quæ Noua & regnans Roma dicta eſt: Subit iſta nouiſque Excellens meritis veterem perſtringit honorem, hæc prius à Byzante condita, cuius & Phidaliæ vxoris ſtatuam fertur in Baſilica poſuiſſe Calliades cum hac inſcriptione: τὸν κρατερὸν Βύζαντα καὶ ἱμερτὴν Φιδάλειαν Ἐν ἑνὶ κοσμήσας ἄνθετο Καλλιάδης.

• *REVOCAT.* Rufinus vt gratiam à Getis ineat eorum habitum imitatur, ac pelles in pectora reuocat. Paulò delicatius eſt illud apud Iuuenalem: Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas, aliàs Reuocat fuluas in pectore pelles. Ouidius olim dixerat pellitos Getas.

[h] *CVRRVS* & Iura, hæc duo ſignant Conſulatum & Præfecturam Prætorij, quamuis enim Rufinus in Faſtis hoc anno non deſignetur: tamẽ credibile eſt id ſibi aſſumſiſſe, quia Olybr. ac Probinus Conſſ. erant vterque in Occidente.

[i] *PATRIÆ.* Num Stilichonis patria fuit Thracia aut Conſtantinopolis? vix credo, ſed hæc valent ad ſuadendum. Orientales enim ipſum, quem antea neglexere, pœnitentia ducti implorant hoc modo: hîc certè tua eſt patria, quandoquidem apud nos vxorem duxiſti, ex ea liberos ſuſcepiſti, denique domum hîc habes, ac pænè domicilium.

[k] *HERBIDA* velamina, hic locus librariorum inſcitia fuerat corruptus quod indignè tuli, itaque repoſui veterem lectionẽ herbidi coloris meminit Plin. éſtque epigramma apud Martialem lib. v. vbi: Herbarum fueras indutus, Baſſe, colores, iura theatralis cùm ſiluere fori, viridem ſanè ſed & floreum colorem fuiſſe quidam coniiciunt ex illo verſu Claud. in Panegyri Olyb. Te varijs pingent in floribus herbę, at ego virore ſed nobili ſum contentus, idque facit Papinius in ſyluis de veſtibus Glauciæ: Enormes non ille ſinus, ſed ſemper ad annos texta legens,

modò puniceo velabat amictu, Nunc herbas imitante sinu. Alij codices habuere: Feruida quid absurdum nimis?

^l^ *RHENVS* explorat nascentes. Gallos opinor intelligit, quos Celtas promiscuè vocitant Græci, nam Germanis prima & secunda fuere sub P. F. P. Galliarum, hunc verò morem Italis fortè tribuit Maro: Natos ad flumina primùm deferimus, sed vix credo explorandi causa, veriùs id tangit Tacitus de morib. Germ. In hanc rem vide Græcum Epigr. & Iuliani Imp. Epistolas.

^m^ *MENS* eadem cunctis, id præcipuum est in exercitu, nam nihil præstare hosti Fortuna maius potest, quàm hostium discordiam, auctore Tacito, denique nulla quamuis minima natio potest ab aduersarijs perdeleri, nisi proprijs simultatibus se ipsam consumserit, ait Vegetius.

^n^ *FOSSA.* Hæc nostri milites impauidi olim non obseruarũt nunc verò mos ille inoleuit. Sid, nec te fossa patens, nec hispidarum obiectu sudium coronat agger, at omnino ad rem Tibullus: Qua deceat tutam castris educere fossam, inde fossatum reperias.

^o^ *PLAVSTRA.* Hic locus viro militari perplaceat, éstque hęc barbara, sed egregia muri species, neque verò soli Getę bobus & plaustris vsi sunt: nam idoneus auctor scribit Carolum magnum vehiculo suo iunxisse boues seu bubalos, vide veterũ Francorum picturam apud Lazium.

^p^ *PALLORE.* Sic apud Plinium nequam ille Regulus notabiliter expalluit. Statio: vultus pallore notati.

^q^ *GELATO* ore. Stat. Sic fata gelatis Vultibus, & alibi: gelat ora pauor.

^r^ *ATRIA.* Hęc non de porticu illa insigni quam in vrbe Antiochia ad placandos ciues excitauit, teste Zosimo accipienda sunt, sed de Byzantino opere structurę admirabilis, Anthologię libro 4. memoratur, Ρυφίνιον ἄλσος, καὶ φαιδρὸν ἅσαλμα.

QVID PARTEM. Rectè id quidem, sed v. cod. habuit: Parem, quod non neglexit Cuiacius, nam in ora sui libri excusi ἴσον interpretatus est, vnde colligas quantum manuscriptis tribuerit, non enim nesciebat primam syllabam corripi.

[s] *ILLYRICOS* fines, quæstionis est vtrum Orienti an Occidenti adiudicari debeat Illyricum, ego sanè Honorij potius, quàm Arcadii seu Rufini causæ subscribo, quia in Notitia imperii præfecto Italię magnam eius partem subiectam reperio, de qua tantùm hîc agitur.

[t] *HASTAS.* Id est exercitum à Theodosio relictum, at Stilicho vt erat minime stolidus, & excors diuisit quidem exercitum hæreditarium, sed Asianos & minus strenuos, seu mauis reijculos, vt par erat, à se dimisit, si Zosimo creditur, neque enim id elicias ex hoc poëta, nisi quod verisimile est Gallicum exercitum, qui robustissimus, Italiæ addictum fuisse, nulla sane iniuria fit hac in parte Orientalibus, cùm suos milites & conterraneos in patriam reduces excipiant.

[v] *GRÆCIA.* Stilicho vt succurreret Achaiæ in Peloponnesum adpulit fugauitque barbaros in Pholoen, sed nihilominus spatium datur Alaricho in Epirum transeundi. Corinthus proditione Gerontij perijt. Athenæ longo tempore obsessę nec tamen captæ, sed matronas Athenienses in vinculis exhibet poëta, nisi Atticæ fines intelligas, denique Sparta viris & armis destituta capitur. Rufinus autem Alarichum, offensum alioqui, solicitauerat vt cum suis accederet occupaturus nemine repugnã te omnia, Zos hæc nos docuit.

[x] *ARDET* succurrere damnis. Stilicho principis Honorij socer futurus pupilli sui ius tueri cupit, atque Illyricum sub ditione Rufini ab Alaricho vi armata positum, recuperare, nequis verò putet hoc iniurium; Duplex fuit Illiricum; sed Occidentale has habuit prouincias: Dalmatiam, Pannoniam primã ac secundam, Sauiam, Valeriam & Noricum duplex.

[y] *NVMINA.* Martialis; Damnauit multo saturum iam sãguine Martem, vide Horat. odas.

[z] *AQVILAS* diuidis, ex hoc loco placet conijcere Aquilam imperialem non ab ratione duplicem aut bicipitem effingi, indicat enim duorum Impp. Orientis scilicet & Occidentis (quales fuere Arc. & Hon. fratres) concordiam, vnde merito B. Rhenanus ridet quendam tenebrionem, qui Maximiliano I. Imp. persuadere voluit vt duplicẽ Aquilã vel ære, vel marmore, vel pictura exprimi, tanquam monstrum aliquod, edicto vetaret.

[A] *CORPVS* coniunctum, miratus sum olim apud Ausonium almæ Trinitati conferri tres vnanimes Impp. nempe Valenti-

nianum Valentem & Gratianum hoc modo: Tale & terrenis specimen spectatur in oris Augustus genitor, deinde: Qui fratrem natúmque complexus vtrinque Numine, partitur Regnû neque diuidit vnum, omnia solus habens, atque omnia dilargitus.

[a] *LEO*. Bella comparatio de qua Scaliger senior: Frustratum præda leonem non ignobili carmine delineat Claudianus, de igne Lucr. Nam fouea atque igni prius est venarier.

[c] *THORACUM*. Pulchrè videtur exprimere cordati militis singultus. Statius: crepat singultibus aurum, id est, vt alibi, Arma sub auro, seu inaurata, confer Lucanum I. vbi Lælius primipilus iisdem pęnè verbis Cæsarem adloquitur, quibus hîc milites Stilichonem.

[D] *TURPIBUS HUNNIS*. supra de Hunnis aliquid attigimus, de quib[9] fabulas narrare videtur miscella historia: minutû, tetrum, & exile seu animal signis solis intelligibile, facies pauendæ nigredinis, imò ossa non facies, habétque magis puncta quàm lumina. Sidonius: Fornice non spaciosè magna vidêt spacia, quem vide. A Valente Imp. excepti sûnt, iísque agri in Thracia adsignati.

[E] *ALANIS*. Am. Marc. Alani ex montium appellatione cognominati, proceri pæne omnes, crinibus mediocriter flauis, oculorum temperata toruitate: iudicatur ab iis beatus qui in prælio animam fudit, quod etiam confirmat poëta de Bello Get.

[F] *THESSALONICA*. Vrbs amplissima Rufino cladis præteritæ, ni fallor auctori infensa.

[G] *HERCULEI*. Quidam vir insignis vrbem Heracleam explicat, non benè, quamuis ea sit πόλις τῆς θράκης. Herculeû verò nomen Byzantem indicat. Am. tradit Herculem comitis sui Bizantis memoriæ dedicasse vrbem quæ nunc Constantinopolis.

[H] *CURIS*. Instantibus curis ait Curtius, agitant sæpe per somnium species imminentium rerum.

[I] *CAPITIS* fixi. At enim Artemidoro, Somniantibus quid tale portenditur diadema.

[K] *INSCRIBI* aurum, hîc notabis quanta fuerit prærogatiua P. F. qui numos aureos sua figura cudere, ac donatiuum mili-

tibus, more imperatorum, dare constituerit.

[l] *PVRPVRA*. Marr. Non quicunque capit saturatas murice vestes, ac Præfectura Præt. teste Eunapio, βασιλεία ἐστὶν ἀπόρφυρος. Sanè olim apud nos Maior Palatij dici potuit, Ἔπαρχος τῆς βασιλικῆς αὐλῆς. Cedrenus de Rege Fr. ait, Προΐσχον ἔχειν γνώμην αὐτὸ καὶ τῷ ἔθνος εἰς πάντα πράγματα. Quod quidem nihil derogat Monarchiæ, sub cordato Principe, qui instar est summi magistratus, alter verò iudicis dati.

[m] *VRBIS* ab angusto. Constantinopolis tribus partibus mari alluitur, éstque pæninsula quam efficiunt Pontus, Bosphorus, Propontis, vide Socratem.

[n] *FORMATQVE* chalybs, egregia descriptio cui adiũgas locum Am. lib. 25. Liuius horridum militem esse vult, non cælatum auro, aut argento; sed ferro & animis fretum, ideò fortè Plutarchus adserit, non adeo ridiculam fuisse Diomedis & Glauci permutationem.

[o] *HAMATVR*. Quidam malunt Animatur, ego lectionem antiquam retinui. Hamatos vngues dixit Ouid. lib. 12. Met. Sed Lucretius 2. magis ad rem: Aut magis hamatis inter se pérque plicatis, quæ plane conueniunt loricæ nexili siue annulatæ. Idē iunctura horum optima constat, Est etiam quasi vt annellis, hamísque plicata: Virgilius pulchre: Loricam consertam hamis, auróque trilicē. Ne verò te lateat, in vet. Cod. non fuit adspiratio. Animatur verò non parum habet gratiæ, quæ cùm pulchrè eniteat in sequentibus dilata est, nō etiam ablata, vide autē nummos veterum Impp. dices nos non falli iudicio in loricæ descriptione siue Annellis siue squamis censeatur. Sed figuræ Diocletiani & Maximiani id satis indicant, vt alias omittam.

[p] *PVLCHERQVE* timor, elegans locus. Pacatus de Theodosio: populus visendi studio blandam tibi faciebat iniuriam, eadem figura, si non eodem sensu.

[q] *DRACONES*. Erant signa hastis infixa, vt Aquilæ non ignota indis, ac Persis & aliis gentibus. Cæterùm puto id Romanos fecisse in memoriam Æsculapij, de quo Ouidius in Met. Plin. Draconem eiusmodi ad sua tempora tradit propagatum fuisse, sed fraudem detegit Prosper Aquit. cùm ait mechanica arte formatum fuisse, gladium verò ore gestabat oculis gemmeo fulgore

meo fulgore rutilantibus, cui virgines misellæ ac iamiam in specum inopinatò lapsuræ deuouebantur. Propertius hæc fere attingit, sed hanc machinam religiosus quidam vir Stilichoni ob meritum cognitus subuertit. In epistola vet. Constantini Imp. ad Eusebium caue credas hunc intelligi Draconem Dei prouidentia de communi administratione depulsum; Maxentius enim fuit, atque eò nos traxit historiæ voluptas, & hic poeta ad historiam pertinet.

[u] *AVGVSTVS* salutat Vexilla. Arcadius scilicet labarum salutat venerandum propter crucem, siue nomen Christi, neque enim Dracones veneratur Christianus Imp. Vt Artabanus ille, qui adorauit Aquilas, & Cæsarum imagines: inde tamen haud probaueris poëtam hunc iam tum fuisse orthodoxũ nisi ex parte, ne verò mireris Dracones cum labaro misceri, Prudentium habes auctorem fide dignum vbi de Honorio & Stilichone ad pugnam euntibus: Prima hasta dracones Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert. Labarum autem hic pœta non recipit ob nouitatem dictionis, atque alia mente fortè quàm Iul. Imp.

[u] *NATOS* patrésque, Milites apud Tacitum neque coniugiis suscipiendis, neque liberis alendis assueti. Claudius verò Imp. militibus, quia vxores habere non poterant, ius maritorum ex lege indulsit, vt Dio probat?

[x] *EXCLVDVNT* alios, hæc dependent ex comparatione vt enim piscator minusculos pisces reiicit in aquam, & quasi excludit, vt opimiorem prædam retineat: sic militum corona inuoluit Rufinum huius rei imprudentem, hîc verò lux aliqua per me Claudiano adfulsit ni fallor.

[y] *ARCHADIVM*. Vetus liber habuit aspirationem, eámque omnes fere Græci agnoscunt quasi non ab Arcadia asinorũ nutrice, sed ἀπὸ τῆς ἀρχῆς deducatur quod est sanè pulchrius, vnde in numo Cuiacii hæc olim notauimus ΑΡΧΑΔΙΟΣ ΕΥΣΕΒ. At vet. inscriptiones quæ Romæ & numi in Italia cusi aliter fere se habent, vtrum malis elige.

[z] *REDI*. Pro Redij, sic vsus Statius, apud quem etiam, Inij, non semel pro Inii: vides quid possit vna vocula, imò vna litterula, sanè totus hic locus duxerat caliginem, absque hac monitione fuisset, verba sunt Gainæ quem alij Scytham, alij Cel-

tam perhibent, redibat autem ab Italia, vbi cum Theodosio anno superiore Alpes fregerat, id est Eugenium, fuit inter primos belli duces in illa expeditione; cæterà Stilichoni deditus, & qui Rufini cæde ipsum vlcisci non dubitauerit, vt vides.

[y] *VERBERIBVS*. Sic in v. cod. cum in aliis: Muneribus, quod est ineptum. Stat. lib. v. de fera quæ: Tardius arma mouet, stimulisque & verbere crebro in mores negat ire suos.

[z] *DISPICIT* & tanti, sic in vet. cod. Alij habent Despicit quod sanè arguit meritò iudiciosus Scaliger lib. v. Poet. Notabis, inquit, elocutionē: non despicit, sed suspicit, non contēnit, si pauet: Tanti, non satisfacit. Ego verò huic loco medicinam fieri credo vnius literæ mutatione; nam dispicere satis aptum, quoad illud Tanti videbis eodem planè modo apud idoneos auctores? apud Corippum feræ populorum millia circum Suspiciunt, magnóque metu mitescere discunt.

[a] *VVLGI*. Hìc designantur spectacula Romanorum, Tacitus ait: Romanos voluptatibus aduersus subiectos valuisse, quàm armis, exstat verò apud Dionem locus, vnde colligas non sine prudentia & ratione eiusmodi munera esse edita; Συμφέρει, γὰρ περὶ ταῦτα τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι.

[b] *TE FERIT*. Sarcasmos elegans, eadem pænè figura Quadratus occultum gladium properè educens ad Commodum Imp. dixit: Hoc te Senatus donat.

[c] *LIBAVERIT*. Ita vet. liber quod schedæ P. Gnosii viri eximii, & Mirandulæ excerpta præferunt, aliàs, Librauerit & quod nimis ineptum liberauerit, eadem figura Virgilius 12. dixit: degustat vulnere corpus, librauerit tamen defendi potest, vtcunque non etiam ante poni.

[d] *POENAM* orbis fessi. Rufinus enim adeò fuit oneri & pœnæ Orienti, vt pœna ipsa dici meruerit, sic Eutropius dicitur, Eoum crimen.

[e] *HIC* iecur, hoc verò est membra àrticulatim diuidere vt Cic. loquitur ad hunc locum pertinet versus ille Iambicus: Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. Vt lapsa quercus omnis hanc homo secat, denique mus virum improbum etiam infestat, deducto à Græcis prouerbio, quod turris non procul à Moguntia

in Rheno sita (si fas) indicat.

f *DEXTERA.* Manum Rufini dextram populus Byzantinus fertur abscidisse, ac per vias vrbis circuntulisse, vt ostiatim mēdicaret post mortem, qui viuus singulos argento emunxerat, quod pulchrè poëta enuntiauit. qui verò manum illam ostentabat, hęc sermone patrio quasi per iocum clamitabat : ΔΟΤΕ ΑΠΛΗΚΤΩ, vt habet gręca historia, cęterùm iis multùm pecunię ex re ludicra obtigit. B. Hieronymus : Rufini Caput pilo gestatum, abscissa manus dextra, ad dedecus insatiabilis auaritię, ostiatim stipem mendicauit.

g *DESINAT.* Hunc etiam locum proculdubiò imitatur B. Hieronymus, nam hęc poëta scripsit statim ab interitu Rufini, hunc vide, ne sæpius à me citetur, huc etiam pertinet illud Curtij : Magnę arbores diu crescunt, vna hora exstirpātur, firmis periculum ab inualido. Pacatus de alio tyranno : Quisquis imponere capiti diadema meditabitur, Maximi caput aspiciat.

h *CVLMINA.* Hîc notat Sepulchrum vacuū Rufini quod sibi viuens exstruxerat, id facile superauit, opinor cętera istius qui Mausolea, in his enim rebus plus satis excelluit, nequis verò templorum structurę minimè cessurum demiretur, constat enim fuisse Romę templum Probi viri inlustris, seu potius sepulchrum, mole sua & opere admirandum.

i *OSTRO* non igitur ei purpuræ honos contigit, verùm pro imperiali veste, seu purpura mors purpurea, vt ex Homero dicam.

k *VELVTI.* Hanc comparationem ex Papinio suo desumsit, quam habe vt conferas : Sic vbi puniceo pastor rapturus ab antro Armatas erexit apes, fremit aspera nubes, inque vicem sese stridore hortatur, & omnes Hostis in ora volant ; mox deficientibus alis Amplexæ paruámque domum, captiuáque linquunt Mella, laborantésque premunt ad pectora ceras.

l *EST LOCVS.* Apparet satis poëtæ visum esse Platonis Axiochum, vnde hæc dubio procul mutuatus est.

m *HVC* Superum labes, hæc Papinius 8. Quæ superum labes i-

nimicum impegit Auerno?

" *LEGVM* venditor, facile fuit Præfecto Prætorio leges figere ac refigere, non minùs quàm Tribuniano Ex quæstore Sacri Palatij de quo Suidas, auctor non adeo sublimis, indigna protulit. Procopius non item.

° *MACVLÆ.* Tacitus: Si tyrannorum mentes recludantur, possint adspici laniatus & ictus, quando vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur, inde Lucretio dilaniata anima dicitur, sed Platonem in Gorgia. Legimus etiam apud Lucianum: στίγματα τῆς ψυχῆς περιφέρει.

ᵖ *PIACVLA.* Vide Codicem Theodosi vbi multa de Rufini scelere & pœna. Symmachus: Pœnam Rufini secuta est publicatio facultatum, fides præsto est imperialibus signata præceptis, postea Prædonem annosum vocat. In Codice Th. Arc. & Hon. A A. Cæsario P P. Serenitatis nostræ prouisione solita commonemus, vt ea quæ Rufinus quondam, cùm viueret quoquo pacto possedit, in eodem statu maneant, nec quisquam sibi post eius obitum spontaneam vindicandi tribuat potestatem. Nam qui transacto tempore siluit, ac Rufinum tenere concessit Fiscum quoque nostrum sine præiudicio possidere patiatur. De vxore eius ac filia suprà diximus.

CL· CLAVDIANI
IN EVTROPIVM
LIBER I.

SEMIFEROS partus, metuendáque pignora matri,
Mœnibus in medijs auditum nocte luporum
Murmur, & attonito pecudes pastore loquutas,
Et lapidum duras hyemes, nimbóque minacem
Sanguineo rubuisse Iouem, puteósque cruore
Mutatos, visásque polo concurrere lunas,
Et geminos soles mirari desinat orbis.
Omnia cesserunt Eunucho consule monstra.
Heu terræ cœlique pudor, [b] trabeata per vrbes
Ostentatur anus, titulúmque effœminat anni.
Pandite pontifices Cumanæ carmina vatis,
Fulmineos [c] solers Hetruria consulat ignes,
Immensúmque nefas fibris exploret aruspex,
Quæ noua portendant superi: Nilúsne meatu
Deuius, & nostri tentat iam transfuga mundi,

Se rubro miſcere mari: ruptóne Niphate
Rurſum barbaricis Oriens vaſtabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Reſponſura ſeges? quæ tantas expiet iræ
Victima? quo diras [D] *iugulo placabimus aras?*
Conſule luſtrandi faſces, ipſóque litandum
Prodigio: quæcunque parant hoc omine fata
Eutropius ceruice luat [F]. *ſic omnia voluis?*
Hoc regni fortuna tenes? quænam iſta iocandi
Sæuitia? humanis quantum bacchabere rebus?
Si tibi ſeruili placuit fœdare curules
Crimine, procedat laxata compede conſul.
Rupta Quirinales ſumant [G] *ergaſtula cinctus.*
Des ſaltem quencunque [H] *virum: diſcrimina quædam*
Sunt famulis, ſpendórque ſuus, maculámque minorem
Conditionis habet domino qui vixerit vno.
Si pelagi fluctus, Libyæ ſi diſcis arenas,
Eutropij numerabis heros; quot iura, quot ille
Mutauit tabulas, vel quanta vocabula vertit.
Nudatus quoties: [K] *medicum dum conſulit emptor,*
Ne [L] *qua per occultum lateat iactura dolorem.*
Omnes pœnituit precij venúmque redibat,
Dum vendi potuit: poſtquam deforme cadauer
Manſit, & in rugas totus defluxit aniles,
Iam ſpecie doni certatim limine pellunt,
Et fœdum [M] *ignaris properant obtrudere munus.*
Tot tranſlata iugis ſummiſit colla, vetuſtum
Seruitium, ſempérque nouum, nec deſtitit vnquam:
Cepit ſæpe tamen. cunabula prima cruentis
Debita ſupplicijs; rapitur caſtrandus ab ipſo

Vbere [N] ; *suspiciunt matris* [O] *post viscera pœnæ.*
Aduolat Armenius certo mucrone recisos
Edoctus mollire mares, damnóque nefandum
Aucturus [P] *precium, fœcundum corporis* [Q] *ignem*
Sedibus exhaurit geminis, vnóque sub ictu
Eripit [R] *officium patris, nomenque mariti.*
Ambiguus vitæ iacuit, penitúsque supremum
In [S] *cerebrum secti traxerunt frigora nerui.*
Laudemusne manum, quæ vires abstulit hosti?
An potius [T] *fato causam tribuisse queramur?*
Profuerat mansisse virum, felicior extat
Opprobrio: seruiret adhuc, si fortior esset.
Inde per Assyriæ trahitur commercia ripæ.
Hinc fora venalis Galata ductore frequentat,
Permutátque domos varias; quis nomina possit
Tanta sequi? miles tabulis Ptolemæus in illis
Notior hîc longo lassatus pellicis vsu,
Donat [V] *Arintheo. neque enim iam dignus haberi*
Nec maturus emi; quum fastiditus abiret
Quæ genuit, quanto planxit diuortia luctu?
Hæc erat heu Ptolemæe fides, hoc profuit ætas
In gremio consumta tuo, lectúsque iugalis,
Et ducti toties inter [X] *præsepia somni?*
Libertas promissa perit; vidúumne relinquis
Eutropium? tantásque premunt obliuia noctes?
Crudelis, generis proh sors durissima nostri:
Fœmina cùm senuit retinet connubia partu,
Vxorísque decus matris reuerentia pensat.
Nos Lucina fugit, nec [Y] *pignore nitimur vllo:*
Cum forma dilapsus amor; defloruit oris

Iam ſcabie laceras [H] demiſit ſordidus aures,
Soluit, & exuto lucratur vincula collo.
Eſt vbi deſpectus nimius iuuat; vndique pulſo
Per cunctas licuit fraudes impune vagari.
Et fatis aperire viam, proh quiſquis Olympi
Summa tenes, tantóne libet mortalia riſu
Vertere? qui ſerui non eſt admiſſus in vſum,
Suſcipitur regnis; & quem priuata miniſtrum
Dedignata domus, [I] moderantem ſuſtinet aula.
Vt primùm vetulam texêre palatia vulpem,
Quis non ingemuit? quis non irrepere ſacris
Obſequijs doluit toties vanale cadauer?
Ipſi quin etiam tali conſorte fremebant
Regales famuli, quibus eſt illuſtrior ordo
Seruitij, ſociúmque diu ſpreuere ſuperbi.
Cernite quem Latijs poſcant adnectere faſtis;
Cuius & eunuchos puduit, ſed vilior antè
Obſcuræ latuit pars ignotiſſima turbæ,
Donec [K] Abundanti furijs qui rebus Eois
Exitium primóque ſibi produxit ab imis
Euectus thalamis, ſummos inuaſit honores.
Quàm bene diſpoſitum terris, vt dignus iniqui
Fructus conſilij, primis autoribus inſtet.
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inuentas primùm Buſiridis imbuit aras,
Et cecidit ſæui, quod dixerat, hoſtia ſacri.
Sic opifex tauri, tormentorúmque repertor,
Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum ſiculo cogente tyranno

Sensit opus, docuítque suum mugire iuuencum.
Nullius Eutropius, quàm qui se protulit antè
Direptas possedit opes, nullúmque priorem
Perculit exilio, solúmque hoc rite peregit,
Auctorem damnare suum; postquam obsitus æuo
Semiuir excelsam rerum sublatus in arcem.
Quod nec vota pati, nec fingere somnia possunt,
Vidit sub pedibus leges, subiectáque colla
Nobilium, tantúmque sibi permittere fata.
Qui nihil optasset plus libertate mereri,
Iam iam dissimulat dominos, altéque tumescunt
Seruiles animi: procerum squalore repletus
Carcer, & exulibus [L] *Meroë, campíque gemiscunt*
Æthiopum; pœnis hominum plaga personat ardens;
Marmaricus claris violatur cædibus Hammon.
Asperius [M] *nihil est humili, cúm surgit in altum:*
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes,
Vt se posse putent: nec bellua tetrior vlla est
Quàm serui rabies, in libera colla furentis,
Agnoscit gemitus, & pœnæ parcere nescit
Quam subijt, dominíque memor quem verberat, odit.
Adde quòd eunuchus nulla pietate mouetur,
Nec generi natísue cauet. clementia cunctis
In similes, animósque ligant consortia damni:
Ille nec eunuchis placidus; sed peius in aurum
Æstuat, hoc vno fruitur succisa libido.
Quid neruos secuisse iuuat? vis vlla cruentam
Castrat auaritiam; quæ paruis [N] *excita furtis,*
Quæ vastare penum, neglectáque sueuerat arte
Claustra remolliri: non vberiore rapina

Peccet in orbe manus: ° quicquid se Tigris ab Æmo
Diuidit, hoc certa proponit merce locandum
Institor imperij, caupo, famosus honorum.
Hic Asiam villa pactus regit, ille redemit
Coniugis ornatu Syriam: dolet ille paterna
Bithynos mutasse domo; suffixa patenti
Vestibulo pretijs distinguit regula gentes;
Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas;
Si phrygas, adde parum: propriæ solatia sortis
Communes vult esse notas, & venditus ipse
Vendere cuncta cupit; certantum sæpe duorum
Diuersum suspendit onus. cum pondere iudex
Vergit, & in geminas nutat prouincia [r] lances.
Non pudet heu superi populos venisse sub hastam
Vendentis: certe pudeat, quod iure sepultum
Mancipium [u] tot regna tenet, tot distrahit vrbes.
Pollentem solio Crœsum victoria Cyri
Fregit, vt eunucho fluerent Pactolus & Hermus?
Attalus hæredem voluit te Roma relinqui?
Restitit Antiochus præscripto margine Tauri
Indomitos curru Seruilius egit Isauros;
Et Pharos Augusto iacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæstus numerosior esset?
In mercem veniunt Cilices, Iudæa, Sophene,
Romanúsque labor, Pompeianique triumphi.
Quò struis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedunt opibus? nubas ducásue licebit,
Nunquam [s] mater eris, nunquam pater: hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat. te grandibus India gemmis,

Te folijs Arabes, ditent te vellere Seres:
Nullus inops adeò, nullum sic vrget egestas
Vt velit Eutropij fortunam & membra pacisci.
Iámque oblita sui, nec sobria diuitijs mens,
In miseras leges hominúmque negotia ludit.
Iudicat eunuchus. quid iam de consule miror?
Prodigium est quodcunque gerit. quæ pagina [T] *lites*
Fœmineas meminit? quibus vnquam secula terris
Eunuchi videre forum? sed ne qua vacaret
Pars ignominia neu quid restaret inausum,
Arma [V] *etiam violare parat, portentáque monstris*
Aggregat, & secum petulans amentia certat.
Erubuit Mauors, aduersaque risit Enyo,
Dedecus Eoum quoties intenta sagittis,
Et pharetra fulgens anus exercetur AmaZon?
Arbiter aut quoties belli pacísque recurrit,
Alloquitúrque Getas; gaudet cùm viderit hostis,
Et sentit iam deesse viros: incendia fumant,
Muris nulla fides squalent populatibus agri,
Et medio spes sola mari trans Phasin aguntur
Cappadocum matres, stabulísque abducta paternis
Caucaseas captiua bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argæi pabula syluis:
Extra Cimmerias taurorum claustra paludes.
Flos Syriæ feruet spolijs, nec sufficit atrox
Barbarus, in cædem vertit fastidia prædæ.
Ille tamen quid enim [X] *seruum mollémque pudebit?*
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?
Pro victore redit; peditum vexilla sequuntur,
Et turmæ similes, eunuchorúmque [Y] *manipli,*

Helle spontiacis legio dignissima signis:
Obuius ire cliens, defensorémque reuersum
Complecti. placet ipse sibi laxásque laborat
Distendisse genas, fictúmque inflatus anhelat,
Puluere respersus tineas, & solibus ora
Pallidior, verbísque sonat plorabile quiddam
Vltra nequitiam fractis, & prælia narrat,
Pérque suam tremula testatur voce sororem
Defecisse vagas ad publica commoda vires:
Cedere liuori, nec sustentare procellas
Inuidiæ, mergíque fretis spumantibus orat,
Exorétque vtinam. dum talia fatur, ineptas
Detergit lacrymas, atque inter singula dicta
Flebile suspirat. Qualis venit arida socrus
Longinquam visura nurum, vix lassa resedit,
Et iam vina petit. quid te turpissime bellis
Inseris aut sæui pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius studijs hærere Mineruæ
Tutelas, non tela pati, tu stamina nosse,
Tu segnes operum solers vrgere puellas,
Et niueam dominæ pensis inuoluere lanam.
Vel si sacra placent, habeas pro Marte Cybelem,
Rauca Celenæos ad tympana disce furores:
Cymbala ferre licet, pectúsque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygijs abscindere cultris:
Arma relinque viris, geminam quid diuidis aulam?
Conarísque pios odijs committere fratres?
Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
Conciliare decet; gestis pro talibus Annum
Flagitat Eutropius, ne quid non polluat vnus

Dux acies, iudex prætoria; tempora consul.
Nil adeò fœdum est, quod non exacta vetustas
Ediderit, longique labor commiserit æui.
Oedipodes matrem, natam duxisse Thyestes
Cantatur: peperit fratres Iocasta marito,
Et Pelopea sibi Thebas. ac funera Troiæ
Tristis Erichthæi deplorat scena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem,
Scylla nouos mirata canes. hunc arbore figit,
Eleuat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit,
Hanc soluit fluuio: nunquam spado consul in orbe,
Nec iudex, ductorue fuit: quodcumque virorum
Est decus, eunuchi scelus est: exempla creantur
Quæ socci superent risus, luctúsque cothurni.
Quàm pulchre [z] *conspectus erat? cùm tenderet artus*
Exangues [A] *onerare toga, cinctúque grauatus;*
Inductóque senex obscænior iret in auro.
Humani qualis simulator [B] *Simius oris:*
Quem puer arridens, pretioso stamine Serum
Velauit, nudásque nates ac terga reliquit,
Ludibrium mensis, erecto pectore diues
Ambulat, & claro sese deformat amictu.
Candida pollutos comitantur curia fasces.
Forsitan & dominus præbet miracula lictor
Consule nobilior. libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal,
Atque inter proprias laudes Ægyptia iactat
Somnia, prostratósque canit se vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum Spado Tyresias, eneruatúsque Melampus

Reptat, ab extremo referens [C] oracula Nilo.
Obstrepuere auium voces, exhorruit annus
Nomen; & insanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchúmque vetat fastis accedere Janus.
Sumeret illicitos etenim si fœmina fasces,
Esset turpe minus. Medis, leuibúsque Sabæis
Imperat [D] hic sexus; reginarúmque sub armis
Barbariæ pars magna iacet, gens nulla probatur
Eunuchi [E] quæ sceptra ferat. Tritonia, Phœbe,
Vesta, Ceres, Cybele, Juno, Latona, coluntur.
Eunuchi quæ templa Dei; quas vidimus aras?
Inde sacerdotes, hæc intrat pectora Phœbus,
Inde canunt Delphi; Troianam sola Mineruam,
Virginitas vestalis adit, flammásque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, sempérque [F] prophani.
Nascitur ad fructum mulier, prolémque futuram:
Hoc genus inuentum est vt seruiat. Herculis arcu
Concidit Hyppolyte: Danaï fugêre bipennem
Penthesilea tuam: claras Carthaginis arces
Creditur, & centum portis Babylona superbam
Fœmineus struxisse labor. Quid nobile gessit
Eunuchus? quæ bella tulit, quas condidit arces?
Illas præterea rerum natura creauit,
Hos fecere manus: Seu prima Semiramis astu
Assyrijs mentita virum, ne vocis acutæ
Mollicies, læuésque genæ se prodere possent,
Hos sibi coniunxit similes: seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis vmbram,
Seruatóque diu puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri seruire iuuentam.

Fama prius falso similis, vanóque videri
Ficta ioco; leuior, volitare per oppida rumor,
Riderique nefas; veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, coruo certante ligustris.
Atque aliquis grauior morum, Si talibus, inquit,
Creditur, & nimijs turgent mendacia monstris:
Iam testudo volat, profert iam cornua vultur,
Prona petunt retro fluuij vada, Gadibus ortum
Armenij texere diem, iam frugibus aptum
Æquor, & assuetum syluis delphina videbo.
Iam [H] *cochleis homines iunctos, & quicquid inane*
Nutrit, Iudaicis quæ pingitur [I] *India velis.*
Subijcit, & mixtis salibus lasciuior alter:
Miraris? nihil est quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius, semper noua, grandia semper
Diligit, & celeri degustat singula sensu.
Nil timet à tergo: vigilantibus vndique curis
Nocte diéque patet: lenis facilísque moueri
Supplicibus, mediáque tamen [K] *mollissimus ira.*
Nil negat, & sese vel non poscentibus offert.
Quodlibet [L] *ingenio subigit, tradítque fruendum.*
Quicquid amas, dabit illa manus, communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.
Hoc quoque consilijs peperit, meritóque laborum
Accipit, & trabeas argutæ præmia dextræ.
Postquam [M] *vera fides facinus vulgauit Eoum*
Gentibus, & Romæ iam certius impulit aures:
Eutropiúmne etiam nostra dignabimur ira?
Hic quoque Romani meruit pars esse doloris,
Sic effata, rapit cœli per inania cursum

Gratia: qua miseri [z] scapulas tutabimur arte?
Qua placeam ratione senex? sic fatus, acutum
Aggreditur lenonis opus, nec segnis ad artem
Mens erat, officiíque capax; omnésque pudoris
Hauserat insidias, custodia nulla tuendo
Fida toro, nulli poterant excludere vectes.
Ille vel ærata Danaën sub turre latentem
Eliceret, fletus domini fingebat amantis,
Indomitásque mora, pretio lenibat auaras,
Lasciuásque iocis; nec blandior vllus euntis
Ancillæ tetigisse latus, leuitérque reductis
Vestibus occulto crimen mandasse susurro:
Nec furtis quæsisse locum, nec fraude reperta
Cautior elusi fremitus vitare mariti.
Haud aliter iuuenum [a] flammis Ephyreïa Lais
E gemino ditata mari, cùm serta refundit
Canicies: iam turba procax, noctisque recedit
Ambitus, & raro pulsatur ianua tactu,
Séque reformidat speculo damnante senectus.
Stat tamen, atque alias succingit lena ministras,
Dilectúmque diu quamuis longæua lupanar
Circuit, & retinet mores, quos perdidit ætas.
Hinc honor Eutropio, cúmque omnibus vnica virtus
Esset in eunuchis, thalamos seruare pudicos,
Solus adulterijs creuit, nec verbera tergo
Cessauere tamen, quoties decepta libido
Irati caluisset heri; frustráque rogantem,
Iactantémque suos tot iam per lustra labores,
Dotalem genero, nutritorémque puellæ
Tradidit. Eous rector consúlque futurus,

Pectebat

Pectebat dominæ crines, & sæpe [B] lauanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ:
Et cùm se rapido fessam proiecerat æstu,
Patritius roseis pauonum ventilat alis.
Iámque æuo [D] lassata cutis, sulcísque genarum
Corruerat, passa facies rugosior vua:
Flaua minus presso finduntur vomere rura:
Nec vento sic vela tremunt. miserabile turpes
Exedêre caput tineæ, desecta patebant
Interualla comæ: qualis sitientibus aruis
Arida ieiunę seges interlucet aristæ:
Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco [F] brumalis hirundo.
Scilicet vt trabeis iniuria cresceret olim,
Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ fortuna suę: cùm pallida nudis
Ossibus, horrorem dominis præberet imago
Decolor, & macies occursu lęderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,
Aut crimen famulis, aut [G] procedentibus omen;
Et nihil exhausto caperent in stipite lucri.
Sternere quippe toros, vel cædere ligna culinæ
Membra negant, aurum, vestes, arcana tueri
Mens infida vetat, quis enim committere vellet
Lenoni thalamum? tandem ceu fumus acerbum
Infaustámque suis trusere penatibus vmbram.
Contemptu iam liber erat. Sic pastor obesum
Lacte canem, ferróque ligat, pascítque reuinctum,
Dum validus seruare gregem, vigilíque rapaces
Latratu terrere Lupos: cùm tardior idem

Iam scabie laceras [H] demisit sordidus aures,
Soluit, & exuto lucratur vincula collo.
Est vbi despectus nimius iuuat; vndique pulso
Per cunctas licuit fraudes impune vagari.
Et fatis aperire viam, proh quisquis Olympi
Summa tenes, tantóne libet mortalia risu
Vertere? qui serui non est admissus in vsum,
Suscipitur regnis; & quem priuata ministrum
Dedignata domus, [I] moderantem sustinet aula.
Vt primùm vetulam texêre palatia vulpem,
Quis non ingemuit? quis non irrepere sacris
Obsequijs doluit toties venale cadauer?
Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
Regales famuli, quibus est illustrior ordo
Seruitij, sociúmque diu spreuere superbi.
Cernite quem Latijs poscant adnectere fastis;
Cuius & eunuchos puduit, sed vilior antè
Obscuræ latuit pars ignotissima turbæ,
Donec [K] Abundanti furijs qui rebus Eois
Exitium primóque sibi produxit ab imis
Euectus thalamis, summos inuasit honores.
Quàm bene dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij, primis autoribus instet.
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem,
Inuentas primùm Busiridis imbuit aras,
Et cecidit sæui, quod dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorúmque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum siculo cogente tyranno

Sensit opus, docuítque suum mugire iuuencum.
Nullus Eutropius, quàm qui se protulit antè
Direptas possedit opes, nullúmque priorem
Perculit exilio, solúmque hoc rite peregit,
Auctorem damnare suum; postquam obsitus æuo
Semiuir excelsam rerum sublatus in arcem.
Quod nec vota pati, nec fingere somnia possunt,
Vidit sub pedibus leges, subiectáque colla
Nobilium, tantúmque sibi permittere fata.
Qui nihil optasset plus libertate mereri,
Iam iam dissimulat dominos, altéque tumescunt
Seruiles animi: procerum squalore repletus
Carcer, & exulibus [L] *Meroë, campíque gemiscunt*
Æthiopum; pœnis hominum plaga personat ardens;
Marmaricus claris violatur cædibus Hammon.
Asperius [M] *nihil est humili, cúm surgit in altum:*
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes,
Vt se posse putent: nec bellua tetrior vlla est
Quàm serui rabies, in libera colla furentis,
Agnoscit gemitus, & pœnæ parcere nescit
Quam subijt, dominique memor quem verberat, odit.
Adde quòd eunuchus nulla pietate mouetur,
Nec generi natísue cauet. clementia cunctis
In similes, animósque ligant consortia damni:
Ille nec eunuchis placidus; sed peius in aurum
Æstuat, hoc vno fruitur succisa libido.
Quid neruos secuisse iuuat? vis vlla cruentam
Castrat auaritiam; quæ paruis [N] *excita furtis,*
Quæ vastare penum, neglectáque sueuerat arte
Claustra remolliri: non vberiore rapina

Peccet in orbe manus: [o] quicquid se Tigris ab Æmo
Diuidit, hoc certa proponit merce locandum
Institor imperij, caupo, famosus honorum.
Hic Asiam villa pactus regit, ille redemit
Coniugis ornatu Syriam: dolet ille paterna
Bithynos mutasse domo; suffixa patenti
Vestibulo pretijs distinguit regula gentes;
Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas;
Si phrygas, adde parum: propriæ solatia sortis
Communes vult esse notas, & venditus ipse
Vendere cuncta cupit; certantum sæpe duorum
Diuersum suspendit onus. cum pondere iudex
Vergit, & in geminas nutat prouiucia [p] lances.
Non pudet heu superi populos venisse sub hastam
Vendentis: certe pudeat, quód iure sepultum
Mancipium [R] tot regna tenet, tot distrahit vrbes.
Pollentem solio Crœsum victoria Cyri
Fregit, vt eunucho fluerent Pactolus & Hermus?
Attalus hæredem voluit te Roma relinqui?
Restitit Antiochus præscripto margine Tauri
Indomitos curru Seruilius egit Isauros;
Et Pharos Augusto iacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæstus numerosior esset!
In mercem veniunt Cilices, Iudæa, Sophene,
Romanúsque labor, Pompeianique triumphi.
Quò struis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedunt opibus? nubas ducásue licebit,
Nunquam [s] mater eris, nunquam pater: hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat. te grandibus India gemmis,

Te folijs Arabes, ditent te vellere Seres:
Nullus inops adeò, nullum sic vrget egestas
Vt velit Eutropij fortunam & membra pacisci.
Iámque oblita sui, nec sobria diuitijs mens,
In miseras leges hominúmque negotia ludit.
Iudicat eunuchus. quid iam de consule miror?
Prodigium est quodcunque gerit. quæ pagina [T] lites
Fœmineas meminit? quibus vnquam secula terris
Eunuchi videre forum? sed ne qua vacaret
Pars ignominia neu quid restaret inausum,
Arma [V] etiam violare parat, portentáque monstris
Aggregat, & secum petulans amentia certat.
Erubuit Mauors, aduersaque risit Enyo,
Dedecus Eoum quoties intenta sagittis,
Et pharetra fulgens anus exercetur AmaZon?
Arbiter aut quoties belli pacísque recurrit,
Alloquitúrque Getas; gaudet cùm viderit hostis,
Et sentit iam deesse viros: incendia fumant,
Muris nulla fides squalent populatibus agri,
Et medio spes sola mari trans Phasin aguntur
Cappadocum matres, stabulísque abducta paternis
Caucaseas captiua bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argæi pabula syluis:
Extra Cimmerias taurorum claustra paludes.
Flos Syriæ feruet spolijs, nec sufficit atrox
Barbarus, in cædem vertit fastidia prædæ.
Ille tamen quid enim [X] seruum mollémque pudebit?
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?
Pro victore redit; peditum vexilla sequuntur,
Et turmæ similes, eunuchorúmque [Y] manipli,

Helle spontiacis legio dignissima signis:
Obuius ire cliens, defensorémque reuersum
Complecti. placet ipse sibi laxásque laborat
Distendisse genas, fictúmque inflatus anhelat,
Puluere respersus tineas, & solibus ora
Pallidior, verbísque sonat plorabile quiddam
Vltra nequitiam fractis, & prælia narrat,
Pérque suam tremula testatur voce sororem
Defecisse vagas ad publica commoda vires:
Cedere liuori, nec sustentare procellas
Inuidiæ, mergíque fretis spumantibus orat,
Exorétque vtinam. dum talia fatur, ineptas
Detergit lacrymas, atque inter singula dicta
Flebile suspirat. Qualis venit arida socrus
Longinquam visura nurum, vix lassa resedit,
Et iam vina petit. quid te turpissime bellis
Inseris aut sæui pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius studijs hærere Mineruæ
Tutelas, non tela pati, tu stamina nosse,
Tu segnes operum solers vrgere puellas,
Et niueam dominæ pensis inuoluere lanam.
Vel si sacra placent, habeas pro Marte Cybelem,
Rauca Celenæos ad tympana disce furores:
Cymbala ferre licet, pectúsque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygijs abscindere cultris:
Arma relinque viris, geminam quid diuidis aulam?
Conarísque pios odijs committere fratres?
Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
Conciliare decet; gestis pro talibus Annum
Flagitat Eutropius, ne quid non polluat vnus

Dux acies, iudex prætoria; tempora consul.
Nil adeò fœdum est, quod non exacta vetustas
Ediderit, longique labor commiserit æui.
Oedipodes matrem, natam duxisse Thyestes
Cantatur: peperit fratres Iocasta marito,
Et Pelopea sibi Thebas. ac funera Troiæ
Tristis Erichthæi deplorat scena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem,
Scylla nouos mirata canes. hunc arbore figit,
Eleuat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit,
Hanc soluit fluuio: nunquam spado consul in orbe,
Nec iudex, ductorue fuit: quodcumque virorum
Est decus, eunuchi scelus est: exempla creantur
Quæ socci superent risus, luctúsque cothurni.
Quàm pulchre [z] *conspectus erat? cùm tenderet artus*
Exangues [A] *onerare toga, cinctúque grauatus;*
Inductóque senex obscœnior iret in auro.
Humani qualis simulator [B] *Simius oris:*
Quem puer arridens, pretioso stamine Serum
Velauit, nudásque nates ac terga reliquit,
Ludibrium mensis, erecto pectore diues
Ambulat, & claro sese deformat amictu.
Candida pollutos comitantur curia fasces.
Forsitan & dominus præbet miracula lictor
Consule nobilior. libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal,
Atque inter proprias laudes Ægyptia iactat
Somnia, prostratósque canit se vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum spado Tyresias, eneruatúsque Melampus

Reptat, ab extremo referens [c] oracula Nilo.
Obstrepuere auium voces, exhorruit annus
Nomen; & insanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchúmque vetat fastis accedere Janus.
Sumeret illicitos etenim si fœmina fasces,
Esset turpe minus. Medis, leuibúsque Sabæis
Imperat [D] hic sexus, reginarúmque sub armis
Barbariæ pars magna iacet, gens nulla probatur
Eunuchi [E] quæ sceptra ferat. Tritonia, Phœbe,
Vesta, Ceres, Cybele, Juno, Latona, coluntur.
Eunuchi quæ templa Dei; quas vidimus aras?
Inde sacerdotes, hæc intrat pectora Phœbus,
Inde canunt Delphi; Troianam sola Mineruam,
Virginitas vestalis adit, flammásque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, sempérque [F] prophani.
Nascitur ad fructum mulier, prolémque futuram:
Hoc genus inuentum est vt seruiat. Herculis arcu
Concidit Hyppolyte: Danaï fugêre bipennem
Penthesilea tuam: claras Carthaginis arces
Creditur, & centum portis Babylona superbam
Fœmineus struxisse labor. Quid nobile gessit
Eunuchus? quæ bella tulit, quas condidit arces?
Illas præterea rerum natura creauit,
Hos fecere manus: Seu prima Semiramis astu
Assyrijs mentita virum, ne vocis acutæ
Mollicies, læuésque genæ se prodere possent,
Hos sibi coniunxit similes: seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis vmbram,
Seruatóque diu puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri seruire iuuentam.

Fama

Fama prius falso similis, vanóque videri
Ficta ioco; leuior, volitare per oppida rumor,
Riderique nefas; veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, coruo certante ligustris.
Atque aliquis grauior morum, Si talibus, inquit,
Creditur, & nimijs turgent mendacia monstris:
Iam testudo volat, profert iam cornua vultur,
Prona petunt retro fluuij vada, Gadibus ortum
Armenij texere diem, iam frugibus aptum
Æquor, & assuetum syluis delphina videbo.
Iam [H] cochleis homines iunctos, & quicquid inane
Nutrit, Iudaicis quæ pingitur [I] India velis.
Subijcit, & mixtis salibus lasciuior alter:
Miraris? nihil est quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius, semper noua, grandia semper
Diligit, & celeri degustat singula sensu.
Nil timet à tergo: vigilantibus vndique curis
Nocte diéque patet: lenis facilísque moueri
Supplicibus, mediáque tamen [K] mollissimus ira.
Nil negat, & sese vel non poscentibus offert.
Quodlibet [L] ingenio subigit, tradítque fruendum.
Quicquid amas, dabit illa manus, communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.
Hoc quoque consilijs peperit, meritóque laborum
Accipit, & trabeas argutæ præmia dextræ.
Postquam [M] vera fides facinus vulgauit Eoum
Gentibus, & Romæ iam certius impulit aures:
Eutropiúmne etiam nostra dignabimur ira?
Hic quoque Romani meruit pars esse doloris,
Sic effata, rapit cœli per inania cursum

Diua potens, vnoque Padum translapsa volatu,
Castra sui rectoris adit. Tum fortè decorus
Cum Stilichone gener, pacem implorantibus vltro
Germanis responsa dabat, legesque Caycis
Aruuus, & flauis signabat iura Seüuis
His tribuit leges, his obside fœdera sancit
Indicto, bellorum alios transcribit in vsus,
Militet vt nostris detonsa Sicambria signis.
Læta subit Romam pietas, & gaudia penè
Mouerunt lachrymas, tantóque exultat alumno.
Sic armenta suo iam defensante iuuenco
Celsius assurgunt erectæ cornua matri.
Sic iam terribilem stabulis, dominumque ferarum
Crescere miratur genitrix Massyla leonem.
Dimouit nebulam, iuueníque apparuit ingens,
Tunc sic orsa loqui: Quantum te principe possim
Non longinqua docent, domito quòd Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto,
Ante pedes humili Franco, tristíque Sueuo
Perfruor, & nostrum video, Germanice, Rhenum
Sed quid agam? discors Oriens felicibus actis
Inuidet, atque alio Phœbi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
Gildonis taceo magna cum laude receptam
Perfidiam, & fretos Eoo robore Mauros.
Quæ suscepta fames; quantum discriminis vrbi
Ni tua, vel soceri nunquam non prouida virtus,
Australem Arctois pensasset frugibus annum
Inuectæ Rhodani Tyberina per ostia classes.
Cyniphijsque ferax Araris successit aristis;

Teutonicus vomer, Pyrenéique iuuenci
Sudauere mihi: segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Libyæ senserunt damna rebellis,
Iam transalpina contenti messe Quirites.
Ille quidem meritas soluit (scit Tabraca) pœnas:
Vt pereat quicunque tuis conflixerit armis.
Ecce recens ijsdem clades à partibus exit,
Terroríque minus, sed plus habitura pudoris:
Eutropius consul, pridem tolerare fatemur,
Hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu
Sustulit, & nostros corrupit Parthia mores.
Præfecti sed adhuc gemmis, vestíque dabantur
Custodes, sacróque adhibere silentia somno:
Militia eunuchi nunquam progressa cubile;
Non vita spondente fides sed inertia tantum
Mentis pignus erat; secreta monilia seruent,
Ornatus curent Tyrios; à fronte recedant
Imperij: tenero tractari pectore nescit
Publica maiestas; nunquam vel in æquore puppin
Vidimus eunuchi clauo parere magistri.
Nos adeò sperni faciles? orbísque carina
Vilior? Auroram certè, quæ talia ferre
Gaudet, & assuetas sceptris muliebribus vrbes,
Possideant, quid belli feram communibus vrunt
Italiam maculis? nociturúque probra seueris.
Admiscent populis? peregrina piacula forti.
Pellantur longè Latio; ne transeat Alpes
Dedecus; in solis quibus extitit hæreat aruis.
Scribat Halys, scribat famæ contemptor Orontes,
Per te, perque tuos obtestor Roma triumphos

Nesciat hoc Tybris, nunquam poscentibus olim,
Qui dare Dentatis annos, Fabijsque solebat.
Martius eunuchi repetet suffragia campus?
Æmylios inter, seruatoresque Camillos
Eutropius? iam Chrysogonis tua Brute potestas
Narcissisque datur, natos hoc dedere pœnæ
Profuit? & misero ciuem præponere patri?
Hoc mihi Ianiculo positis Etruria castris
Quæsijt, & tantum fluuio Porsenna remotus?
Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?
Visceribus frustra castum Lucretia ferrum
Mersit, & attonitum tranauit Clœlia Tybrim?
Eutropio fasces ad seruabuntur, adempti
Tarquinijs? quencunque meæ vexere curules
Laxato veniat socij spectator Auerno.
Impensi sacris Decij prorumpite bustis,
Torquatique truces, animosaque pauperis vmbra
Fabritij, tuque ô si forte inferna piorum
Iugera, & Elysias scindis Serrane nouales,
Pœno Scipiade Pœno præclare Lutati,
Sicania Marcelle ferox: gens Claudia surgat,
Et Curij veteres, & qui sub iure negasti
Viuere Cæsareo paruo procede sepulchro
Eutropium passure Cato, remeate tenebris
Agmina Brutorum, Coruinorúmque cateruæ,
Eunuchi vestros habitus, insignia sumunt
Ambigui Romana mares, rapuere tremendas
Annibali, Pyrrhóque togas: flabella perosi
Aspirant trabeis: iam non vmbracula gestant
Virginibus, Latias ausi vibrare secures.

Linquite fœmineas infelix turba latebras,
Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter
Execti veneris stimulos & vulnere casti.
Mixta duplex ætas, inter puerúmque senémque
Nil medium, falsi complete sedilia patres.
Ite noui proceres, infœcundóque senatu
Eutropium stipate ducem; celebrate tribunal
Pro thalamis, verso iam discite more curules,
Non matrum pilenta sequi; ne prisca reuoluam,
Neu numerem, quantis iniuria mille per annos
Sit retro ducibus, quanti fœdabitur æui
Canicies? vnam subeant quot sæcula culpam?
Inter Arinthei [R] fastus, & nomen herile
Seruus erit, dominóque suos æqualis honores
Inseret, heu semper Ptolemæi noxia mundo
Mancipia, en alio lædor grauiore Photino,
Et patior maius Phario scelus, ille cruorem
Consulis vnius Pellęis ensibus hausit:
Inquinat hic omnes, si nil priuata mouebunt,
At tu principibus, nostræ tu prospice causæ,
Regaléśque auerte notas, hunc accipit vnum
Aula magistratum, vobis, patribúsque recurrit
Hîc alternus honos; in crimen euntibus annis
Parce quater consul: contagia fascibus oro
Defendas ignaua tuis. neu tradita libris
Omnia, vestitúsque meos, quibus omne quod ambit
Oceanus domui, tanta caligine mergi,
Calcarique sinas, nam quæ iam bella feramus
Mollibus auspicijs? aut quæ connubia prolem?
Aut frugem laturus ager? quid fertile terris?

Quid plenum sterili possit sub consule nasci?
Eunuchi si iura dabunt, legésque tenebunt,
Ducant pensa viri, mutatóque ordine rerum
Viuat amazonio confusa licentia ritu.
Quid trahor vlterius? Stilicho quid vincere differs,
Dum certare pudet? nescis quòd turpior hostis
Lætitia maiore cadit, piratica Magnum
Erigit, illustrat seruilis laurea Crassum.
Annus, agnosco fremitum, quo palluit Eurus,
Quo Mauri, Gildóque ruit, quid Martia signa
Sollicitas? non est iaculis hastisue petendus,
Conscia succumbent audito verbere terga.
Vt Scytha post multos rediens exercitus annos,
Quum sibi [s] seruilis pro finibus obuia pubes
Iret, & arceret dominos tellure reuersos,
Armatam ostensis aciem fudere flagellis:
Notus ab incœptis ignobile reppulit horror
Vulgi, & [T] adductus sub verbere torpuit ensis.

LIBERI. I. FINIS.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES LIBRI PRIMI IN EVTROPIVM.

Hi libri duo in Eutropium tanta arte sunt compositi, vt facile appareat Claudianum in eodem ludo, vt ita loquar, cum Ioanne Chrysostomo aut Libanio edoctum ad eloquentiam. sed enim homines Eutropio similes sunt valdius expositi maledictis et conuitio. Lucianus dialogũ inscripsit Eunuchi nomine satis festiuum, vbi Dioctes quidam non pauca spargit dicteria qualia sueuere à Stoicis maximéq; à Cynicis; in eos qui corpore sunt mutilo et imperfecto: vide mira apud Suidā in dictione, Σπάδων. At de Eutropio nostro plurima in codice Th. huc pertinentia. Is fuit consul II. cum Manl. Theodoro, Anno 399. quo hæc edidit seu recitauit Claudianus.

[a] *SEMIFEROS* de omnibus illis prodigiis consulendus romanæ historiæ princeps T. Liuius qui nimium quantum ea describit.

[b] *TRABEATA*. O rem ridiculam & simul iocosam. Sic forte olim quædam fœmina plana, ac Semiramia decipulam tetendit maximæ neque profanæ dignitati.

[c] *FVLMINEOS* ignes, non solum in Etruria fuerunt eiusmodi aruspices; Domitianus enim aruspicem è Germania missum de fulgure consulit.

[d] *DIRAS* aras, vetus codex habuit Diuum, sed, re bene perspecta, nihil mutare volui, quia verum est hic Diras aras nihil esse aliud quàm aras offensas, figuratè pro dijs ad iram accensis, ceterùm in hoc versu & superiore notare licet quasi similiter cadentia, quod non est vitiosum, nisi quis tertiet. Statius 10. Th.

Si non dedecuit tua iusta, tulíque prementem Sæpe veni, sæpe hanc dignare inrumpere mentem.

[a] *LVAT.* Supra aliud voluit agens de Rufino, huc verò pertinet locus D. Augustini satis elegans: Melius est vt pereat vnus quam vnitas, Virg. Vnum pro multis dabitur caput.

[b] *SIC OMNIA.* Hic locus multos malè habuit, antea enim in omnibus (quos equidem vidi) exemplaribus: Sic omnia nobis, Hæc regni Fortuna tenes. Del. vir meo iudicio bonus neque vulgaris elegantiæ legendum putauit: Sin omnia nostro, hæc regno, at vet. liber Cuiacij non adeo perplexe loquitur: Sic omnia voluis? Hoc regni Fortuna tenes? notum est satis quid sit voluere ex Marone, qui etiam: Tu mihi quodcunque hoc regni est. Si minus hoc placet exemplum: Plinjus in Epist. Cum mihi hoc placet exemplum; Plinus in Epist. Cum mihi hoc regni dederis. Terentius: Regnúm ne hic tu possides?

[c] *ERGASTVLA.* His non male congruit illud Propertij: vera loquor, regnum ipse tenet quem sæpe coëgit Barbara gypsatos ferre catasta pedes, vide Pandect. de Barbario Philippo.

[d] *VIRVM.* Ouidius: Hei mihi quod dominam nec vir nec femina seruas, tertium enim hominum genus Eunuchi.

[e] *DISCRIMINA.* Famuli quidem speciosum nomen videtur, at pro seruo accipitur in Cod. Iust. Martialis: Esse fatest seruum iam nolo vicarius esse. Vlpianus: Multum interest qualis seruus sit; bonæ frugis ordinarius, dispensator, an verò vulgaris, vel mediastinus: Eutropius autem non fuit frugi, quandoquidem ita se gessit vt plures dominos habuerit, à nullo diu retentus.

[f] *MEDICVM.* Seruos igitur vænales medici inspiciebant nonnunquam: Emtor inspicit apud Martialem lib. 6. Quidam me modo, Rufe, diligenter inspectum velut emtor, aut lanista.

[g] *NVDATVS.* Ita optimè vetus Codex, non Mutatus, vt notauit, non etiam probauit Cuiacius, apud Suet. legi Denudare atque perspicere quasi mangone vendente. Lucianus: γυμνὸν σὲ γὰρ ἰδεῖν βούλομαι. At incensus Gagates lapis, auctore Apuleio, pulchrè in vænalitiis sanitatem aut morbos explorat.

ᵘ *IGNARIS.* Quomodo potuerunt neſcire, cum ſerui ex Æd.Edicto geſtarint titulum, vbi quid morbi vitiiue eſſet: quis fugitiuus; quis noxa non ſolutus, vnde Propertius: Aut quorum titulus per barbara colla pependit.

ˣ *VBERE.* Ita Martialis: Iam cunæ lenonis erant: vt ab vbere raptus Sordida vagitu poſceret æra puer.

ʸ *POST VISCERA.* Sic locutus alibi, id eſt ab ipſo ortu eadem omninò ſunt apud Suidam. at Lucianus tradit Eunuchorum quàm Spadonum conditionem eſſe viliorem: in iure promiſcue habentur, eſtque fere generale Spadonis vocabulum.

ᶻ *PRECIUM.* Domitianus imperator Spadonum, qui reſidui erant apud mangones, precia moderatus eſt. Iuſtinianus vero lib. vij. Cod. Sanxit ſeruos Eunuchos, qui arte aliqua præditi ſunt ad ſeptuaginta ſolidos computari cum ſerui notarii aut medici ad 50. tantum taxare voluerit.

ᵃ *INGVEM.* Aliàs Inguen. Martialis: Ne nimis exhauſto macreſceret inguine gallus Amiſit teſtes, iam mihi capus erit. in optimo codice legi, Ignem: quod libens admiſi: nam indicat vim qua virilitas excitatur, aut iuuatur.

ᵇ *ERIPIT.* Huic verſui ni fallor χιασμός figura ineſt, hoc modo officium patris.

✕

Nomen mariti

vide Paneg. 4. Hon. ac Pierium in Virgil. idem notauit Cuiacius Inſt. Legibus armatam, Armis decoratam, dicendum enim erat: Officium mariti, ac nomen patris, vt in Proſerp. ſed vt ait Ouidius, in vitio decor eſt quædam malè reddere verba.

ᶜ *IN CEREBRVM* Secti, Huc fortè pertinet locus elegans Hippocratis libro de aëre, vbi tradit Eunuchos quorũ ob crebrã equitationẽ apud Scythas ingẽs, præcipue nobiliũ, numerꝰ, adorari, iiſq; venas parotidas ſecari, vnde ſteriles fiant. Cuiacius vero belle ac venuſte iocabatur cũ diceret de eunucho: Ille dolet, vere qui ſine teſte dolet: ſunt enim ab vtroq; ſexu extorres ob cladẽ corporis vel naturæ originẽ, vt Mamertinus loquitur.

ᵈ *FATO* cauſam, hic innuit deos quaſi lege agere, cauſa cognita, in mortales. Tacitus: Non eſſe aliquando curæ diis ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem. Lucanus: Si libertatis ſuperis tam cura fuiſſet, quàm vindicta placet, quę quidem ad

viuum non sunt resecanda, sunt enim mortalium sub fasce quasi laborantium solennes querimoniæ subita correctione medicabiles. nemo enim adeo furiosus est, vt non agnoscat, dilucido interuallo, genus humanum à deo non solum regi, sed etiam amari.

v *ARINTHEO.* Hoc nomen variè legebatur etiam in antiquis cod. fuit autem vir togata & armata militia clarissimus de quo Ammianus lib. 27. & Græci historici. est sanè epistola apud Basilium vbi suam tristitiam ex Arinthei morte indicat: siquidem ab eo non solum honore affectus est, sed etiam tota Ecclesia ipsi plurimum debuit: quinimò Armenia omnis periisset ni eius aduentu & occursu Persæ territi fecissent fugam. Anno 372. Consul fuit cum Modesto, vide Cod. Th. vnde hoc nomen restituitur cum antea: Aristeo, Aristhæo, Arantheo.

x *PRÆSEPIA.* Stabula ni fallor innuit de quibus tam crebra mentio apud Arbitrum, vnde dicitur quædam Ambrosio stabularia, Iuuenalis: qui bona donauit præsepibus.

y *PIGNORE.* Magnum est fœcunditatis priuilegium etiam in deportati liberis C. Th. ad Eutropium P.F. P. Tacitus: Firma munimenta quibus insistas numerus liberorum. Domitianus vxorem dimiserat, dein reduxit fauore pignoris, & est qui interrcepto communis filij pignore ab vxore diuorterit, ergo optimum vinculum in coniugiis liberi Aristoles συνδεσμὸν dixit. Iuuenalis: partu retinere maritos.

z *SCAPVLAS.* Solicitus est Eutropius de scapulis suis tumore nescio quo incuruatis, quod vitiū emendari queat ex sententia Ouidij: Conueniunt tenues scapulis analectides (seu ameletides) Altis angustum circa fascia pectus eat. Humeroso opponitur is qui demissis humeris, sed enim hic locus Claudiani forte explicari potest de eo qui timet sibi à loris vel scutica.

a *FLAMMIS.* Hæ flammæ quibusdam hactenus obscuræ supra dixit in Ruf. II. ardentes gēmas pro diademate, in Paneg. IIII. Hon. Ignes, hæc igitur indicant Laïda iuuenum amantium donis ac muneribus ditatam; seu flammis, hoc est gemmis quæ flammæ in speciem, rutilant, tales præcipuè pyropi vnde Ouidius de solis regia: Clara micante auro flammásque imitante pyropo. Geminum vero pelagus Isthmon corinthiacum designat, vt est in lib. II. In Ruf. Potest etiam intelligi amor flammeus iuuenum eóque casu, versu sequenti & gemino non Egemino.

LAVANTI. Quam partem lauerit alumna satis coniicio, puto enim non solum post opus sed & ab vrina aquam sumi, vt ait Mart. Qua tibi parte opus est Lesbia sumis aquam, deinde: Digiti crepantis signa nouit Eunuchus, & delicatę suscitator vrinæ.

PATRICIVS. Dignitatem eiusmodi primus excogitauit Constantinus, sanxit vt esset supra Præfectos Præterio, ait Zos. aliud est Patricius sanguis apud Persium & alios antiquiores. Clodoueus & Carolus magnus fuere Patricij.

LASSATA. Sic habet quidam vetus liber & omnes ferè excusi. Est tamen qui habeat Laxata, quod Latinum esse non abnuerim, nam iuuenalis tres subeant rugæ, vel se cutis arida laxet. Sed hìc minùs quadrat, nam lassata maiore contemtu & odio prorulit dein subdit Corruerat, quod est pecudi quàm homini magis proprium, & hic poeta Eutropium seruilis conditionis hominem acerbiore stilo persequitur, pecudibus enim serui quasi annumerati, vnde illud: serui vt taceant iumenta loquentur, hanc verò lectionem insuper tueri iuuat ex Virgilio: Et crurum tenus à mento palearia pendent quod de se non erubuit dicere B. Hieronymus, isque pulchrè ac figuratè, vt solet.

CORRVERAT. Hoc verbi non adeò nudè accipi debet, hic enim defluere aut delabi significat, sic infra: in rugas defluxit aniles, sic apud Virg. ruit oceano nox, ac ruit imbriferum ver.

BRVMALIS hirundo. Bruma (vt mihi aliquantisper indulgeam) dici videtur quasi prima. Ouid. Bruma noui prima est, veterisque nouissima solis, vel quasi Breuissima: breuissimis diebus vide Plin. hist. sed quando dicitur hirundo Brumalis; cum scilicet intempestiuè aduenit in has regiones: Ouidius: Sæpe tamen Progne nimiùm properasse quereris, virque tuo Tereus frigore lætus erit: sed quia Eutropium scabies mala occupauerat, huc fortè respicit morbus qui χελιδών, vel impetigo, Verius tamen & aptius quod Plinius tradit: Hirundines quasdam hibernis mensibus sequi montium recessus, ita vt inueniãtur iam nudæ, ac deplumes, sunt & hirundines brumales quæ sola carne vescantur.

PROCEDENTIBVS omen, ita omnino Lucianus ait, Bagoam eunuchum quoddam inauspicatum, & occursu infaustum fuisse spectaculum, & hoc semel expertus sum, ac mihi nes-

Diua potens, vnoque Padum translapsa volatu,
Castra sui rectoris adit. Tum fortè decorus
Cum Stilichone gener, pacem implorantibus vltro
Germanis responsa dabat, legesque [N] Caycis
Aruuus, & flauis signabat iura Seuuis
His tribuit leges, his obside fœdera sancit
Indicto, bellorum alios transcribit in vsus,
Militet vt nostris detonsa Sicambria signis.
Læta subit Romam pietas, & gaudia penè
Mouerunt lachrymas, tantóque exultat alumno.
Sic armenta suo iam defensante iuuenco
Celsius assurgunt erectæ cornua matri.
Sic iam terribilem stabulis, dominumque ferarum
Crescere miratur genitrix Massyla leonem.
Dimouit nebulam, iuueníque apparuit ingens,
Tunc sic orsa loqui: Quantum te principe possim
Non longinqua docent, domito quòd Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto,
Ante pedes humili Franco, tristíque Sueuo
Perfruor, & nostrum video, Germanice, Rhenum
Sed quid agam? discors Oriens felicibus actis
Inuidet, atque alto Phœbi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
Gildonis taceo magna cum laude receptam
Perfidiam, & fretos Eoo robore Mauros.
Quæ suscepta fames; quantum discriminis vrbi
Ni tua, vel soceri nunquam non prouida virtus,
Australem Arctoïs pensasset frugibus annum
Inuectæ Rhodani Tyberina per ostia classes.
Cyniphijsque ferax Araris successit aristis;

Teutonicus vomer, Pyrenéique iuuenci
Sudauere mihi: segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Libyæ senserunt damna rebellis,
Iam transalpina contenti messe Quirites.
Ille quidem meritas soluit (scit Tabraca) pœnas:
Ut pereat quicunque tuis conflixerit armis.
Ecce recens iisdem clades à partibus exit,
Terrorísque minus, sed plus habitura pudoris:
Eutropius consul, pridem tolerare fatemur,
Hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu
Sustulit, & nostros corrupit Parthia mores.
Præfecti sed adhuc gemmis, vestíque dabantur
Custodes, sacróque adhibere silentia somno:
Militia eunuchi nunquam progressa cubile;
Non vita spondente fides sed inertia tantum
Mentis pignus erat; secreta monilia seruent,
Ornatus curent Tyrios; à fronte recedant
Imperij: tenero tractari pectore nescit
Publica maiestas; nunquam vel in æquore puppin.
Vidimus eunuchi clauo parere magistri.
Nos adeò sperni faciles? orbísque carina
Vilior? Auroram certè, quæ talia ferre
Gaudet, & assuetas sceptris muliebribus vrbes,
Possideant, quid belli feram communibus vrunt
Italiam maculis? nocituráque probra seueris
Admiscent populis? peregrina piacula forti
Pellantur longè Latio; ne transeat Alpes
Dedecus; in solis quibus extitit hæreat aruis.
Scribat Halys, scribat famæ contemptor Orontes,
Per te, perque tuos obtestor Roma triumphos

Linquite fœmineas infelix turba latebras,
Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter
Execti veneris stimulos & vulnere casti.
Mixta duplex ætas, inter puerúmque senémque
Nil medium, falsi complete sedilia patres.
Ite noui proceres, infœcundóque senatu
Eutropium stipate ducem; celebrate tribunal
Pro thalamis, verso iam discite more curules,
Non matrum pilenta sequi; ne prisca reuoluam,
Neu numerem, quantis iniuria mille per annos
Sit retro ducibus, quanti fœdabitur æui
Canicies? vnam subeant quot sæcula culpam?
Inter Arinthei [R] *fastus, & nomen herile*
Seruus erit, dominóque suos æqualis honores
Inseret, heu semper Ptolemæi noxia mundo
Mancipia, en alio lædor grauiore Photino,
Et patior maius Phario scelus, ille cruorem
Consulis vnius Pelleis ensibus hausit:
Inquinat hic omnes, si nil priuata mouebunt,
At tu principibus, nostræ tu prospice causæ,
Regaléſque auerte notas, hunc accipit vnum
Aula magistratum, vobis, patribúsque recurrit
Hîc alternus honos; in crimen euntibus annis
Parce quater consul: contagia fascibus oro
Defendas ignaua tuis. neu tradita libris
Omnia, vestitúsque meos, quibus omne quod ambit
Oceanus domui, tanta caligine mergi,
Calcarique sinas, nam quæ iam bella feramus
Mollibus auspicijs? aut quæ connubia prolem?
Aut frugem laturus ager? quid fertile terris?

Quid plenum sterili possit sub consule nasci?
Eunuchi si iura dabunt, legésque tenebunt,
Ducant pensa viri, mutatóque ordine rerum
Viuat amazonio confusa licentia ritu.
Quid trahor vlterius? Stilicho quid vincere differs,
Dum certare pudet? nescis quòd turpior hostis
Lætitia maiore cadit, piratica Magnum
Erigit, illustrat seruilis laurea Crassum.
Annuis, agnosco fremitum, quo palluit Eurus,
Quo Mauri, Gildóque ruit, quid Martia signa
Sollicitas? non est iaculis hastísue petendus,
Conscia succumbent audito verbere terga.
Vt Scytha post multos rediens exercitus annos,
Quum sibi [s] seruilis pro finibus obuia pubes
Iret, & arceret dominos tellure reuersos,
Armatam ostensis aciem fudere flagellis:
Notus ab incœptis ignobile reppulit horror
Vulgus, & [t] adductus sub verbere torpuit ensis.

LIBERI. I. FINIS.

S T. CLAVERII.

ANNOTATIONES

LIBRI PRIMI IN

EVTROPIVM.

Hi libri duo in Eutropium tanta arte sunt compositi, vt facile appareat Claudianum in eodem ludo, vt ita loquar, cum Ioanne Chrysostomo aut Libanio edoctum ad eloquentiam .sed enim homines Eutropio similes sunt valdius expositi maledictis et conuitio. Lucianus dialogũ inscripsit Eunuchi nomine satis festiuum, vbi Dioctes quidam non pauca spargit dicteria qualia sueuere à Stoicis maximéq; à Cynicis; in eos qui corpore sunt mutilo et imperfecto: vide mira apud Suidã in dictione, Σπάδων. At de Eutropio nostro plurima in codice Th. huc pertinentia. Is fuit consul II. cum Manl. Theodoro, Anno *399.* quo hæc edidit seu recitauit Claudianus.

ª *SEMIFEROS* de omnibus illis prodigiis consulendus romanæ historiæ princeps T. Liuius qui nimium quantum ea describit.

ᵇ *TRABEATA.* O rem ridiculam &. simul iocosam. Sic forte olim quædam fœmina plana, ac Semiramia decipulam tetendit maximæ neque profanæ dignitati.

ᶜ *FVLMINEOS* ignes, non solum in Etruria fuerunt eiusmodi aruspices; Domitianus enim aruspicem è Germania missum de fulgure consulit.

ᵈ *DIRAS* aras, v. codex habuit Diuum, sed, re bene perspecta, nihil mutare volui, quia verum est hic Diras aras nihil esse aliud quàm aras offensas, figuratè pro dijs ad iram accensis, cæterùm in hoc versu & superiore notare licet quasi similiter cadentia, quod non est vitiosum, nisi quis tertiet. Statius 10. Th.

Si non dedecuit tua iusta, tulique prementem Sæpe veni, sæpe hanc dignare inrumpere mentem.

ᵃ *LVAT.* Supra aliud voluit agens de Rufino, huc verò pertinet locus D. Augustini satis elegans: Melius est vt pereat vnus quam vnitas, Virg. Vnum pro multis dabitur caput.

ᵇ *SIC OMNIA.* Hic locus multos malè habuit, antea enim in omnibus (quos equidem vidi) exemplaribus: Sic omnia nobis, Hæc regni Fortuna tenes. Del. vir meo iudicio bonus neque vulgaris elegantiæ legendum putauit: Sin omnia nostro, hæc regno, at vet. liber Cuiacij non adeo perplexe loquitur: Sic omnia voluis? Hoc regni Fortuna tenes? notum est sans quid sit voluere ex Marone, qui etiam: Tu mihi quodcunque hoc regni est. Si minus hoc placet exemplum: Plinjus in Epist. Cum mihi hoc placet exemplum; Plinus in Epist. Cum mihi hoc regni dederis. Terentius: Regnúm ne hic tu possides?

ᶜ *ERGASTVLA.* His non male congruit illud Propertij: vera loquor, regnum ipse tenet quem sæpe coëgit Barbara gypsatos ferre catasta pedes, vide Pandect. de Barbario Philippo.

ᵈ *VIRVM.* Ouidius: Hei mihi quod dominam nec vir nec femina seruas, tertium enim hominum genus Eunuchi.

ᵉ *DISCRIMINA.* Famuli quidem speciosum nomen videtur, at pro seruo accipitur in Cod. Iust. Martialis: Esse fatest seruum iam nolo vicarius esse. Vlpianus: Multum interest qualis seruus sit; bonæ frugis ordinarius, dispensator, an verò vulgaris, vel mediastinus: Eutropius autem non fuit frugi, quandoquidem ita se gessit vt plures dominos habuerit, à nullo diu retentus.

ᶠ *MEDICVM.* Seruos igitur vænales medici inspiciebant nonnunquam: Emtor inspicit apud Martialem lib. 6. Quidam me modo, Rufe, diligenter inspectum velut emtor, aut lanista.

ᵍ *NVDATVS.* Ita optimè vetus Codex, non Mutatus, vt notauit, non etiam probauit Cuiacius, apud Suet. legi Denudare atque perspicere quasi mangone vendente. Lucianus: γυμνὸν δὲ γὰρ ἰδεῖν βούλομαι. At incensus Gagares lapis, auctore Apuleio, pulchrè in vænalitiis sanitatem aut morbos explorat.

ᵘ *IGNARIS.* Quomodo potuerunt neſcire, cum ſerui ex Æd.Edicto geſtarint titulum, vbi quid morbi vitiiue eſſet: quis fugitiuus; quis noxa non ſolutus, vnde Propertius: Aut quorum titulus per barbara colla pependit.

ᵛ *VBERE.* Ita Martialis: Iam cunæ lenonis erant: vt ab vbere raptus Sordida vagitu poſceret æra puer.

ᵒ *POST VISCERA.* Sic locutus alibi, id eſt ab ipſo ortu eadem omninò ſunt apud Suidam.at Lucianus tradit Eunuchorum quàm Spadonum conditionem eſſe viliorem: in iure promiſcue habentur,eſtque fere generale Spadonis vocabulum.

ᵖ *PRECIVM.* Domitianus imperator Spadonum, qui reſidui erant apud mangones, precia moderatus eſt. Iuſtinianus vero lib. vij.Cod. Sanxit ſeruos Eunuchos, qui arte aliqua prædití ſunt ad ſeptuaginta ſolidos computari cum ſerui notarii aut medici ad 50. tantum taxare voluerit.

ᵠ *INGVEM.* Aliàs Inguen. Martialis: Ne nimis exhauſto macreſceret inguine gallus Amiſit teſtes, iam mihi capus erit. in optimo codice legi,Ignem: quod libens admiſi:nam indicat vim qua virilitas excitatur, aut iuuatur.

ʳ *ERIPIT.* Huic verſui ni fallor χιασμός figura ineſt, hoc modo officium patris.

⤫

Nomen mariti

vide Paneg. 4. Hon. ac Pierium in Virgil. idem notauit Cuiacius Inſt. Legibus armatam, Armis decoratam, dicendum enim erat: Officium mariti, ac nomen patris, vt in Proſerp.ſed vt ait Ouidius, in vitio decor eſt quædam malè reddere verba.

ˢ *IN CEREBRVM* Secti,Huc fortè pertinet locus elegans Hippocratis libro de aëre, vbi tradit Eunuchos quorũ ob crebrã equitationẽ apud Scythas ingẽs, præcipue nobiliũ,numerꝰ, adorari,iiſq; venas parotidas ſecari,vnde ſteriles fiant.Cuiacius vero belle ac venuſte iocabatur cũ diceret de eunucho: Ille dolet, vere qui ſine teſte dolet:ſunt enim ab vtroq; ſexu extorres ob cladẽ corporis vel naturæ originẽ, vt Mamertinus loquitur.

ᵗ *FATO* cauſam, hic innuit deos quaſi lege agere, cauſa cognita, in mortales. Tacitus: Non eſſe aliquando curæ diis ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem. Lucanus: Si libertatis ſuperis tam cura fuiſſet, quàm vindicta placet, quę quidem ad

viuum non sunt resecanda, sunt enim mortalium sub fasce quasi laborantium solennes querimoniæ subita correctione medicabiles. nemo enim adeo furiosus est, vt non agnoscat, dilucido interuallo, genus humanum à deo non solum regi, sed etiam amari.

[v] *ARINTHEO.* Hoc nomen variè legebatur etiam in antiquis cod. fuit autem vir togata & armata militia clarissimus de quo Ammianus lib. 27. & Græci historici. est sanè epistola apud Basilium vbi suam tristitiam ex Arinthei morte indicat: siquidem ab eo non solum honore affectus est, sed etiam tota Ecclesia ipsi plurimum debuit: quinimò Armenia omnis periisset ni eius aduentu & occursu Persæ territi fecissent fugam. Anno 372. Consul fuit cum Modesto, vide Cod. Th. vnde hoc nomen restituitur cum antea: Aristeo, Aristhæo, Arantheo.

[x] *PRÆSEPIA.* Stabula ni fallor innuit de quibus tam crebra mentio apud Arbitrum, vnde dicitur quædam Ambrosio stabularia, Iuuenalis: qui bona donauit præsepibus.

[y] *PIGNORE.* Magnum est fœcunditatis priuilegium etiam in deportati liberis C. Th. ad Eutropium P.F. P. Tacitus: Firma munimenta quibus insistas numerus liberorum. Domitianus vxorem dimiserat, dein reduxit fauore pignoris, & est qui intercepto communis filij pignore ab vxore diuorterit, ergo optimum vinculum in coniugiis liberi Aristoles συνδεσμὸν dixit. Iuuenalis: partu retinere maritos.

[z] *SCAPVLAS.* Solicitus est Eutropius de scapulis suis tumore nescio quo incuruatis, quod vitiũ emendari queat ex sentẽtia Ouidij: Conueniunt tenues scapulis analectides (seu ameletides) Altis angustum circa fascia pectus eat. Humeroso opponitur is qui demissis humeris, sed enim hic locus Claudiani forte explicari potest de eo qui timet sibi à loris vel scutica.

[a] *FLAMMIS.* Hæ flammæ quibusdam hactenus obscuræ supra dixit in Ruf. II. ardentes gẽmas pro diademate, in Paneg. IIII. Hon. Ignes, hæc igitur indicant Laïda iuuenum amantium donis ac muneribus ditatam; seu flammis, hoc est gemmis quæ flammæ in speciem, rutilant, tales præcipuè pyropi vnde Ouidius de solis regia: Clara micante auro flammásque imitante pyropo. Geminum vero pelagus Isthmon corinthiacum designat, vt est in lib. II. In Ruf. Potest etiam intelligi amor flammeus iuuenum cóque casu, versu sequenti & gemino non Egemino.

ᵃ *LAVANTI.* Quam partem lauerit alumna ſatis coniicio, puto enim non ſolum poſt opus ſed & ab vrina aquam ſumi, vt ait Mart. Qua tibi parte opus eſt Leſbia ſumis aquam, deinde: Digiti crepantis ſigna nouit Eunuchus, & delicatę ſuſcitaror vrinæ.

ᶜ *PATRICIVS.* Dignitatem eiuſmodi primus excogitauit Conſtantinus, ſanxit vt eſſet ſupra Præfectos Prætorio, ait Zos. aliud eſt Patricius ſanguis apud Perſium & alios antiquiores. Clodoueus & Carolus magnus fuere Patricij.

ᵃ *LASSATA.* Sc habet quidàm vetus liber & omnes ferè excuſi. Eſt tamen qui habeat Laxata, quod Latinum eſſe non abnuerim, nam iuuenalis tres ſubeant rugæ, vel ſe cutis arida laxet. Sed hîc minùs quadrat, nam laſſata maiore contemtu & odio protulit dein ſubdit Corruerat, quod eſt pecudi quàm homini magis proprium, & hic poëta Eutropium ſeruilis conditionis hominem acerbiore ſtilo perſequitur, pecudibus enim ſerui quaſi annumerati, vnde illud: ſerui vt taceant iumenta loquentur, hanc verò lectionem inſuper tueri iuuat ex Virgilio: Et crurum tenus à mento palearia pendent quod de ſe non erubuit dicere B. Hieronymus, iſque pulchrè ac figuratè, vt ſolet.

ᵃ *CORRVERAT.* Hoc verbi non adeò nudè accipi debet, hic enim defluere aut delabi ſignificat, ſic infra: in rugas defluxit aniles, ſic apud Virg. ruit oceano nox, ac ruit imbriferum ver.

ᶠ *BRVMALIS* hirundo. Bruma (vt mihi aliquantiſper indulgeam) dici videtur quaſi prima. Ouid. Bruma noui prima eſt, veteriſque nouiſſima ſolis, vel quaſi Breuiſſima: breuiſſimis diebus vide Plin. hiſt. ſed quando dicitur hirundo Brumalis; cum ſcilicet intempeſtiuè aduenit in has regiones: Ouidius: Sæpe tamen Progne nimiùm properaſſe quereris, vírque tuo Tereus frigore lætus erit: ſed quia Eutropium ſcabies mala occupauerat, huc fortè reſpicit morbus qui χελιδών, vel impetigo, Verius tamen & aptius quod Plinius tradit: Hirundines quaſdam hibernis menſibus ſequi montium receſſus, ita vt inueniãtur iam nudæ, ac deplumes, ſunt & hirundines brumales quæ ſola carne veſcantur.

• *PROCEDENTIBVS* omen, ita omnino Lucianus ait, Bagoam eunuchum quoddam inauſpicatum, & occurſu infauſtum fuiſſe ſpectaculum, & hoc ſemel expertus ſum, ac mihi neſ-

cio quid sinistri de repentè euenit, absit verbis superstitio.

ᵛ *DEMISIT* aures: sic vetus liber & Gryphius, aliàs deiecit non adeò male, sed Horatius: Demittique aures vt iniquæ mẽtis asellus.

ᵗ *MODERANTEM.* Antea Rectorem dixit, id est Pręf. Præt. quod fastigium qui erat adeptus, tantum non erat imperator, apud Gręcos enim Ἐπαρχικά erant libri continentes edicta Præf. Præt. quæ vim legis habuere, erántque quasi βασιλικά, quia vt ait Sardianus dignitas illa erat βασιλεία, cui nihil præter purpuram defuit.

ᵏ *HABVNDANTI.* Sic optimè in vet. cod. alias: abundanti, sed est nomen proprium viri magni qui Anno 393. fuit Consul cum Theodosio, idémque Comes & Magister vtriusque militiæ. In C. Th. deest aspiratio, sed non ideò reijcimus. Is promouerat Eutropium fututi incautus, magno suo malo atque ingratiis: nam contigit paulo post vt dignitatibus spoliatus, aula eijceretur, Arcadij edicto, id agente Eutropio: legimus verò apud D. Hieron. Pityunte exulasse in summa rerũ inopia, Sidone autem vrbe Phœniciæ obijt, Zosimo auctore.

ᵗ *MEROE*, campíque. Pacatus de Max. tyranno: Impletæ fugitiuis nobilibus solitudines, bona publicata, capita deminuta exuti trabeis consulares, hic verò Eunuchus omnes alicuius momenti submouet, & quasi de gradu deijcit, præcipuè insignem virum ac strenuum Timasium qui cum Promoto Cõsul fuerat Anno 389. Hieronymus: Timascus de altissimo gradu præcipitatus euasisse putat quod Assæ viuit inglorius, quæ vrbs prope Athon montem. denique adeo immanis fuit hic semiuir vt legem rogaret qua vetitum esset ad Ecclesiam confugere quod fecit propter Pentadiam vxorem Timasii quam oderat, Sed legem suam primus abrogauit vt patet ex homilia elegantissima Io. Chry. quam procuIdio legerat Claudianus, vt postea indicabitur.

ᴹ *ASPERIVS* nihil est humili. Plin. in Ep. Macedo superbus dominus & qui seruisse patrem suum parùm, imo minimùm meminisset. At vere nobiles, veríque principes perituri potius quam sanguinem perdituri.

ᴺ *EXCITA.* Hic locus erat sine sensu in ei cod. Cuiacij opem tulisset, aliàs, Paruis exercita furtis, sed illud Excita idem est quod Excitata.

ᵉ *QVIDQVID*. Eodem modo Statius videtur dixisse: quanta recusas, Quanta vetas, flectere támen.

ᵖ *LANCES*. Cuiacius hîc: Vt pondus ita iudex vergit. Pacatus. Stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutúsque trutinarum pallens & inhians exigebat.

ᵠ *IVRE* sepultum, hoc est mortuum ciuiliter, vt hi qui in potestate domini, in hanc rem, opinor, extat vetus epigramma sub nomine Petronij,

—— *Anne etiam famuli cognata fæce sepulti* ———
—— *In testa mersæ luxurientur opes?* ———
—— *Vilis seruus habet regni bona, celláque capri* ———
—— *Deridet festam romuleamque casam.* ———

ᵗ *MANCIPIVM*. Mancipatus idem est quod venditus & hic seruilis Eutropius non per metum quidem, sed per contemptum sæpe mancipatus est.

ᶠ *NVMQVAM* mater eris, nunquam pater: votum hoc est nuptiarũ vide Cui. in Decr. Iuno. Et etiam Nouellam de pœna Eunuchorum qui vxores duxerint, Iuuen. Cum tener vxorem ducat Spado.

ᵗ *LITES* Femineas, in orbe romano scilicet. nam Iuppiter Didoni apud Virg. vrbem condere, iustitiáque dedit gentes frenare superbas. Imo Iustinianus ipse Theodoram vxorem ad Reip. consilia adhibuit. Et vero moribus introductum est ne mulier iudicet, aut officiis ciuilibus se immisceat.

ᵛ *ARMA* etiam, huc spectat illud Horat. Fert vallum & arma miles & spadonibus seruire rugosis potest, at Narses patricius belli dux fuit, quanuis eunuchus temporibus Iustin. legũ vindicis: vt est in vet. Inscript. vide tamen leg. 4. Dig. De re militari.

ˣ *SERVVM* pudebit. Serui, enim, vt est in C. Th. pudoris dispendium non possunt sustinere.

ʸ *MANIPLI*. Suidas tradit eunuchorum genus adeo creuisse sub Eutropio, vt etiam barbatuli vna cum testibus vitam amiserint.

ᶻ *CONSPECTVS*. Pulchrè Conspectus, vt Pexatus pul-

chrè Martiali: alibi Claud. Solito conspectior.

[a] *ONERARE* toga, sic v. cod. non Ornare, aut Onerante quæ tamen bona sunt iuuen. Crispinus Tyrias humeros reuocante lacernas, & inde: Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ, quæ viri delicati ali indicia, infra dicit Claud. Onerísque vel ipsa Serica, Petronius. Onceratas veste ceruices, dicit alibi: Tendit hyemis vestire gelu, vt hic Tenderet onerare, sic apud Martialem argonautæ illi iuuenes dicuntur Resina-venetoque pigriores i. resinata iuuentus quæ sudat sub ponderibus lacernarum atque ob id pigrior est.

[b] *SIMIVS.* Bellula & iocosa comp. huc vero pertinet quæ apud Mart. Cercopitheci pænula & illud: Dimidiásque nates Gallica palla tegit.

[c] *ORACVLA.* Priusquam Theodosius contra Eugenium copias educeret misit Eutropium in Ægyptum ad Ioannem quendam virum pium, qui antea cladem Maximi tyranni prædixerat: Is verò declarauit non sine multo sanguine ac sudore victoriam Tehodosio parari, paulóque post eum in Italia obiturum, quod & contigit, vide Græcam hist. & B. August. De Ciuitate Dei.

[d] *IMPERAT* hic sexus, quinetiam apud Tacitum exercitui præest Boudicea, ac Britannis solitum ductu feminarum bellare, quæ sanè virilibus curis feminarum vitia aliquando exuunt.

[e] *EVNVCHI.* Aristoteles apud Lucianum dicitur adeò miratus fuisse regem quendam Eunuchum, vt illi perinde atque diis sacra faceret.

[f] *PROFANI.* Diocles in Dialogo Luc. ait: Iniquum esse vt Eunuchus philosophiæ professionem ambiat, cum ab ipsis etiam sacris ac vasis puris eum secludi oporteat.

[g] *HOC GENVS.* Eunuchi ad seruitium facti, súntque vt sæpe abiectis moribus, τὸ ἄῤῥεν ἡγεμονικώτερον ait Arist.

[h] *COCHLEIS.* Hîc te monebo Cuiacium, maluisse efferre Pandectas Florentinas quia dictiones grçcæ genus sæpe mutent apud Latinos, adducebátque exemplum τῦ, ὁ Κοχλίας.

[i] *INDIA* pingitur, olim Romani quasi dearum cultu pinxe-

re prouincias iisque habitum finxere ex moribus gentis, soli vbertate, ac cæli temperie, In Paneg. 2. Stil. non solum Roma, sed Italia Gallia, Britannia & Africa depictæ sunt, quod vero Iudaïca vela dixit puto intelligendum Indiam esse non tantùm lanæ sed & lini, quod Mela scribit, feracem, instar Iudææ. Vela pro velleribus aut velamine accipi non est nouum, apud Cic. Velis amicti non togis, cæterum de admirandis Indiæ ac piscibus terrenis multa olim Theophr. & Plin.

[k] *MOLLISSIMVS* ira, hæc dictio etsi clementiam designare videtur, tamen aceto diluta est, quid enim Eunucho mollius? vt vt sit imperium inchoantibus vtilis est (ait Tac.) clementiæ fama, atque initia magistratuum fere meliora sed finis inclinat, seruitii ingenio dum adipiscuntur dominationes multa charitate sunt, maiore odio postquam adepti.

[l] *QVOD LIBET* ingenio subigit. Symmachus olim ita laudauit Eutropium: Superuacanei laboris est commendare conspicuos: vt si in sole positus facem præferas, & accessu luminum claritudinem diei gestias adiuuare, vocat etiam alicubi partem antiquam amicorum.

[m] *POSTQVAM.* Huic loco & superioribus Plinius in Epist. conuenit de Nepote Prætore: Tota, inquit, ciuitate carpitur, laudatur, multi: Quid ante hunc prætores non fuerunt? alii contra: Rectissimè fecit.

[n] *CAYSIS.* Iidem sunt Cauci apud Tacitum, hæ vero litteræ sunt valde mutabiles, etiam in Pandectis, sic supra Elysam quã Elusam maluit. Lucanus; Et vos crinigeros bellis arcere Caycos oppositi.

[o] *DETONSA* Sicambria. Franci nostri istius gentis fuere quodammodo adfines, inde B. Remigius ad Clodoueum Franciæ Regem: Mitis pone colla Sicamber. habuimus autem crinigeros reges, imò Sidonius: Statuit celtica nobilitas seu patriã dimittere seu capillos. Quidam efferunt: Sygambria, ego hac in re Græculis non fido, qui σιγάμβρους & σουγάμβρους nobis obtrusere.

[p] *CVBILE.* Hæc innuunt Eutropium fuisse πρόκοιτον vt Suidas loquitur. Imò fuit Præpositus sacri cubiculi.

[q] *AVRORAM.* Herodes à Trebellio dicitur homo omniũ

delicatissimus & prorsus orientalis luxuriæ, ad hęc Iuuenalis: In Tiberim Syrius defluxit orontes.

[x] *LVTATI.* Hic Romanus bellator vix nomen integrum seruasset nisi ope Claudiani, in historiis ferè Luctatium reperias, videtur autem deduci à luto.

[s] *FASTVS.* Ita manuscriptus. Hæc verò antiqua lectio fecit vt hunc locum vir hodie religiosi ordinis & adprime eruditus non facilè perciperet, vt ex ipsius Notis comperias. At Cuiacius manu sua adscrens hanc vocem, subiunxit, ex Agrœtio probari, citauítque Lucani versum vbi accipitur pro Fastis consularibus. Ego fastos in altero cod. inueni. Sed mutare non sustinui victus tanti uiri auctoritate, & reuerentia, cum in excusis etiam ita legatur.

[r] *SERVILIS* pubes, consule Iustinum, & Florum. Sed enim Lat. Pacatus Drepanius Proconsul in Panegyri habita Romæ coram Theodosio magno post victoriam Maximi tyranni ita loquitur: Nam si olim domini aduersum rebelles seruos dimicaturi flagra in aciem detulerunt; tantáque vis conscientiæ fuit vt ab inermibus verterentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora darent terga verberibus: nonne quoque legionibus ociosis rem totam visu egisses? Hunc sane auctorem poëta noster euoluerat, vt infinitis locis olim notaui.

[v] *ADDICTVS.* Sic in optimo ac vet. codice, cum aliàs adductus. Eductus. Obductus. Est vero hæc nostra lectio è iuris fontibus petita. nam olim quidam nexi in seruitutem creditoribus addicebantur. Quintilianus lib.3. ait: Aliud est seruum esse; aliud seruire; qualis esse quæstio in addictis solet.

Cl. Clau-

CL. CLAVDIANI
PROLOGVS LIB. II.
IN EVTROPIVM.

QVI modo ſublimes rerum flectebat habenas
Patritius, [A] rurſus verbara nota timet:
Et ſolitos tardæ paſſurus compedis orbes,
In [B] dominos vanas luget abiſſe minas.
Culmine deiectum vitæ fortuna priori
Reddidit, inſano iam ſatiata ioco.
Scindere nunc alia meditatur ligna [C] ſecuri,
Faſcibus & tandem vapulat ipſe ſuis
Illicitas conſul pœnas, ſe conſule ſoluit:
Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Infauſtum populis in ſe quoque vertitur omen.
Sæuit in autorem prodigioſus honor.
Ablato [D] penitus reſpirant nomine faſti,
Maturámque luem ſanior aula vomit.
Diſſimulant ſocij, coniuratíque recedunt,
Procumbit pariter cum duce tota cohors.
Non acie victi non ſeditione coacti,
Ne pereant ritu quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ,
Confecit ſæuum litera Martis opus.
Mollis fœminea detruditur arte tyrannus.

Quod tiib sub Cypri littore parta qnies?
Omnia Barbarico per te concussa tumultu.
Crede mihi, terris tutius æquor erit.
Iam non Armemios iaculis terrebis & arcu,
Per campos volucrem non agitabis equum
Dilecto caruit byzantius ore senatus,
Curia consilijs æstuat orba tuis.
Emeritam suspende togam, suspende pharetram,
Ad Veneris partes, ingeniúmque redi.
Non bene Gradiuo lenonia dextera seruit,
Suscipiet famulum te Cytherea libens.
Insula læta choris, blandorum mater amorum,
Nulla pudicitiæ cura placere potest.
Prospectant Paphiæ celsa de rupe puellæ,
Sollicitæ saluam dum ferat vnda ratem.
Sed vereor teneant ne te Tritones in alto,
Lasciuas doctum fallere Nereidas:
Aut idem cupiant pelago te mergere venti,
Gildonis nuper qui tenuere fugam.
Inclyta captiuo memoratur Tabraca Mauro,
Naufragio Cyprus sit memoranda tuo.
Vecturum moriens frustra Delphina vocabis,
Ad terram solos deuehit ille viros.
Quisquis adhuc similes eunuchi tendit ad actus,
Respiciens Cyprum desinat esse ferox.

CL. CLAVDIANI IN EVTROPIVM

LIBER II.

MYGDONII cineres, & si quid restat eoi
Quod pereat regni, certè non augure falso
Prodigij patuere minæ, frustráque peracto
Vulnere, monstriferi præsagia discitis anni
Cautior antè tamen violentum nauita Corum
Prospicit, & tumidæ subducit vela procellæ.
Quid iuuat errores mersa iam puppe fateri?
Quid lacrymæ delicta leuant? stant omnia vestri
Consulis, immotis hæsere piacula fatis.
Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Tersum maculas: veteri post obruta morbo
Corpora, pæonias nequicquam admoueris herbas.
Vlcera possessis altè suffusa medullis
Non leuiore manu, ferro sanantur, & igni,
Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.
Ad viuum penetrant flammæ, quò funditus humor

Defluat, & vacuis corrupto sanguine venis
Arescat fons ille mali: truncantur & artus
Vt liceat reliquis securùm viuere membris.
At vos egregie purgatam creditis aulam,
Eutropium si Cyprus habet, vindictáque mundi
Semiuir exul erit, quis vos [B] *lustrare valebit*
Oceanus? tantum facinus quæ diluet ætas?
Induerat necdum trabeas, mugitus ab axe
Redditus inferno, rabies arcana cauernas
Vibrat, & alterno confligunt culmina lapsu.
Bacchatus per opera tremor, Calcedona mouit
Pronus. & in geminas nutauit Bosporus vrbes.
Concurrêre freti fauces, radice reuulsa:
Vitant instabilem rursus Symplegada nautæ:
Scilicet hæc Stygiæ præmittunt signa sorores,
Et sibi iam tradi populos hoc consule gaudent.
Mox oritur diuersa lues, hinc Mulciber ignes
Sparserat, hinc victo proruperat obice Nereus,
Hinc flagrant, hinc tecta natant. Quam numina pœnam
Seruatis sceleri? cuius tot cladibus omen
Constitit? incumbas vtinam Neptune tridenti,
Pollutúmque solùm toto cum crimine mergas.
Vnam pro mundo Furijs concedimus vrbem.
Vtque semel patuit monstris iter, omnia tempus
Nacta suum properant: nascitum decolor imber,
Infantúmque noui vultus & dissona partu
Semina, tum lapidum fletus, armentáque vulgò
Ausa loqui, medijsque feræ se credere muris.
Tum vates sine more rapi, lymphatáque passim
Pectora fatidici stimulis ignescere Phœbi.

Incestare vias: maneant immota precamur,
Certaque perpetui sint argumenta pudoris.
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes; claro quòd nobilis ortu
Conuiua & [F] *domini; quod maxima prælia solus*
Impleat, & pariter [G] *miles; quòd tertius vrbis*
Conditor, [H] *hoc* [I] *Byzas,* [K] *Constantinúsque videbunt?*
Inter quæ tumidus [L] *leno producere cœnas*
In lucem, fœtere mero, dispergere plausum
Empturas in vulgus opes, totósque theatris
Indulgere dies, alieni prodigus auri.
At soror, & (si quid portentis creditur) vxor
Mulcebat matres epulis, & more pudicæ
Coniugis, eunuchi celebrabat vota mariti.
Hanc amat, hanc summa de re, vel pace vel armis
Consulit: huic curas, & clausa palatia mandat,
Ceu stabulum, vacuámque domum: sic magna iueri
Regna nihil; patiensque iugi deluditur orbis.
Mitior alternum Zephyri iam bruma teporem
Senserat, & primi laxabant germina flores:
Iámque iter in gremio pacis solenne parabant
Ad muros Ancyra tuos; autore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa subirent,
Sed vaga lasciuis flueret discursibus ætas:
Vnde tamen tanta sublimes laude redibant,
Ceu vinctos traherent Medos, Indúmque bibissent.
Ecce autem flauis Gradiuus ab vsque Gelonis
Arua cruentato repetebat Thracia curru.
Subsidunt Pangæa rotis, altæque sonoro.

Stridunt axe niues, vt vertice constitit Æmi,
Fœmineásque togas pressis conspexit habenis
Subrisit crudele pater, cristisque micantem
Quassauit galeam, tunc implacabile numen
Bellonam alloquitur, quæ sanguine sordida vestem
Jllyricis pingues pectebat cladibus hydros.
Necdum mollitiæ, necdum germana mederi
Possumus Eoæ; nunquam corrupta rigescent
Secula: Cappadocum tepidis Argæus aceruis
Æstuat, infelix etiam nunc pallet Orontes.
Dum pereunt, meminere mali: si corda parumper
Respirare sinas, nullo tot funera sensu
Prætereunt; tantique leuis iactura cruoris.
Aspicis obscœnum facinus, quid crinibus ora
Protegis? heu quales sese diffundit in actus
Parua quies? quantum nocuerunt otia ferri?
Qui caruit bellis Eunucho traditur annus.
Actum de trabeis esset, si partibus vna
Mens foret Hesperijs: rueret derisa vetustas,
Nulláque calcati starent vestigia iuris,
Ni memor imperij Stilicho, morúmque priorum
Turpe relegasset defenso Tybride nomen,
Intactámque nouo seruasset crimine Romam.
Ille dedit portum, quo se pulsata referret
Maiestas Latij, deformatæque secures,
Ille dedit fasces, ad quos Oriente relicto
Confugeret sparsum maculis seruilibus æuum.
Quàm similes hæc aula viros. (ad mœnia visus
Dirige) num saltem tacita formidine mussant?
Non damnant animo: plaudentem cerne senatum

Et Byzan-

Et Byzantinos proceres, Graióſque Quirites.
O patribus plebes, ô digni conſule patres.
Quid, quòd & armati ceſſant, & nulla virilis
Inter tot gladios, ſexum reminiſcitur ira?
Huccine noſtrorum cinctus abiere nepotum?
Sic Bruti deſpectus honos? ignoſce parenti
Romule, quod ſerus temeratis faſcibus vltor
Aduenio, iam iam largis hæc gaudia faxo
Compenſent lacrymis. Quid dudum inflare moraris
Tartaream Bellona tubam? quid ſtringere falcem
Qua populos à ſtirpe metis? molire tumultus,
Excute delicias Thracum? Macedúmque ruinæ
Tædet, & ingentes iterum ſæuire ſepultas.
Damna minus conſueta mouent, trans æquora ſæuas
Verte faces, aliјs exordia ſume rapinis.
Non tibi Riphæis hoſtis quærendus ab oris:
Non per Caucaſeas accito turbine valles
Eſt opus: Oſtrogothis colitur, mixtíſque Gothunnis
Phryx ager, hos paruæ poterunt impellere cauſæ
In ſcelus: ad mores facilis natura reuerti.
Sic erit, in noſtro quando iam milite robur
Torpuit, & molli didicit parere magiſtro:
Vindicet Arctous violatas aduena leges,
Barbara Romano ſuccurrant arma pudori.
Sic fatus, clypeo quantum vix ipſe deorum
Arbiter infeſto quum percutit æthera nimbo,
Intonuit; reſponſat Athos Æmúſque remugit,
Ingeminat Rhodope, raucum concuſſa fragorem,
Cornua cana gelu mirantibus excutit vndis
Hebrus, & exanguem glacie timor alligat Iſtrum.

Tunc adamante grauem, nodisque rigentibus hastam,
Telum ingens, nullique deo iaculabile torsit:
Fit late ruptis via nubibus; illa per auras
Tot freta, tot montes, vno contenta volatu
Transilit, & Phrygiæ medijs affigitur oris.
Sensit humus; gemuit Nysæo palmite felix
Hermus, & aurata Pactolus inhorruit vnda,
Totáque sub missis fleuerunt Dindyma syluis.
Nec dea præmissæ stridorem segnius hastæ
Consequitur: centúmque vias meditata nocendi
Tandem Targibilum (Geticæ dux improbus aulæ
Hic erat) aggreditur; viso tum forte redibat
Eutropio: vacuus donis, feritásque dolore
Creuerat, & teneris etiam quæ crimina suadent
Ingenijs, Scythicum pectus flammabat egestas.
Huic sese vultu simulatæ coniugis offert,
Mentitóque ferox incedit barbara gressu,
Carbaseos induta sinus, post terga reductas
Vberibus propior mordebat fibula vestes,
Inque orbem tereti mitra redeunte capillum
Strinxerat, & virides flauescere iusserat angues.
Aduolat, & niueis reducem complectitur vlnis,
Infunditque animo furiale per oscula virus,
Principe quàm largo veniat, quas inde reportet
Diuitias, astu rabiem motura, requirit.
Ille iter ingratum, vanos deflere labores,
Quos super Eunuchi fastus, quæ probra tulisset,
Continuo secat vngue genas, & tempore pandit
Arrepto gemitus: I nunc deuotus aratris
Scinde solum, positoque tuos mucrone sodales

Ad rastros sudare doce: bene rura Gothunnus
Excolet, & certo disponet sydere vites.
Felices aliæ, quas debellata maritis
Oppida, quas magnis quæsitæ viribus ornant
Exuuiæ; quibus Argiuæ, pulchræque ministrant
Thessalidès, famulas & quæ meruere Lacænas.
Me nimium timido, nimium iunxere remisso
Fata viro, totum qui degener exuit Istrum,
Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria; concessóque cupit vixisse colonus,
Quàm dominus rapto, quid pulchra vocabula pigris
Prætentas vitijs? probitatis inertia nomen
Justitiæ formido subit: tolerabis iniquam
Pauperiem, cùm tela geras? & flebis inultus,
Quum pateant tantæ nullis custodibus vrbes?
Quippe metus pœne; pridem mos ille vigebat,
Ut meritos colerent, impacatísque rebelles
Vrgerent odijs: At nunc qui fœdera rumpit,
Ditatur [T] *; qui seruat, eget, vastator Achiuæ*
Gentis, & Epirum nuper populatus inultam,
Præsidet [V] *Illyricis: iam quos obsedit, amicus*
Ingreditur muros, illis responsa daturus,
Quorum coniugibus potitur, natósque peremit.
Sic hostes punire solent: hæc præmia soluunt
Excidijs, cunctaris adhuc? numerúmque tuorum
Respicis, exiguamque manum? tu rumpe quietem,
Bella dabunt socios; nec te tam prona monerem,
Si contrà [X] *paterere viros, nunc alter in armis.*
Seruus, & eunuchis se defensoribus orbis
Credidit, hos Aquilæ, Romanáque signa sequuntur.

Incipe barbaricæ tandem te reddere uitæ.
Te quoque iam timeant, admirentúrque nocentem,
Quem spreuere pium; spolijs prædaque repletus
Quum libeat Romanus eris. Sic fata, repentè
In diram se vertit auem, roströque recuruo
Turpis, & infernas tenebris obscurior alas
Auspicium veteri sedit ferale sepulchro.
Ille pauor postquam resoluto corde quieuit,
Et rigidæ sedere comæ, non distulit atrox
Iussa deæ, socijs quæ viderit, ordine pandit,
Inuitátque sequi, coniurat barbara pubes
Nacta ducem, Latijsque palam desciuit ab armis.
ᴬ *Pars Phrygiæ, Scythicis quæcúque Trionibus alget,*
Proxima Bithynos; solem quæ condit Ionas,
Quæ læua attingit Galatas; vtrinque propinqui
Finibus obliquis Lydi; Pisidæque feroces
Continuant australe latus gens vna fuere
Tot quondam populi priscum cognomen, & vnum,
Appellata Phryges, sed quid non longa valebit
Permutare dies? dicti post Mæona regem
Mæones, Ægæos insedit Græcia portus.
Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.
Nuper ab oceano Gallorum exercitus ingens
Illis antè vagus tandem regionibus hæsit,
Gæsaq; deposuit Graio iam mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halym dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus, nec rex Aegyptius vltra
Restitit, humani postquam puer vberis expers
In Phrygiam primùm laxauit murmura vocem,
Hic cecinit Libycis iactata paludibus olim

Tibia, [D] *fœdatam quum reddidit vmbra Mineruam.*
Hîc & Apollinea victus testudine pastor
Suspensa memores illustrat pelle Celænas.
Quattuor hîc magnis procedunt fontibus amnes
Auriferi. nec miror aquas radiare metallo,
Quæ toties lauare Midam: diuersus ad Austrum
Cursus, & Arctoum fluuijs mare Dindyma fundunt.
Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
Auctus, Amazonij defertur ad ostia Ponti,
Icarium pelagus, Mygalæáque littora iuncti
Marsya, Mæandérque petunt: sed Marsya velox
Dum suus est, flexúque carens; iam flumine mixtus
Mollitur Mæandre tuo, contraria passus
Quàm Rhodano stimulatus Arar: quos inter aprica
Planicies, Cererique fauet, densisque ligatur
Vitibus, & glaucos fructus attollit oliuæ.
Diues equis, felix pecorum, pretiosáque picto
Marmore, purpureis cedit cui Synada venis.
Talem tum Phrygiam [E] *Geticis populatibus vri*
Permisere dei: securas barbarus vrbes
Irrupit, faciléisque capi: spes nulla salutis,
Nulla fugæ, putribus iam propugnacula saxis
Longo [F] *corruerant æuo, pacísq; senecta.*
Intereà gelidæ secretis partibus Idæ
Dum sedet, & thyasos spectat de more Cybele,
Curetúmque alacres ad tympana suscitat enses:
Aurea sanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, summóque volutus
Vertice crinalis violatur puluere murus.
Obstupuere truces omen Corybantes, & imo

Fixa metu, tacitas presserunt orgia buxos.
Indoluit genitrix, tum sic irata profatur:
Hoc mihi iampridem Lachesis longæua canebat
Augurium: Phygiæ casus venisse supremos,
Delapsus testatur apex. heu sanguine qualis
Ibit Sangarius? quantásque cadauera lenti
Mæandri passura moras? immobilis hæret
Terminus hæc dudum nato placuere Tonanti
Paret finitimis luctus, frustráque Lyæi,
Non defensuros implorat Lidia thyrsos.
Iámque vale Phrygiæ tellus, perituráque flammis
Mœnia, conspicuas quæ nunc atollitis arces,
Mox campi, nudúmque solum: dilecta valete
Flumina, non istis vltrà bacchabor in antris:
Nec iuga sulcabit noster Berecynthia currus.
Dixit: & ad tristes conuertit tympana planctus:
Labentem patriam sacris vlulatibus, Attis
Personat, & lacrymis torui maduere leones.
Eutropius, nequeat quamuis metuenda taceri
Clades, & trepidus vulgauerit omnia rumor:
Ignorare tamen fingit, regnique ruinas
Dissimulat? paruam latronum errare cateruam,
Ad fontes tormenta magis quàm tela parari,
Nec [G] duce frangendas iactat, sed iudice vires.
[H] Vasta velut Lybiæ venantum vocibus ales,
Quum premitur, calidas cursu transmittit arenas,
Inque modum veli sinuatis flamine pennis
Puluerulenta volat: si iam vestigia retro
Clara sonant, oblita fugæ stat lumine clauso,
Ridendum reuoluta caput, creditque latere,

Quæ non ipsa videt. furtim tamen ardua mittit
Cum donis promissa nouis, si forté rogatus
Desinat: ille semel nota dulcedine prædæ
Se famulo seruire negat, nec grata timentum
Munera? militiam nullam, nec prima superbus
Cingula [I] *dignari, nam quis non consule tali*
Vilis honos? Postquam precibus mitescere nullis,
Non auro cessisse videt, crebérque recurrit
Nuntius incassum, nec spes iam fœderis extat,
Tandem concilium belli [K] *confessus, agendi*
Ad sua tecta vocat, iuuenes venere proterui
Lasciuíque senes, quibus est insignis edendi
Gloria, corruptásque dapes variasse decorum;
Qui ventrem inuitant precio, traduntque palato
Sidereas [L] *Iunonis aues, & siqua loquendi*
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæsitus trans regna cibus: quorúmq; profundam
Ingluuiem [M] *non Ægeus, non alta* [N] *Propontis,*
Non freta longinquis Mæotia piscibus explent.
Vestis [O] *odoratæ studium; laus maxima, risum*
Per varios mouisse sales, miniméque viriles
Munditiæ; compti vultus, oneríque vel ipsa
Serica; sin Hunnus feriat, sin Sarmata portas,
Solliciti scenæ; Romam contemnere sueti,
Mirarique suas quas Bosphorus obruit ædes;
Saltandi [Q] *dociles,* [R] *aurigarumque periti.*
Pars humili de plebe duces, pars compede suras,
Cruráque signati, nigro liuentia ferro
Iura [S] *regunt; facies quamuis inscripta repugnet,*
Séque suo prodat titulo. Sed prima potestas

Eutropium præfert, [r] Hosio subnixa secundo:
Dulcior hic sanè cunctis, prudensque nouandi
Iuris, & admoto, qui temperat omnia fumo
Feruidus: accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt apices gemini ditionis Eoæ,
Hic coquus, hic leno, defoßi verbere terga,
Seruitio, non arte pares. hic sæpius emptus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates.
Ergo vbi collecti proceres, qui rebus in arctis
Consulerent, tantisq; darent solatia morbis,
Obliti subitò Phrygiæ, bellisq; relictis
Ad solitos cœpere iocos & iurgia Circi
Tendere; nequicquam magna confligitur ira,
Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet, [x] verrat quis marmora crine supino;
Quis magis enodes laterum detorqueat artus;
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet:
Hi tragicos meminere modos, his fabula Tereus,
His necdum commissa choro cantatur Agaue.
Increpat Eutropius, non hæc spectacula tempus
Poscere, nunc alias armorum incumbere curas.
Se satis Armenio fessum pro limite cingi,
Nec tantis unum subsistere posse periclis,
Ignoscant senio, iuuenes ad prælia mittant,
Qualis pauperibus nutrix inuisa puellis
Adsidet, & tela communem quærere victum
Rauca monet. festis illæ lusisse diebus
Orant, & positis æquæuas uisere pensis:
Irataque operi, iam lasso pollice fila
Turbant, & teneros detergunt stamine fletus.

Emicat

Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
Crassa mole Leo [y] *quem vix Cyclopea solum*
Æquatura fames, quem non ieiuna Celæno
Vinceret, hinc nomen fertur meruisse Leonis:
Acer in absentes; linguæ [z] *iactator, abundans*
Corporis, exiguusque animi: doctissimus artis
Quondam lanificæ, [a] *moderator pectinis vnci.*
Non alius lanam purgatis sordibus æque
Præbuerit calathis, similis nec pinguia quisquam
Vellera per tenues ferri producere rimas.
Tunc Aiax erat Eutropij; latéque fremebat,
Non septem vasto quatiens vmbone iuuencos,
Sed quam perpetuis dapibus, pigróque sedili,
Inter anus, intérque colos onerauerat aluum.
Assurgit tandem, vocemque expromit anhelam:
Quis nouus hic torpor socij? quonam vsque sedemus
Fœmineis clausi thalamis? patimurque periclum
Gliscere desidia? grauiorum turba malorum
Texitur, ignauis trahimus dum tempora votis.
Me petit hic sudor; nunquam mea dextera segnis
Ad ferrum, faueat tantùm Tritonia cœptis.
Incœptum peragetur opus, iam cuncta furore
Qui grauat, efficiam leuiorem pondere lanæ
Targibilum tumidum, desertoré sque Gothunnos
Vt miseras populabor oues, & pace relata
Pristina restituam Phrygias ad stamina matres.
His dictis iterum sedit, fit plausus, & ingens
Concilij clamor. Qualis resonantibus olim
Exoritur [b] *caueis, quoties crinitus Ephebus,*
Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada fingit,

Protinus excitis iter irremeabile signis
Arripit, infestóque iubet bubone moueri
Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.
Pulcher, [C] & vrbanæ cupiens exercitus vmbræ,
Assiduus ludis, auidus splendere lauacris,
Nec soles, imbrésue pati, multúmque priori
Dispar, sub clypeo Thracum qui ferre pruinas
Dum Stilicho regeret nudóque hyemare sub axe
Sueuerat, & duris haurire bipennibus Hebrum.
Cum duce mutatæ vires, Byzantia robur
Fregit luxuries [D] Ancyraníque triumphi.
Non [E] peditem præcedit eques, non commoda castris
Eligitur regio, vicibus custodia nullis
Aduigilat vallo: non explorantur eundæ,
Vitandæq; viæ: nullo se cornua flectunt
Ordine: confusi passim per opaca vagantur
Lustra, per angustas ignoto tramite valles.
[F] *Sic vacui rectoris equi; sic orba magistro*
Fertur in abruptum casu, non sidere puppis:
Sic ruit in rupes amisso pisce sodali
Bellua, sulcandas cui præuius edocet vndas,
Immensúmque pecus paruæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monstro:
Illa natat rationis inops, & cæca profundi
Iam breuibus deprænsa vadis, ignara reuerti
Palpitat, & vanos scopulis illidit hiatus.
Targibilus [G] simulare fugam, flatúsque Leonis
Spe nutrice leues; improuisúsque repentè,
Dum grauibus marcent epulis, hostíque catenas
Inter [H] vina crepant, largo sopita Lyæo

Castra subit: pereunt, alij dum membra cubili
Tarda leuant, alij letho iunxere [l] soporem.
Ast alios vicina palus sine more ruentes
Excipit, & cumulis immanibus aggerat vndas.
Ipse Leo [k] dama, ceruóque fugacior ibat,
Sudanti tremebundus equo: qui pondere postquam
Decidit implicitus limo, cunctantia pronus
Per vada reptabat, cœno subnixa tenaci.
Mergitur; & pingui suspirat corpore moles
More [L] suis dapibus quæ iam deuota futuris
Turpe gemit, quoties Hostis mucrone corusco
Armatur, cingítque sinus, secúmque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ frustra calenti
Mandet aquæ, quantóque cutem distendat [M] Echino.
Flagrat opus, crebro pulsatus perstrepit ictu;
Contexit varius penetrans Calcedona nidor.
Ecce leuis frondes à tergo concutit aura,
Credit tela Leo, valuit pro vulnere terror,
Impleuitque vicem iaculi, vitamque nocentem
Integer, & sola formidine saucius efflat.
Quis tibi tractandos pro pectine degener enses?
Quis solio campum præponere suasit auito?
Quàm bene texentum laudabas carmina tutus,
Et matutinis pellebas frigora mensis,
Hîc miserande iaces, hîc dum tua vellera vitas,
Tandem fila tibi neuerunt vltima Parcæ.
Iam vaga pallentem densis terroribus aulam
Fama quatit, stratas acies deleta canebat
Agmina, Mæonios fœdari cædibus agros,
Pamphylios, Pisidásque rapi, metuendus ab omni

Targibilus regione tonat; modò tendere cursum
In Galatas, modò Bithynis incumbere fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
Sunt qui correptis ratibus, terráque maríque
Aduentare ferant, geminantur vera [N] *pauoris*
Ingenio, longè spectari puppibus vrbes
Accensas, lucere fretum, ventóque citatas
Omnibus in pelago velis hærere fauillas.
Hos inter strepitus funestior aduolat alter
Nuntius, armatam rursus Babylona minari
Rege nouo, resides [O] *Parthos ignaua perosos*
Otia Romanæ finem iam quærere paci.
Rarus apud Medos Regum cruor, vnáque cuncto
Pœna manet generi, quamuis crudelibus æquè
Paretur dominis. Sed quid non audeat annus
Eutropij? socium nobis fidumque [P] *sodalem*
Perculit, & Persas in regia vulnera mouit;
Rupturásque fidem, leto pars nequa vacaret,
Eumenidum tædas trans flumina Tigridis egit.
Tunc verò cecidere animi, tantísque procellis
Deficiunt septi; latrantibus vndique bellis
Infensos tandem superos, & consulis omen
Agnouere sui; nec iam reuocabile damnum
Euentu stolido rerum didicere magistro.
Nanque ferunt geminos vno de semine fratres
Iapetioniadas, [Q] *generis primordia nostri*
Dissimili finxisse manu: quoscunque Prometheus
Excoluit, multúmque innexuit æthera limo:
Hi longe ventura notant, dubijsque parati
Casibus occurrunt fabro meliore politi.

Deteriore luto prauus quos condidit autor,
Quem merito Graij perhibent Epimethea vates.
Et nihil ætherei sparsit per membra vigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res antè vident: accepta clade queruntur,
Et sero transacta gemunt, iam sola renidet
In Stilichone salus; at cuius semper acerbum,
Ingratúmque sibi factorum conscius horror
Credidit aduentum: quem si procedere tantum
Alpibus audissent, mortem pœnásque tremebant.
Iam cuncti venisse volunt, scelerúmpue priorum
Pœnitet, hoc tantis bellorum sidus in vndis
Sperant, hoc pariter iusti sontésque precantur.
Ceu pueri, quibus alta pater trans æquora merces
Deuehit, intenti ludo, studijsque soluti,
Lætius amoto passim custode vagantur:
Si grauis auxilio vacuas inuaserit ædes
Vicinus, laribúsque suis proturbet multos,
Tum demum patrem implorant, & nomen inani
Voce cient, frustráque oculos ad littora tendunt.
Omnes supplicio dignos, letóque fatentur
Qui se tradiderint famulo, Stilichone relicto.
Mutati stupuere diu, sensúque reducto
Paulatim proprij mirantur monstra furoris,
Auertúntque oculos, proiectis facibus horret
Lictor, & infames labuntur sponte secures.
Quales Aonio Thebas de monte reuersæ
Mænades infectis Pentheo sanguine thyrsis.
Cùm patuit venatus atrox, matríque [R] rotatum
Conspexere caput, gressus caligine figunt,

Et rabiem desisse dolent. Quin protinus ipsa
Tendit ad Italiam supplex Aurora potentem,
Non radijs redimita comam, nec flammea vultum,
Nec croceum vestita diem: stat liuida luctu,
Qualis erat Phrygio tegeret cùm Memmona busto.
Quam simul agnouit Stilicho (nec causa latebat)
Restitit: illa manum victricem amplexa moratur,
Atque ita vix lacrymans inter suspiria fatur:
Tantáne te nostri cœperunt tædia mundi?
Sic me ludibrium famulis risumque relinquis,
Dux quondam rectorque meus? solámque tueris
Hesperiam? domiti nec te post bella tyranni
Cernere iam licuit sic te victoria nobis
Eripuit? Gallísque dedit Rufinus origo
Prima mali geminas inter discordia partes
Hoc autore fuit: sed iam maiora mouenti
Occurrit iusta rediens exercitus ira.
Fortis adhuc, ferríque memor breuis inde reluxit
Falsáque libertas, rursum Stilichonis habenis
Sperabam me posse regi: proh cæca futuri
Gaudia, fraterno coniungi cœperat orbis
Imperio (quis enim tanto terrore recentis
Exempli, patribus sese commiteret ausis?)
Cùm subitò monstrosa mihi, turpísque relatu
Fabula Rufini castratus prosilit hæres,
Et similes iterum luctus fortuna reduxit,
Vt solum domini sexum mutasse viderer.
Hic primum thalami claustris delicta tegebat
Clàm timidéque iubens; erat inuidiosa potestas.
Et tamen eunuchi, necdum sibi publica iura

Sumere, nec tantas audebat vertere leges.
Sed postquam pulsisque bonis, & fece retenta
Peiores legit socios, dignósque sodales,
Hinc Hosius stetit, inde Leo [t] *fiducia creuit,*
Regnandíque palàm flagrauit aperta libido,
Patritius consul, maculat quos vendit honores,
Plus maculat quos ipse regit; iam signa tubæque
Mollescunt, ipsos ignauia fluxit in enses.
Exultant meritò gentes, facilisque volenti
Præda sumus: iam Bistonijs, Hæmóque niuali
Vastior expulsis Oriens squalebit aratris
Hei mihi quas vrbes, & quanto tempore Martis
Ignaras vno rapuerunt prælia cursu.
Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
Terruit [v] *Antiochi muros, ipsumque decoræ*
Penè caput Syriæ flammis hostilibus arsit.
Vtque grauis spolijs, nullóque obstante profunda
Lætus cæde redit, sequitur mucrone cruento
Continuum vulnus: nec iam mihi Caucasus hostes,
Nec mittit gelidus Phasis, nascuntur in ipso
Bella sinu [x] *legio pridem Romana Gothunni*
Iura quibus victis dedimus; quibus arua domosque
Præbuimus, Lydos, Asiæque vberrima vastant
Ignibus, & si quid tempestas prima reliquit.
Nec duce, nec numero freti, sed inertia nutrit,
Prodigiúmque ducum, quorum per crimina miles
Captiuis dat terga suis, quos teste subegit
Danubio; partémque timet, qui reppulit omnes.
Aula choris, epulisque vacat, nec perdita curant,
Dum superest aliquid, ne quid tamen orbe reciso

Venditor amittat, prouincia quæque superstes
Diuiditur, geminumque duplex passura tribunal
Cogitur alterius pretium sarcire peremptæ.
Sic mihi restituunt populos, hac arte reperta
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.
In te iam spes vna mihi: pro fronde Mineruæ
Has tibi protendo lacrymas, succurre ruenti:
Eripe me tandem, seruilibus eripe regnis,
Néue adeò cunctos paucorum crimine damnes:
Nec noua tot meritis offensa prioribus obstet.
Iam iam flecte animum: suprema pericula semper
Dant veniam culpæ: quamuis iratus, & exul
Pro patriæ flammis non distulit arma Camillus.
Non te subtrahimus Latio, defensor vtrique
Sufficis, armorum liceat splendore tuorum
In commune frui, clypeus nos protegat idem,
Vnáque pro gemino desudet cardine virtus.

FINIS.

ANNO-

ANNOTATIONES LIBRI SECVNDI IN EVTROPIVM.

Præfatio hæc mirè elegans est ac lenè fluit, vt facilè appareat quid in Elegis hic poëta valuerit, hic verò acriter instat vt capitis damnetur Eutropius iam capite minutus: neque Cyprio exilio tot crimina expiari posse contendit, qua in re dicas forsitan cantu ipsius eloquẽte idem penè effectum quod inuectiua Ciceronis in Catilinam: nam Eunuchus tandem periit, quod tamẽ ex hoc poëta non didiceris, quoniam vero quidam litterarum antistes ciuiliter nimis accipit locum Socratis lib. vi. vbi: ὁ Βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν. ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσεν: quæ olim apud Zosimum à me lecta sunt paucis expediam. Eutropius igitur postquam Rufini spolis ditatus tesseram cum Stilichone confregit, Gainam statim nactus est inimicum, qui data occasione Targibilum sibi clam adiunxit in Phrygia bellum excitaturum atque ita Orientis imperium lento ac molli regimine debilitatum ad inuidiam Eunuchy terrore subito Geta perculit, quare Gainas vir animosus, sed huius rei cõscius Arcadio significat Eutropium esse totius mali originem, & quasi noxæ dedi postulat. Is recognita ad Ecclesiam confugit, vnde vrgente Gaina extractus in Cyprum relegatur, dein quasi per lusum fide principis violata, è Cypro reuocatus est, eíque promissa securitate in Vrbe Constantinopoli, astu maligno Calcedonem delatus est, ibique obtruncatus. Sed alii Græci id aiunt factum Aureliano P. F. P. & aliis illustribus viris cognoscentibus, nec sine permissu Arcadij ab Eudoxia impulsi, non enim illa perpeti contumelias Eunuchi poterat, minati (quia non nisi filias pareret) se-

ipſam ad ſuos reducturum, vt vt ſit non dubiū eſt quin ad fata Eunuchi properanda mandatum principis vel vi vel precario acceſſerit, hæc Elegia ſanè multa Chryſoſtomo accepta refert, vt & liber primus. Hæc vero ſcripta, anno 399.

PATRICIVS. Non ſolum Eunuchus hic fuit Conſul ac Præf. Prætorio, ſed Patricius id eſt Principis pater, qui honor paternæ poteſtatis nexibus exuit, niſi aliter à principe caueatur, ac vni tantum cedit fulgori, id eſt Conſulatui: ſucceſſoris verò ambitionem non timet. denique Patriciatus dignitas eſt homini coæua, vide Caſſiod. & Inſtit. iuris, de Eutropio in C. Th. Patriciatus dignitate & atque omnibus infectoribus ſpoliatum ſe eſſe cognoſcat, vide reliqua.

IN DOMINOS. Aliàs Indomitos perperam & contra vet. codd. quorum alter habuit in Domino: quod forte intelligi queat de Arcadio cui hic nebulo metum incuſſerit, Virgilius Talis in hoſte fuit, id eſt In hoſtē ſed verius eſt dici dominos eos qui olim ſeruili monſtro tanquam mancipio vſi, quos omnes, vt conditionis ſuæ deleret memoriam, crudelibus dolis inſectabatur? aut ſi mauis interpretari dominos Stilichonem & alios iſtius ordinis, cum quibus inimicitias exercuit, viros non, vt iſte, ad ſeruitutem ſed ad dominationem natos, cæterum vt ait Theophilus, φύσει ὁ δοῦλος τοῦ δεσπότου πολέμιος. Vide & Feſtum.

SECVRI. Varia & multiplex alluſio in his elegis.

ILLICITAS. Quia fortè indignum erat quenquam aut exilio aut alia pœna affici initio, nec dum finito conſulatu, quod etiam probatur ex Paneg. 3. Stil. vbi quiſque poſt conſulatum iudicio Senatus ſe ſubiicit atque, vt idem ait; diſcrimen letale ſubit. alter codex habuit Illatas; quod ne planè reiiciam facit illud Martialis & delator habet quod dabat exilium.

ABLATO nomine, in Cod. Th. Arcad. & Honor A A. Aureliano P. P. Omnes res Eutropi qui quondam Præp. Sacri cubiculi fuit ærari noſtri calculis adiunximus: Erepto ſplendore eius; & conſulatu à terra inluuie & à commemoratione nominis eius & cænoſis ſordibus vindicato, reliqua vide. Cicero in Philippicis ait Antonij Conſulalatum ex omni monumentorum memoria reuulſum Tacitus: Nomen Piſonis radendum

faſtis cenſuit. Inde vero factum eſt vt in Faſtis non reperiatur nomen Eutropij, nec ſine gratia videas apud Caſſiodorum (niſi id caſu euenerit) Manlio & Theodoro coſſ. vt olim Iulio & Cæſare coſſ. vide Epig. apud Suet. & de Caninio Ciceronis dicterium.

f *CHARTÆ* exiguæ, hæc indicant Edictum eiuſmodi paucis comprehendi, cuius formula opinor extat in Iuliani Imp. epiſtola: Iubemus Athanaſium eo die quo humanitatis noſtræ litteras acceperit vrbe excedere.

g *ARTE* feminea. Eudoxię Auguſtæ opera, quæ ab Eutropio offenſa Pulcheriam & Arcadiam infantulas in ſinu gerens coram Imperatore, lacrymis obortis queſta eſt de impudentia Eunuchi, ſed in vet. Cod. legimus: Arce quod veriùs puto quia ſupra lib. 1. ſeminir in arcem rerum ſublatus dicitur, vt Arx feminea, ſit regimen diſtincti & eneruis.

h *INSOMNIA*. Hic locus ferè indicat Claudianũ aliter ſenſiſſe de prophetia, vt ita dicam, Ioannis viri deuoti, de quo B. Aug. ſed credo facilè rem ei non fuiſſe cognitam, aut Eunuchũ ſuppreſſo Ioannis nomine ſibi vaticinandi peritiam, inſtar Sibyllæ, adrogaſſe, vnde poëta: Proſtratóſque canit ſe vate tyrãnos hunc vero paganum fuiſſe ait Proſper Aquit. Plura diximus lib. primo. mentem auctoris profectò non aſſequitur homo alioqui ſatis perſpicax.

i *SOROR*. Vide argutias, & iocoſam, pene dixerim, malitiam, imo vero legitime locutus eſt, nam in Codice reperias: Eum qui probabilem ſæculo diſciplinam agit decolorari conſortio ſororiæ adpellationis non decet. Martialis quærenti cur Themiſon vxorem non habeat? habet ſororem, inquit.

k *NON* feriere, ait Eutropium qui multis caput abſtulit non idem adepturum, eique vitam fore ſupplicio, verum id poſtea euenit. Ouid. Tantummodo vita relicta eſt Præbeat vt ſenſum materiemque malis.

l *OPES*. Exules, & capitali iudicio damnati bona amittebant, quibus, ſi poſtea fama reſtituebatur, bona ſua aut parentibus vt plurimum redibant, quod contigit M. Ann. Melæ patri Lucani qui hoc à Nerone eſt promeritus, vetus inſcriptiò marmorea, teſte Io. Sulpicio, Romæ viſitur in æde D. Petri: M Anneo Lucano cordubenſi poëtę beneficio Neronis Cæſaris fama reſtituta, vide Tacitum de hac re.

ᵘ *PVLSAS.* Stat, Pulsare querelis Cælicolas, alibi Pulsare inuidia superos.

ˣ *CYPRVM.* Omnia in hac descriptione arrident, atque ex voto eueniunt huic poëtæ, nam id vnum restabat vt mollis homo exilium conueniens, & aptum suis moribus sortiretur, & hoc opportunè contigit. C. Th. de pœnis Eutropius ad Cypri insulam perductus & relegatus dicitur, quod Rescriptum cum legerit Claudianus, non miror si multa habeat similia.

ᴬ *VLCERA.* Id opinor è Virgilio humanæ diuinitatis viro defluxit: continuo culpam ferro compesce priusquam Dira per incautum serpant contagia virus. Ouidius: Vt corpus redimas ferrum patieris & ignes, varro: Scimus digitum præcidi oportere si ob eam rem gangręna non sit ad brachium ventura, in his vero exemplis figura est a medicis desumta. At Claudianus ea mente dixit qua Cicero Philippica 9. de Antonio quæ verba infelici nuper augurio notata sunt, nec libet referre, magis arridet illa sententia Cic. ex Amm. Salutaris rigor vincit inanem speciem clementiæ.

ᴮ *LVSTRARE* Oceanus, mare apud Euripidem, κλύζει πάντα κακά. Prop. Eluere vasto mari, quin etiam rabidi oceano lustrantur hodiè, alia tamen ratio mouit olim Celtas seu mauis Germanos, qui vt alibi tradimus, adhuc penè rubentes à matre pueros in suo flumine explorant, inde sanè coniicio Rhenū vulgari idiomate a puritate deduci, cæterùm de inundatione quæ infra vide Gręcam Hist.

• *QVAM* numina. Occultat rerum semina Deus (ait Plin. in Paneg.) & plerumque bonorum malorúmque causę sub diuersa specie latent, ac teste Lucretio, Res humanas vis abdita quædam obterit.

• *DEXTRAM* contingere &c. Apud Homerum, Κύσσε δὲ κεφαλὴν καὶ χεῖρας ἀμφοτέρας. Martialis: Basia das aliis, aliis das Postume dextram, apud Arrianum seruile est manum osculari, quod plus est quam contingere, prensare manum est candidati, aut petitoris, apud Ammianum: Adulatoribus offerunt quidam genua suauianda, ait Pomponius secundus pedes Caligulæ basiauit, Dione teste.

• *ÆRA.* id etiam testatur Suidas, vnde in Cod. Theodosij: Omnia simulacra eius, tam ex ære, quam ex marmore, seu ex fucis, quàm ex aliâ quacunque materie, quæ apta est effingendis,

ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locisque priuatis, ac publicis præcipimus aboleri; ne tanquam nota nostri sęculi obtutus polluat intuentium.

ſ *CONVIVA* & Domini. sic habet vet. Codex. aliàs conuiuant nullo sensu. quod impulit virum insignem vt ita coijceret: Cum viuant Domini? id est Impp. deinde: Hoc patitur miles? Ego vero conuiuam Domini accipio Eutropium quem Dn. Arcadius mensæ honore dignatus sit. qui summus honor, ac præcipuus apud Curtium. vnde & Lat. Pacatus: Ille mensa beatus, ille osculo consecratus est. neque Virgilius ab re dixit: Tu das epulis accumbere diuum. Statius: conuiuam Ducis esse gloriatur atque appellat Mensę sacra. vide quę in Ruf. r. dicta sunt. Nos verò Christiani sumus quasi conniuę Domini vnde illud non malę: Tu nos facis commensales. sed hęc forte nimia.

• *MILES.* Pauci quos amauit Mars id nominis consecuti sũt, inde imperator ille commilitones dixit, quia & Miles haberi voluit, multi duces pauci milites, hanc sanè Rex in Europa maximus appellationem non renuebat olim, nec sine exemplo. extat enim vetus Romæ inscriptio Stil. v. c. & inlustris, Militis, & Magistri vtriusque militiæ.

ᵘ *CONDITOR.* Id est repostor, non positor, cui non positura sed restauratio vrbis debetur, Liuius in hanc rem: Dictator triumphans, Romulus ac parens patriæ conditórque alter vrbis adpellatus.

ᶦ *BYZAS.* De hoc supra dictum est, is fuit Neptuni filius, Eustath. supra citauimus Græcum epigr. in hanc sententiam: hîc fortem Byzanta, hîc & Phidalian amicam Calliades vno iunxit honore duos.

ᵏ *CONSTANTINVS.* Hic Troiam nouam molitus, Byzantium, quasi ad vrbis æternæ inuidiam, insedit: vt Constantinopolis & Roma Imperans diceretur. Et pater Constantius, heroi quàm homini similior, quem & Græculi à flore nominitant, & verò iuuenis cum esset Helenæ nymphę, vt ita dicam, eleganti, sed, teste diuino Ambrosio, stabulariæ pudoris sui spolia dedicauit: Drepani scilicet, quæ posteà Helenopolis. Bythinus ergo fuit hic noster, in quem prima Constantij iuuẽta se transfuderat, in cuius ore cælestes illius vultus natura signauerat, ait Panegyris, neque nobiles fecit Britannias nisi iam adultus ac radio Cæsariæ dignitatis, quam soli primulùm se exe-

renti, neque dum orto ad ſimilem dixeris, hi vero ſunt gradus, ni fallor, ad imperium: Nobil. Puer, Princeps Iuuentutis, Cæſar nobiliſſimus, Auguſtus adſcititius, Oriens Imperator, quorũ quidã promiſcue nec neceſſario habiti: Neque inde imperator ſi fas, ordinarius elicitur; ſunt enim iſta quaſi peculiaria, nec tranſlato dominio, ſic ferè Seneca fuit, nec fuit conſul quinimò Conſtantius ſola dignitate Auguſti cenſitus gubernacula imperij minimè rexit, neque plus iuris in filium transferre potuit quàm ipſe habuit, vix eſt ſanè vt vllum ipſius Reſcriptum aut legem reperiat, quæ faciunt vt in ordinem non venerit, ſed plus fuit mereri, ac diuorum numero adſcribi à funere. Itaque Conſtantius cum ipſi pater imperium reliquiſſe videretur, Cæſaris adpellatione contentus expectare voluit idem, qui illum declararet Auguſtum, quod non contigit niſi ſalua maieſtate & prerogatiua ſeniorum Principum, vel ſolius Maximiani; quo extincto tunc demum reapſe orbis regimen adeptus eſt. Nota vero ſunt illa: Natalis vrbis reſtitutæ; ortus Cæſarum; Exortus imperij, quibus ineſt figura valde inſignis. Sed enim plura olim notauimus ad panægyres imperatorum dictas quas olim diligenter contulimus cum editione Rhenani, in cuius ora emendationes erant plurimę I. Gulielmij manu, vt audiui, exaratę: diuerſa tamen videbatur mihi ſcriptura ab ea quę in omnia Ciceronis opera exſtabat.

[l] *LENO*. Leo ſcilicet, vir obeſus ac mero nimius, & cui conueniat Mart. epigramma quod infra imitatur hic poeta: Nocturno fœtere mero qui credit Acerram Fallitur, in lucem ſemper Acerra bibit. huc etiam reſpicit illud Antiphan. poetæ: δεῖ γὰρ φαγόντας δαψιλῶς βρέχειν.

[m] *ANCYRA*. Ita vetus liber, nõ Amphyſa aut Ægeira Steph. Ἄγκυρα πόλις τῆς γαλατίας.

[n] *ITER* repertum. In Paneg. ad Conſtantinum: Non ille exerceri armis, non puluerem pati: In Salluſtianos hortos ire peregrinatio putabatur. Pacatus: Non te diſpoſiti ad temporũ vices habuere ſeceſſus. Eutropius verò in Galatiam nauigaturus viam breuiorem, ſeu compendium reperit, ſic Magellanus patrum memoria: ſed magna in re.

[o] *QVASSAVIT* galeam. Iuuen. ad Martem: Nec galeam quaſſas nec terram cuſpide pulſas, apud Liuium Mauors telum ſuum concutit ſors ita reddita fuit.

[p] *GRATOS* Quirites. Cæſar hoc vno vocabulo militũ animos

depressit, vel excitauit. Luc. Tradite vestra viris ignaui signa quirites. Constantinopolis autem meritò Roma dicta est, nam & septem montibus excelluit, vnde septicollis seu Επτάλοφος in quodam veteri oraculo dicta est, iure Italico incisis Constātinopoli tabulis vtebantur, renouato sub Valentiniano.1. Imp. vide Cod. Th. lib. 14.

[s] *GOTHVNNIS* mixtis, vet. quidam Codices nobis obtrusere nescio quos Grutungos quos in Gallia statuit vir alias acutus. Sunt igitur natio Arctoa, sic dicta vt Celtiberi apud Martialem: Celtę miscentes nomen Iberis, qui poëta fuit Celtiber vnde ait: Nos celtis genitos & ex Iberis. Legiones autem Romanorum è diuersis gentibus conflatæ vt notitia imperij, ac vet. inscriptiones docent vbique. igitur Gothunni in hoc poëta legendum est, id vero omnes excusi libri suadent.

[t] *IACVLABILE.* Ausonius: Nec prętcr dominum vibrabilis ornus Achillei, huc etiam respicit locus Ouidij: Prospicit à tergo summum breuis area circum est vbi non paruæ parua columna notæ: hinc solet hasta manu belli pręnuntia mitti in regem aut gentes cum placet arma capi.

[u] *TARGIBILVS.* Hæc dictio variè scribitur ab Historicis Græcis, atque hinc emendari posse autumo, at seruius: Quoties poëta aspera inuenit nomina, vel in metro non stantia; aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. Tribigildum habet Zos. contra quem vafer Gainas missus, scripsit ad Arcadium se nihil in Phrygia promouere propter bellicam virtutem atque industriam Targibili.

[r] *DITATVR.* Fœdifragi ac perduelles illis temporibus ditabantur, iisque præsto erat venia. Lucanus: Quidquid multis peccatur inultum est.

[y] *ILLYRICOS.* Hîc designatur Alarichus Gothorum dux, vir olim Theodosio in bellis vtilissimus; sed adeò cautæ & crudelis auaritiæ vt modo harum esset, modò illarum partium, nā Illirycum quasi inter Arcadij & Honorij limites situm ac litigiosum primò huius dein illius nomine occupauit, accepta vtrinque pecunia hunc sanè Eutropius, ac Stilicho inuicem sibi inuidere, vt ex Zozimo colligitur.

[x] *CONTRA.* Id est ex aduerso. Virg. Venus aurea contra Claudiani mens: Non te ita monerem, si tibi confligendum es.

fet cum viris. Pati hoc loco eſt experiri, ſic infra: Tela pati, eſt exercere.

[y] *PATERERE.* Sic libro 1. Eutropium paſſure Cato.

[z] *AVEM.* Sic Megæra apud Virg. Alitis in paruæ ſubitò cõuerſa figuram, Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis Nocte ſedens ſerùm canit importuna per vmbras.

[A] *PHRYGIÆ.* Hæc ſanè elegantiſſima deſcriptio non immerito à viris magnis laudata eſt, vide & Mart. Capellam, vide etiam totum initium lib. 3. Q. Curtij vnde hæc deſcriptio.

[B] *REX ÆGYPTIVS.* Vide apud Herodotum nobilem contentionem Pſammetichi regis Ægypti cum Phryge :, vtra lingua, aut natio eſſet prior aut antiquior, quod ὀνοματοποιία caprina potiùs quàm veritas idiomatis videtur definiiſſe.

[C] *LAXAVIT* vocem. Paulinus Epiſt. ad Amandum: Soluat linguam meam in verbum bonum, qui & aſinæ os in ſermonem laxauit humanum.

[D] *TIBIA.* Hæc fabula exſtat etiam apud Ouidium: I. procul hinc dixit, non eſt mihi tibia tanti vt vidit vultus Pallas in amne ſuos, idem in Faſtis: Ars mihi non tanti eſt, valeas mea tibia dixit excipit abiectam ceſpite terra ſuo. deinde ait inuentam à Satyro in ripa fluminis qua Phœbum prouocauerit, vide pænã Marſyæ in metam. hic vero iactata celebratum tibiam: apud Prop. Iacta, abiectam ſignificat, ſed Liciis non Libycis erat in vet. c. quod nimis placet, vide metam. probalis ſatſcio.

[E] *POPVLATIBVS.* Ita vetus liber, alij, ac fere omnes excuſi: Populantibus, nullo ſenſu, ergo Geticus populatibus dixit vt alibi: Ardent Heſperij ſæuis populatibus agri.

[F] *CORRVERANT.* D. Hieronymus: Muri neglecti pacis incuria reſarciebantur, apud Marcellinum lib. 29. Probus. P. P. Murorum Sirmij maximam partem pacis diuturnitate cõtemtam, & ſubuerſam aduſque ceſſarum turrium minas expediit, ergo pax nociua aliquando reip. ac imperiis quod non negauit Plato: quamuis Sapientes pacis cauſa bellum gerant, auctore Salluſtio, ac laborem ſpe otij ſuſtentent, vide VI. Paneg. Honorij.

[G] *DVCE NON IVDICE.* Elegans alluſio, alibi de Theodoſio

Theodosio: Non hostes victore cadunt; sed iudice sontes Dănat voce reos.

[x] *VASTA* ales. Struthiocamelus, siue marinus passer. Nemesianus: Libye magnarum auium fœcunda creatrix. Plautus in Persa: Volare curriculo, iste marinus passer per circum solet.

[i] *FRIMA CINGVLA.* Credo hîc militare culmen seu Mag. militum intelligi, qui honos pridem consulari prælatus est C. Theodosij lib. 6. aut cingulum illud quod acceperat, Targibilus Geta cum sacramento militiæ primò obstrictus est, atque in numeros relatus: vt ex eo constet, cingulo abiecto à Romanis defecisse Targibilum: Nisi malis oblatum militare culmen respuisse, contemtu eunuchi, munera enim dantis meritò censeri solent. Absentibus sane mittebatur etiam cingulum illustris dignitatis quod primum fuisse conijcio ex Not. Imperij & lib. XII. Cod. Tit. 8. nam Præf. Prætorio & vtriusque militiæ magister erant indiscretæ dignitatis. Statius: cuique sacer primum tribuit Germanicus ensem. quod de P. F. Prætorio Pybracus olim exposuit. Lazius vero, quod miror, prima cingula putat esse cinctum Gabinum, seu insignia consulatus.

[k] *CONFESSVS.* Culpam suam, supple, ac miseriam, confessus Eutropius concilium vocat. Hom. Il. Ἐ· τὰς ὅγε συγκαλέσας πυκινὴν ἠρτύνετο βουλήν. Virgilius: conciliúmque vocat, alias Consilium, non adeo benè, dixit vero etiam, absolutè, confessúsque pater Paneg. 4. Hon.

[l] *AVES.* Pauones, non solum sed & Psittaci ab extrema india cœnis Orientalium appositi, vt etiam lusciniæ olim, viridis hîc Psittacum indicat: Ouidius: Et niger à viridi turtur amatur aue: Tacitus in hanc rem dixit: Exquisita cœnarum ingenia.

[m] *INGLVVIEM.* Sall. Vescendi causa terra maríque omnia exquirere, Seneca verò dicit: conuiuiorum luxuriem & vestium esse ægræ ciuitatis indicia.

[n] *PROPONTIS.* Vt olim Romani Impp. amœna littorum in Campania obsidebant, sic vt Themistius tradit, Orientis principes in Propontidem & Prota secedere soliti vbi nimium securi æstiuabant, vide Nicetam, sed enim Ausonius huic loco lucem adferet aliquam ex carmine de ostreis ad Paulum. Accedunt quæ fama recens Byzantia subter littora, & insanâ generata propontidis actâ promoti celebrata ducis de nomine laudāt.

• *VESTIS* odoratæ. Apud Q. Curtium: Non auro neque discolori veste, sed ferro atque ære fulgere debuerant. At Cæsar milites ornauit politis armis ad speciem, quo metu damni tenaciores essent, iactabátque, milites suos etiam vnguentatos bene pugnare, sed alia ratio est quia Cæsar exemplo virtutis poterat suos animare hic vero eunuchus minimè.

ᵖ *ROMAM* contemnere sueti. Idque immerito, nam vt refert Auson. prima vrbes inter diuum domus aurea Roma. Dionysius vocat, μητέρα πασῶν πολέων, καὶ μέγαν οἶκον ἀνάκτων.

ᵠ *SALTANDI.* Nemo vnquam saltauit sobrius ait Cic. quinetiam Zosimus optat malè perire saltatores.

ʳ *AVRIGARVM.* In ora vet. libri quidam sciolus scripserat: Aurigandi, sed Horatius dixit: decurtatus inæquali tonsore capillos. ac Virg, Heu vatum ignaræ mentes id est vaticinij vt hic Aurigationis.

ˢ *IVRA.* Sic Barb. Philippus cum seruus fugitiuus esset Romæ Præturam petiit & Prætor designatus est lege 3. de off. Præt.

ᵗ *HOSIO.* Is C. Th. perhibetur magister officiorum, & Comes sacrarum largitionum.

ᵛ *NOVANDI* iuris, sic habet vet. exemplar, idque manu sua adserit Cuiacius, apud Tacitum: Callidus & noui iuris repertor Tiberius, vide Dionem lib. lv. talis etiam Tribuniani industria detegitur à Suida, neque alienum est nimis illud Menandri, Ορῶν τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς συκοφάντης φαίνεται, aliàs, mouendi in textu. 32.

ˣ *VERRAT* marmora, ita vetus cod, alias Vertat, quod miror defendi à Brodæo viro suæ ætatis eruditissimo, discum vero putat intelligi, ídque nititur confirmare ex quodam loco Odysseæ, sed operam ludit. scitum est verò quid funambuli & histriones valeant efficere: sane hîc nihil aliud indicat, quàm eum qui pedibus in altum erectis incedit, vtraque manu faciēte officium; ita vt decliues capilli (quos alere sueuerunt) verrant moto capite pauimentum, quod fit ex marmore, nam apud Plinium in Epist. Virginius Rufus per læue ac lubricum pauimentum fallente vestigio cecidit, ego marmoreum fuisse non dubito.

r *LEO*. Hic zosimo teste nulla belli experiētia neq; virtute fuit spectabilis, nec alia ratione inclaruit quam quod Eutropio iucundus esset: à quo, vt ait Suidas, missus contra barbaros ob studium crapulę fuit deceptu facilis. Fortitudinem vero suam in eo ponebat vt plures haberet meretrices quam milites, & plus biberet quam reliqui omnes.

s *LINGVÆ* iactator, hîc satis liquet Leonem fuisse pusilli animi; nam auctore Tacito, ignauissimus quisque, & in periculo minimùm ausurus verbis nimius est, & lingua ferox: denique vt ait Liuius, viri nati militiæ factis magni, ad linguę certamina rudes.

t *LANIFICÆ*. Hæc stilo eleganti exprimit D. Hieronymus in Epistolis: habeto lanam in manibus vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquendam sub tegmina in alueolis fusa vertantur aliorúmque neta vel in globum collige, aut texenda compone; quę texta sunt inspice, vides hominis peritiam? dicas lanificium exercuisse.: hunc tamen stilum vocat Ecclesiasticum.

u *CAVEIS*. Huic loco mirè conuenit locus apud Am. Marcellinum quem consule & inquire.

x *PVLCHER* exercitus, declarat mollitiem ducum eiusmodi, & militum qui vmbra & vrbe potius quam sole & puluere delectentur, cum teste Vegetio, exercitus dicatur quod melior fiat exercendo. Seneca: Fortior miles è confragoso venit, segnior est vrbanus & verna, denique, vt ait Tacitus, Vernacula multitudo lasciuię sueta, laborum intolerans, imo sunt quasi sellularii aut sedentarii opifices ac digni qui exemplo Sardanapali fusum non fundam, telas non tela contrectent.

y *ANCYRANI* triumphi, ita vet. cod. aliàs Amphyrani vel Amphysani supra Ancyrę meminimus ad quam Eutropius quasi ad delicias suas se conferebat.

z *NON PEDITEM*. Hîc notat imperitiam ducum eutropiani exercitus à Leone supino & crasso homine educti, vbi omnia indisposita (sic enim Tacitus) peruigiliis & Bacchanalibus, quàm disciplinæ & castris propiora.

a *SIC VACVI*. Elegans cum Balena comparatio, illa enim absque Musculo pisce paruulo, aut derraret facilè aut miserè exspiraret, Plin. Balęnę musculus, quandoque prægraui superci-

liorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem vnda prænatans demonstrat, oculorúmque vice fungitur.

G *TARGIBILVS.* Is profectò se militem, imo ducem exhibet: dum spe victoriæ (vt loquitur Tac.) inducit eos vt vincantur, atque alienam opperitur stultitiam.

H *INTER VINA.* In circulis & si diis placet conuiuiis sunt qui exercitum ducant ait Liuius, at optimè Curtius: circũferri merum largius iubent debellaturi super mensa Alexandrũ, sane viri fortes sunt (teste Philosopho) πρότερον ἡσύχοι, sed postea ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς.

I *SOPOREM.* Vide planè Virgilium de præclarè gestis ab Euryalo & Niso.

K *DAMA.* Huc planè respicit illud Homeri de Agamemnone: Οἰνοβαρὴς κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο, nam Leo fuit vini gurges & meticulosus. tales galeati lepores apud Liu. 13. quibus nec in victoria decus putatur, neque in fuga flagitium.

L *MORE SVIS.* Apud Aristoph. quidam carnes suillas obfaciens hunc sonum edit. ὖ. ὖ. ὖ. Nescio quid vero est apud Zos. de suillę carnis præbitore. In Cod. Th. est Suarius ordo, suaria functio & suarium obsequium, consule si vacat.

M *ECHINO.* Locus obscurus hactenus, quid enim: Echino cutem distendere? At Persius: pingui tentus omazo. Ausonius Potas, nimiaque tendis mole saginam. Echinus vero Hippocrati, Ἐχῖνος vasis genus est quod exponitur, χύθρα μεγαλόστομος, id est vasti oris. Horatii interpres ait vas esse in quo calices lauantur, sed pulchrè videtur dixisse Plinius calicem echinatum. Itaque colligitur ex his Hosium siue Osium non pitissare sed quasi plena dyota sorbere, ita vt Pinguis exstet aqualiculus. Nisi tu malis Echinum marinum intelligi, de quo Martialis opinor: Ille licet digitos testudine pungat acuta Cortice deposito mollis echinus erit. Plinius li. 1. Epistolarum: Echinos maluisti; optimi vero qui iuxta Misenum capiebantur, vsi sunt Romani in cibis. Cæterum oua Echinorum Notarum scriptor elegans interpretabatur, vide & alterum Plin. li. 9. c. 31. Sed enim ab Echinorum asperitate multa Echini nomen sortita sunt, vt venter bouis Aristoteli de part. anim. lib. 3. ita & hic tergum vel spinam suis interpretari malim, quod Galli habent in deliciis modo pisa admixta sint: immo vero hanc dictionem, παρὰ τὸ

ἐχῖνε, ſuo idiomate bellè nimis exprimunt, vide Cedrenum de iis quos Κεράτας vocat, Ouid. de ſue: rigidis horrentia ſetis terga dat.

PAVORIS. ingenio. Ouid. grande doloris ingenium eſt. Lucanus ſic quiſque pauendo dat vires famæ. Silio, docilis paſcere rumorem vulgi pauor. Cuncta vt mos famę in maius credita, ſic Tacitus loquitur.

PARTHOS. Id eſt Perſas, nam hęc promiſcuè poëtę vſurpant. Certum eſt verò ipſos facile ab impoſito iugo reſilire, quia gentes eiuſmodi non ſunt adſuetę fręnis ſeruitutis, ſed amant ſuos Reges, quantum odere aliena imperia. Q. Curtius: Perſæ non ſolum piè ſed & prudenter ſuos Reges inter deos colunt: maieſtas enim imperij ſalutis tutela eſt. Idem, ingenita quibuſdam gentibus erga reges ſuos veneratio, vt puta veris Gallis. Eſt vero locus in Ep. Iuliani imp. vbi ſic ratiocinatur: Οἱ νόμοι φοβεροὶ διὰ τοὺς ἄρχοντας, leges principum cauſa timentur, ergo qui violauit Principem leges violauit.

SODALEM. Is eſt de quo Pacatus ad Theodoſium anteà dixit; Regem Perſarum qui Theodoſii hominem ſe conſideri nolebat in his imperatorem coluiſſe templis in quibus ipſe colitur, vide Pan. vi. Hon.

IAPETIONIDAS. Promethea & Epimethea Iapeti filios intellige, ſic Oedipodionidas dixit Auſonius, & ante illũ Statius, totus verò hic locus ex Platone quaſi ad verbum deſũtus eſt; neque ideo libet apponere, nihil enim noui adportarẽ, vide etiam Heſiod.

ROTATVM caput. Ouid. lib.3. met. Auulſúmque caput digitis. An in Paneg. quæ Lucano tribuitur; de Equo, cetuice rotata incipit effuſos in gyrum carpere curſus.

RECTORQVE meus. Stilicho ſanè cum eſſet Conſtãtinopoli omnia vel ſolo nutu regere videbatur, quia Comes, ac gener Theodoſii, & Mag. vtriuſque militiæ, tales opinor fuere Semidei vel heroes qui nec dii nec homines, ſed quid medium, aut ex vtroque temperatum, quam opinionem qui populo iniecere ex natura ſua bene comparata, miniméque ſubdola, non eſt quod faſciam Regum aut regiminis inuideant moleſtiam

FIDVCIA creuit, depræhende aſtum Eunuchi, qui vt ait

Hor. vapidam sub pectore vulpem gerebat, eadem subtilitate, apud Suetonium, Tiberius paulatim principem exeruit de quo Ouidius: Esse parem virtute patri qui frena rogatus Sæpe recusari cœperit Imperij.

ᵛ *ANTIOCHI* muros. Antiochiam accipe; quæ vrbs olim pulcherrima & ampla in primis: nam & Syriæ caput, incolæ ipsius fuere leues admodum & peruicaces, ita vt barbæ Iuliani imperatoris non pepercerint, quinetiam Flaccillæ Aug. statuam deiecere, in quos dum princeps vltionem parat Libanius seu potius Flauianus obuiam iit veniámque delicti meruit eloquētia, alioquin vrbs illa fuisset exemplo Thessalonicæ.

ˣ *LEGIO*. Gothunni quibus antea in Phrygia adsignati erant agri, tāquā fœderatis Romanorū, id est Orientaliū; quasi excusso iugo inuadunt meliorē Asiæ partē. Legiones verò Romani habuere ex variis gentibus: inde legio Armeniaca, Isaurica, Britannica, Galatica, Diuitensis, Gallicana, in vet. monumentis.

ʸ *VNAQVE*. Hîc vir doctus putat quædam desiderari, ego vero minime, quamuis tertium designet antiquus liber, quid enim iuuerit mortuo insultare, quem ipse viuere ad pœnam optauerant, ait enim viue pudor satis, nihil tamen periculi video si credas. Cæterum in hunc miserabilem eunuchum in Ecclesia latitantem Io. Chrysostomus ipso audiēte hæc inter cætera pronuntiauit, quæ in hoc poëta ferè videas: vbi inclitus ille consulatus splendor, vbi applausus, epulæ, circi adclamationes? Omnia illa periere, procella vehemens folia deiecit: arborem spoliatam reddidit. Dicebam tibi fugitiui serui naturam habere diuitias; oscula inimicorum vltrò se tibi offerre: deseruerunt te, vbi qui in foro de via populum decedere cogebant? Ecclesia à te hostiliter habita sinu expanso te excipit. Theatra magnis obsequiis à te culta te perdideūt. Nolo prostrato insilire: Quis hoc homine fuit excelsior? nō ne in toto orbe diuitijs præcellebat? Nuper missis ab imperatore qui hominē vi pertraherent buxo pallidior factus est, nunc nihilo meliorem quam mortui colorem habet. Dices hoccine ornamentum: Hominem scelestum auarū rapacē altaria contingere? caue dixeris, legē suam primus abrogat; factus est orbis spectaculū, silens omnes admonet Virgines, mulieres, viri huc concurristis: Felicitas quauis anicula rugosa deformior ostenditur. Orbem nutu cōcutiebat: nunc quauis rana aut lepore timidior, absque vinculis columnæ inhæret. At si pro eo interueniamus rem gratā faciemus Principi. Sic tādē obtinuit Orator admirabilis vt capiti eius parceretur, sed Gainas eidē & Chrysostomo infēsus aliter postea obtinuit, si flosculi à nobis libati nō faciunt satis vide Niceph, græcū si habeas.

CL· CLAVDIANI
IN LIB. DE BELLO GILDONICO PRÆFATIO.

PANDITE defensum reduces Helicona sorores,
Pandite, permistis iam licet ire choris
Nulla per Aonios hostilis buccina campos,
Carmina mugitu deteriore vetat.
Tu quoque securis pulsa formidine Delphis.
Floribus vltorem Delie cinge tuum,
Nullus Castalios latices, & præscia fati
Flumina polluto barbarus ore bibit.
Alphæus late rubuit, Siculúmque per æquor
Sanguineas belli rettulit vnda notas.
Agnouítque nouos absens Arethusa triumphos.
Et geticam ^ sensit teste cruore necem.
Immensis Stilicho succedant otia curis,
Et nostræ patiens corda remitte lyræ.
Nec pudeat longos interrupisse labores,
Et tenuem Musis constituisse moram.
Fertur & indomitus tandem post prælia Mauors,
Lassa per Othrysias fundere membra niues:
Oblitusque sui posita clementior hasta,
Pierijs aures pacificare modis,

CL. CLAVDIANI
DE BELLO GILDONICO
LIBER.

[B] REDDITVS imperiis Auster, subiectáque rursus
Alterius conuexa poli rectore sub vno,
Conspirant gemini frænis [C] communibus orbes.
Iunximus Europam Libyę, concordia fratrum
Plena redit; patriis quod solum defuit armis,
Tertius occubuit nati virtute tyrannus.
Horret adhuc animus, manifestáque gaudia differt,
Dum stupet, & tanto cunctatur credere voto.
Necdum Cinyphias exercitus attigit oras,
Iam domitus Gildo, nullis victoria nodis
Hæsit non spatio terræ, non obice ponti
Congressum [D] profugum, captum vox nuntiat vna,
Rumorémque sui præuenit laurea [E] belli.
Quo (precor) hæc effecta Deo? robusta vetúsque
Tempore tam paruo potuit dementia vinci?
Quem veniens induxit hyems, ver perculit hostem.
Exitium iam [F] Roma tmens, & fessa negatis
Frugibus

Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non solito vultu, nec qualis iura Brintannis
Diuidit, aut trepidos submittit fascibus Indos:
Vox tenuis, tardique gradus, oculique iacentes,
Interius fugere genæ ieiuna lacertos
Exedit macies, humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum, laxata casside prodit
Caniciem plenámque trahit rubiginis hastam.
Attigit vt tandem cælum, genibúsque Tonantis
Procubuit, tales orditur mœsta querelas:
Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci
Iuppiter augurijs, si stant immota Sibyllæ
Carmina, Tarpeias si necdum despicis arces,
Aduenio supplex, non vt proculcet [c] araxem
Consul ouans, nostræque premant pharetrata secures
Susa, nec vt rubris Aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc antè dabas: nunc pabula tantùm
Roma precor, miserere tuæ pater optime gentis:
Extremam defende famem, satiauimus iram,
Si qua fuit, lugenda Getis, & flenda Sueuis
Hausimus; ipsa meos horreret Parthia casus.
Quid referram morbíue luem, tumulosue repletos
Stragibus, & crebras corrupto sidere mortes?
An fluuium per tecta vagum, summísque minantem
Collibus? ingentes vexi submersa carinas,
Remorumque sonos, & Pyrrhæ sęcula sensi.
Hei mihi, quò Latiæ vires? vrbísque potestas
Decidit? in qualem paulatim fluximus vmbram,
Armatis quondam populis, patrumque vigebam
Consilijs, domui terras, hominésque reuinxi

Legibus, ad solem victrix vtrunque cucurri.
Postquam iura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, elapsi mores, desuetáque priscis
Artibus, in gremium pacis seruile recessi.
Tot mihi pro meritis Libyam, Nilúmque dedere,
Vt dominam plebem, bellatoremque Senatum
Classibus æstiuis alerent; geminoque vicissim
Littore diuersi complerent horrea venti
Stabat certa salus; Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium [H] Getulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, latéque videbam
Punica [I] Niliacis concurrere carbasa velis,
Cùm subito par Roma mihi; diuisáque sumpsit
Æquales Aurora togas. Ægyptia rura
In partem cessere nouam, spes vnica nobis
Restabat Libyæ, quæ vix ægréque fouebat
Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,
Semper inops, ventique fidem poscebat, & anni.
Hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis
Autumni; pauido metimur cærula voto
Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
Vel pudor extorsit domino, vel præda reliquit.
Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,
Sed sua concedi iactat: gaudétque diurnos
Vt famulæ præbere cibos, vitámque famémque
Librat barbarico fastu, vulgíque superbit
Fletibus, & tantæ suspendit fata ruinæ:
Romuleas vendit segetes, & possidet arua
Vulneribus quæsita meis, ideone tot annos
Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?

Idcirco voluit contempta luce reuerti
Regulus? hæc damnis genitor Cannensibus emi?
Incassum toties lituis naualibus arsit
Hispanum Siculúmque fretum? vastatáque tellus.
Tótque duces cæsi, ruptáque emissus ab Alpe
Pœnus, & attonitæ iam Proximus Hannibal vrbi?
Scilicet vt domitis frueretnr barbarus Afris,
Muro sustinui Martem; noctésque cruentas
Collina pro turre tuli: Gildonis ad vsum
Carthago ter victa ruit: hoc mille gementis
Italiæ clades, impressáque secula bellis.
Hoc Fabius, fortísque simul Marcellus agebant,
Vt Gildo cumularet opes? haurire venena
Compulimus dirum Syphacem, fractúmque Metello
Traximus immanem Marij sub vincla Iugurtham,
Et Numidæ Gildonis erunt? proh funera tanta,
Proh dolor, in Bocchi regnum sudauit vterque
Scipio: Romano vicistis sanguine Mauri,
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & sceptra dabat, quem semper in armis
Horribilem gentes, placidum sensere subactæ,
Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis
Supplicium, nullóque palàm circundatus hoste,
Obsessi discrimen habet: per singula lethum
Impendet momenta mihi, dubitandáque pauci
Præscribunt alimenta dies, heu prospera fata,
Quid mihi septenos montes, turbámque dedistis
Quæ paruo non posset ali? felicior essem,
Angustis opibus, mallem tolerale Sabinos,
Et Veios, breuior duxi securiùs æuum:

Ipsa nocet moles; vtinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.
Sufficerent Hetrusca mihi, Campanáque culta,
Et Quinti, Curijque seges, patriæque petenti
Rusticus, inferret proprias Dictator aristas.
Nunc quid agam? Libyam Gildo tenet; altera [M] *Nilum.*
Ast ego quæ terras humeris, pontúmque subegi,
Deseror; emeritæ iam præmia nulla senectæ.
Dij quibus iratis creui succurrite tandem,
Exorate patrem; túque si sponte per altum
Vecta Palatinis mutasti collibus Idam,
Prælatóque lauas Phrygios Almone [N] *leones,*
Maternis precibus natum iam flecte Cybelle.
Sin prohibent Parcæ, falsisque elusa vetustas
Augurijs alio saltem prosternite casu,
Et pœnæ mutate genus: Porsenna reducat
Tarquinios: renouet ferales Allia cædes.
Me potius sæui manibus prosternite Pyrrhi,
Me Senonum furijs, Brenni me reddite flammis:
Cuncta fame [O] *leuiora mihi, sic fata, refusis*
Obticuit lacrymis mater Cytherea, parensque
Flet Mauros. sanctæque memor Tritonia Vestæ,
Nec Cybele sicco, nec stabat lumine Iuno.
Mœrent indigetes, & si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa deos, Genitor iam corde remitti
Cœperat, & sacrum dextra sedare tumultum,
Quum procul insanis quatiens vlulatibus axem,
Et contusa genas. medijs apparet in astris
Africa, rescissa vestes, & spicea passim
Serta iacent, lacero crinales vertice dentes,

Et fractum pendebat ebur : talique superbas
Irrupit clamore fores : Quid magne moraris
Iuppiter, auulso nexu, pelagique solutis
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto, veniant prærupta Pachyno
Æquora, laxatis subsidant Syrtibus vrbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
Me rape Gildoni, felicior illa perustæ
Pars Libyes, nimio quæ se munita calore
Defendit, tantique vacat secura tyranni.
Crescat zona rubens : medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat, melius deserta iacebo
Vomeris impatiens : pulsis dominentur aristis
Dipsades, & sitiens attollat gleba Cerastas.
Quid me temperies iuuit quid mitior æther?
Gildoni fœcunda fui, iam solis habenæ
Bissenas torquent hyemes, ceruicibus ex quo
Hæret triste iugum : nostris iam luctibus ille
Consenuit, regnúmque sibi tot vendicat annis;
Atque vtinam regnum : priuato iure tenemur
Exigui specie fundi, quod Nilus & Atlas
Dissidet, occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quódque Paratonio secedit littore Ganges,
Hoc sibi transcribit proprium, pars tertia mundi
Vnius prædonis ager distantibus idem
Inter se vitijs cinctus : quodcunque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.
Instat terribilis viuis morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies : oritur præda cessante libido,

Diuitibúsque dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulcra vel coniuge notus,
Crimine [p] *pulsatur falso: si crimina desunt,*
Accitus conuiua perit: mors nulla refugit
Artificem, varios succos spumásque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina, si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiúsue gemat, dapibus [q] *crudelis in ipsis*
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertáque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circunspicit enses:
Splendet Tartareo furialis mensa paratu:
Cæde madens atrox gladio, suspecta veneno.
Vt vino calefacta Venus, tum sæuior ardet
Luxuries, mixtis redolent vnguenta coronis.
Crinitos inter famulos, pubémque canoram
Orbatas [r] *iubet ire nurus, nupérque peremptis*
Arridere viris. Phalarim, tormentaque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre iuuenci,
Quàm [s] *tales audire choros: nec damna pudoris*
Turpia sufficiunt, Mauris clarissima quæque
Fastidita datur, media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres:
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum
Ingerit, exterret cunabula discolor infans.
His fretus socijs, ipso iam principe maior
Incedit, peditum præcurrunt agmina longe:
Circundant equitum turmæ, regésque clientes
Quos nostris ditat spolijs; perturbat auita

Quénque domo, veteres detrudit rure colonos.
Exilijs dispersa feror, nunquámne reuerti
Fas erit? errantésque solo iam reddere ciues?
Iret adhuc in verba dolor, ni Iuppiter alto
Cœpisset solio; voces adamante notabat
Atropos, & Láchesis iungebat stamina dictis:
Nec te Roma diu, nec te patiemur inultam
Africa, communem prosternet Honorius hostem
Pergite securæ, vestrum vis nulla tenorem
Separat, & soli famulabitur Africa Romæ.
Dixit, & afflauit Romam meliore iuuenta.
Continuo redit ille vigor, senijque colorem
Mutauere comæ: solidatum crista resurgens
Erexit galeam, clypeique recanduit orbis,
Et leuis excussa micuit rubigine conus.
Humentes iam noctis equos, lethéaque somnus
Fræna regens, tacito voluebat sidera cursu.
Iam duo diuorum proceres, [T] *maiórque, minorque*
Theodosij pacem laturi gentibus ibant,
Qui Iouis arcanos monitus, mandatáque ferrent
Fratribus, & geminis sancirent fœdera regnis,
[V] *Sic cùm præcipites artem vicere procellæ,*
Assiduòque gemens vndarum verbere nutat
Descensura ratis, cæca sub nocte vocati
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones,
Circulus vt patuit lunæ, secuere meatus
Diuersos; Italas senior tendebat ad oras:
At pater intrantem pontum quà Bosphorus arctat
Arcadij [X] *thalamis, vrbique illapsus Eoæ;*
Quem simul vt vidit natus, nam clara nitebat

Cynthia, permixto tremuerunt gaudia fletu,
Complexúque fouens quos non sperauerat artus,
O mihi post Alpes nunc primùm reddite, dixit,
Vnde tuis optatus ades? da tangere dextram,
Qua gentes cecidere feræ quis tale remouit
Præsidium terris? vt te mortalia pridem
Implorant, lugentque pium, fortemque requirunt?
Cui pater in tales rupit suspiria voces:
Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur & mundus, germanaque dissidet aula
Gildonisne salus tanti sit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnoque tuendus,
Et cuius meritis pietas à fratre recedat
In primo genitore vide; ciuile calebat
Dissidium, dubio stabant Romana sub ictu:
Quis procul Armenius? vel quis Mæotide ripa
Rex ignotus agit? qui me non iuuit euntem?
Auxilio fouêre Getæ, venere Geloni
Solus at hic non puppe data, non milite misso
Subsedit fluitante fide: si signa petisset
Obuia [y] detecto summissiùs hoste, dolerem.
Restitit [z] in speculis fati, turbáque reductus,
Librauit geminas euentu iudice vires,
Ad rerum momenta cliens, seséque daturus
Victori: fortuna simul cum Marte pependit.
O si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandáque dumis
Impia diuersis aptarem membra quadrigis.
Germani nunc vsque tui responsa colebat:
En iterum calcat: tali te credere monstro

Post patrem, fratrémque paras? sed magna rependit,
Inque tuam sortem numerosas transtulit vrbes.
Ergo fas pretio cedet mercede placebit
Proditio? taceo læsi quòd transfuga fratris,
Quòd leuis ingenio, quamuis discrimine summo
Proditor [A] *apportet suspensa morte salutem,*
Nunquam gratus erit, damnamus luce reperta
Perfidiam, nec vos patimur committere tali.
Hoc genus emptori ciues cum mœnibus offert;
Hic vendit patriam, plerique in tempus abusi
Mox odere tamen, tenuit sic Graia Philippus
Oppida; Pellæo libertas concidit auro.
Romani scelerum semper spreuere ministros.
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi nudata fraude remisit.
Infesto quem Marte petit, bellúmque negauit
Per famuli patrare nefas, ductósque Camillus
Trans murum pueros [B] *obsessæ reddidit vrbi.*
Traduntur pœnis alij quum fœdera soluant
Hic manet, vt moueat, quem respuit alter in hostem,
Suscipis in fratrem? longi proh dedecus æui,
Cui placet australes Gildo condonat habenas,
Tantáque mutatos sequitur prouincia mores;
Quas libet ad partes animus nutauerit anceps:
Transfundit secum Libyam, refluúmque malignus
Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
Tollite Maßylas fraudes, remouete bilingues
Insidias, & verba soli spirantia virus,
Ne consanguineis certetur comminus armis
Deprecor: hæc trucibus Thebis, hæc digna Mycenis,

In Mauros hoc crimen eat, quid noster iniquum
Molitur Stilicho? quando non ille iubenti
Paruit? an quisquam nobis deuinctior extat?
Vt sileam varios, quos mecum gesserit actus
Quæ vidi post fata loquar; quum diuus abirem
Res incompositas, fateor, tumidásque reliqui:
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odijs, alternáque iurgia victi,
Victorésque dabant: vix hæc amentia nostris
Excubijs, nedum puero rectore quiescet.
Heu quantum timui vobis, ne libera tanti
Militis auderet moles, quum cæca remoto
Ferueret iam læta metu: dissensus acerbus,
At grauior consensus erat, tunc ipse paterna
Successit pietate mihi, tenerúmque rudémque
Fouit, & in veros eduxit principis annos,
Rufinúmque tibi, quem tu tremuisse fateris,
Depulit, hunc solum memorem, solúmque fidelem
Experior. volui si quid dum vita maneret,
Aut visus voluisse, gerit: venerabilis illi
Ceu præsens, numénque vocor, Si tanta recusas,
Aut soceri reuerere faces, aut, respice fratris
Connubium, pignúsque meæ regale Serenæ.
Debueras etiam fraternis obuius ire
Hostibus, ille tuis: quæ gens, qui Rhenus, & Ister
Vos opibus iunctos conspirantésque tulisset?
Sed tantum permitte, cadat; nil poscimus vltrá.
Ille licet sese prætentis Syrtibus armet,
Oppositóque Atlante tegat: licet arua referta
Anguibus, & solis medios obiecerit æstus:

Noui consilium, noui Stilichonis in omnes
Æqualem căsus animum penetrabit arenas,
Inueniet virtute viam, sic diuus, & inde
Sic natus, Iussis genitor parebimus vltro,
Amplector præcepta lubens, nec charior alter
Cognato Stilichone mihi: commissa prophanus
Ille luat, redeat iam tutior Africa fratri,
Talia dum longo secum sermone volutant,
Hesperiam peruenit auus, castúmque cubile
Ingreditur. Tyrio quo fusus Honorius ostro
Carpebat teneros Maria cum coniuge somnos;
Assistit capiti, tunc sic per somnia fatur:
Tantane deuictos tenuit fiducia Mauros
Chare nepos? iterum post me coniurat in arma
Progenies vesana Iubæ, bellúmque resumit
Victoris cum stirpe sui? Firmúmne [c] iacentem
Obliti? Libyam nostro sudore receptam
Rursus habent? ausis Latio contendere Gildo?
Germani nec fata timet? nunc ire profecto.
Nunc vellem, notósque senex ostendere vultus.
Nónne meam fugiet Maurus quum viderit vmbram?
Quid dubitas? exurge toris, inuade rebellem,
Captiuum mihi redde meum, desiste morari.
Hoc generi fatale tuo, dum sanguis in orbe
Noster erit, semper pallebit regia Bocchi.
Iungantur spolijs firmi Gildonis opima;
Exornet geminos Maurusia laurea currus;
Vna domus toties vna de gente triumphet.
Dij bene, quòd tantis inter labentibus annis
Seruati, Firmúsque mihi fraterque nepoti.

Legibus, ad solem victrix vtrunque cucurri.
Postquam iura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, elapsi mores, desuetáque priscis
Artibus, in gremium pacis seruile recessi.
Tot mihi pro meritis Libyam, Nilúmque dedere,
Vt dominam plebem, bellatorémque Senatum
Classibus æstiuis alerent; geminoque vicissim
Littore diuersi complerent horrea venti
Stabat certa salus; Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium [H] Getulis messibus annum.
Frugiferas certare rat s, latéque videbam
Punica [I] Niliacis concurrere carbasa velis,
Cùm subito par Roma mihi; diuisáque sumpsit
Æquales Aurora togas. Ægyptia rura
In partem cessere nouam, spes vnica nobis
Restabat Libyæ, quæ vix ægréque fouebat
Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,
Semper inops, ventique fidem poscebat, & anni.
Hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis
Autumni; pauido metimur cærula voto
Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
Vel pudor extorsit domino, vel præda reliquit.
Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,
Sed sua concedi iactat: gaudétque diurnos
Vt famulæ præbere cibos, vitámque famémque
Librat barbarico fastu, vulgíque superbit
Fletibus, & tantæ suspendit fata ruinæ:
Romuleas vendit segetes, & possidet arua
Vulneribus quæsita meis, ideone tot annos
Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?

Idcirco voluit contempta luce reuerti
Regulus? hæc damnis genitor Cannensibus emi?
Incassumtoties lituis naualibus arsit
Hispanum Siculúmque fretum? vastatáque tellus.
Tótque duces cæsi, ruptáque emissus ab Alpe
Pœnus, & attonitæ iam Proximus Hannibal vrbi?
Scilicet vt domitis frueretnr barbarus Afris,
Muro sustinui Martem; noctésque cruentas
Collina pro turre tuli: Gildonis ad vsum
Carthago ter victa ruit: hoc mille gementis
Italiæ clades, impressáque sęcula bellis.
Hoc Fabius, fortísque simul Marcellus agebant,
Vt Gildo cumularet opes? haurire venena
Compulimus dirum Syphacem, fractúmque Metello
Traximus immanem Marij sub vincla Iugurtham,
Et Numidæ Gildonis erunt? proh funera tanta,
Proh dolor, in Bocchi regnum sudauit vterque
Scipio: Romano vicistis sanguine Mauri,
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & sceptra dabat, quem semper in armis
Horribilem gentes, placidum sensere subactæ,
Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis
Supplicium, nullóque palàm circundatus hoste,
Obsessi discrimen habet: per singula lethum
Impendet momenta mihi, dubitandáque pauci
Præscribunt alimenta dies, heu prospera fata,
Quid mihi septenos montes, turbámque dedistis
Quæ paruo non posset ali? felicior essem,
Angustis opibus, mallem tolerale Sabinos,
Et Veios, breuior duxi securiùs æuum:

Et fractum pendebat ebur : talíque superbas
Irrupit clamore fores : Quid magne moraris
Juppiter, auulso nexu, pelagíque solutis
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto, veniant prærupta Pachyno
Æquora, laxatis subsidant Syrtibus vrbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
Me rape Gildoni, felicior illa perustæ
Pars Libyes, nimio quæ se munita calore
Defendit, tantíque vacat secura tyranni.
Crescat zona rubens : medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat, melius deserta iacebo
Vomeris impatiens : pulsis dominentur aristis
Dipsades, & sitiens attollat gleba Cerastas.
Quid me temperies iuuit quid mitior æther?
Gildoni fœcunda fui, iam solis habenæ
Bissenas torquent hyemes, ceruicibus ex quo
Hæret triste iugum : nostris iam luctibus ille
Consenuit, regnúmque sibi tot vendicat annis;
Atque vtinam regnum : priuato iure tenemur
Exigui specie fundi, quod Nilus & Atlas
Dissidet, occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quódque Parætonio secedit littore Ganges,
Hoc sibi transcribit proprium, pars tertia mundi
Vnius prædonis ager distantibus idem
Inter se vitijs cinctus : quodcunque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.
Instat terribilis viuis morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies : oritur præda cessante libido,

Diuitibúsque dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulcra vel coniuge notus,
Crimine [p] pulsatur falso: si crimina desunt,
Accitus conuiua perit: mors nulla refugit
Artificem, varios succos spumásque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina, si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiúsue gemat, dapibus [q] crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertáque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circunspicit enses:
Splendet Tartareo furialis mensa paratu:
Cæde madens atrox gladio, suspecta veneno.
Vt vino calefacta Venus, tum sæuior ardet
Luxuries, mixtis redolent vnguenta coronis.
Crinitos inter famulos, pubémque canoram
Orbatas [r] iubet ire nurus, nupérque peremptis
Arridere viris. Phalarim, tormentaque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre iuuenci,
Quàm [s] tales audire choros: nec damna pudoris
Turpia sufficiunt, Mauris clarissima quæque
Fastidita datur, media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres:
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum
Ingerit, exterret cunabula discolor infans.
His fretus socijs, ipso iam principe maior
Incedit, peditum præcurrunt agmina longe:
Circundant equitum turmæ, regésque clientes
Quos nostris ditat spolijs, perturbat auita

Quénque domo, veteres detrudit rure colonos.
Exilijs dispersa feror, nunquámne reuerti
Fas erit? errantésque solo iam reddere ciues?
Iret adhuc in verba dolor, ni Iuppiter alto
Cœpisset solio; voces adamante notabat
Atropos, & Láchesis iungebat stamina dictis:
Nec te Roma diu, nec te patiemur inultam
Africa, communem prosternet Honorius hostem
Pergite securæ, vestrum vis nulla tenorem
Separat, & soli famulabitur Africa Romæ.
Dixit, & afflauit Romam meliore iuuenta.
Continuo redit ille vigor, senijque colorem
Mutauere comæ: solidatum crista resurgens
Erexit galeam, clypeique recanduit orbis,
Et leuis excussa micuit rubigine conus.
Humentes iam noctis equos, lethéaque somnus
Fræna regens, tacito voluebat sidera cursu.
Iam duo diuorum proceres, [t] maiórque, minorque
Theodosij pacem laturi gentibus ibant,
Qui Iouis arcanos monitus, mandatáque ferrent
Fratribus, & geminis sancirent fœdera regnis,
[v] *Sic cùm præcipites artem vicere procellæ,*
Assiduóque gemens vndarum verbere nutat
Descensura ratis, cæca sub nocte vocati
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones,
Circulus vt patuit lunæ, secuere meatus
Diuersos; Italas senior tendebat ad oras:
At pater intrantem pontum quà Bosphorus arctat
Arcadij [x] thalamis, vrbique illapsus Eoæ;
Quem simul vt vidit natus, nam clara nitebat

Cynthia, permixto tremuerunt gaudia fletu,
Complexúque fouens quos non sperauerat artus,
O mihi post Alpes nunc primùm reddite, dixit,
Vnde tuis optatus ades? da tangere dextram,
Qua gentes cecidere feræ quis tale remouit
Præsidium terris? vt te mortalia pridem
Implorant, lugentque pium, fortemque requirunt?
Cui pater in tales rupit suspiria voces:
Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur & mundus, germanaque dissidet aula
Gildonisne salus tanti sit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnoque tuendus,
Et cuius meritis pietas à fratre recedat
In primo genitore vide; ciuile calebat
Dissidium, dubio stabant Romana sub ictu:
Quis procul Armenius? vel quis Mæotide ripa
Rex ignotus agit? qui me non iuuit euntem?
Auxilio fouêre Getæ, venere Geloni
Solus at hic non puppe data, non milite misso
Subsedit fluitante fide: si signa petisset
Obuia [y] detecto summissiùs hoste, dolerem.
Restitit [z] in speculis fati, turbáque reductus,
Librauit geminas euentu iudice vires,
Ad rerum momenta cliens, seséque daturus
Victori: fortuna simul cum Marte pependit.
O si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandáque dumis
Impia diuersis aptarem membra quadrigis.
Germani nunc vsque tui responsa colebat:
En iterum calcat: tali te credere monstro

Post

Post patrem, fratrémque paras? sed magna rependit,
Jnque tuam sortem numerosas transtulit vrbes.
Ergo fas pretio cedet mercede placebit
Proditio? taceo læsi quòd transfuga fratris,
Quòd leuis ingenio, quamuis discrimine summo
Proditor [A] apportet suspensa morte salutem,
Nunquam gratus erit, damnamus luce reperta
Perfidiam, nec vos patimur committere tali.
Hoc genus emptori ciues cum mœnibus offert;
Hic vendit patriam, plerique in tempus abusi
Mox odere tamen, tenuit sic Graia Philippus
Oppida; Pellæo libertas concidit auro.
Romani scelerum semper spreuere ministros.
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi nudata fraude remisit.
Infesto quem Marte petit, bellúmque negauit
Per famuli patrare nefas, ductósque Camillus
Trans murum pueros [B] obsessæ reddidit vrbi.
Traduntur pœnis alij quum fœdera soluant
Hic manet, vt moueat, quem respuit alter in hostem,
Suscipis in fratrem? longi proh dedecus æui,
Cui placet australes Gildo condonat habenas,
Tantáque mutatos sequitur prouincia mores;
Quas libet ad partes animus nutauerit anceps:
Transfundit secum Libyam, refluúmque malignus
Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
Tollite Maßylas fraudes, remouete bilingues
Jnsidias, & verba soli spirantia virus,
Ne consanguineis certetur comminus armis
Deprecor: hæc trucibus Thebis, hæc digna Mycenis,

In Mauros hoc crimen eat, quid noster iniquum
Molitur Stilicho? quando non ille iubenti
Paruit? an quisquam nobis deuinctior extat?
Vt sileam varios, quos mecum gesserit actus
Quæ vidi post fata loquar; quum diuus abirem
Res incompositas, fateor, tumidásque reliqui:
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odijs, alternáque iurgia victi,
Victoréfque dabant: vix hæc amentia nostris
Excubijs, nedum puero rectore quiescet.
Heu quantum timui vobis, ne libera tanti
Militis auderet moles, quum cæca remoto
Ferueret iam læta metu: dissensus acerbus,
At grauior consensus erat, tunc ipse paterna
Successit pietate mihi, tenerúmque rudémque
Fouit, & in veros eduxit principis annos,
Rufinúmque tibi, quem tu tremuisse fateris,
Depulit, hunc solum memorem, solúmque fidelem
Experior. volui si quid dum vita maneret,
Aut visus voluisse, gerit: venerabilis illi
Ceu præsens, numénque vocor, Si tanta recusas,
Aut soceri reuerere faces, aut, respice fratris
Connubium, pignúsque meæ regale Serenæ.
Debueras etiam fraternis obuius ire
Hostibus, ille tuis: quæ gens, qui Rhenus, & Ister
Vos opibus iunctos conspirantésque tulisset?
Sed tantum permitte, cadat; nil poscimus vltrá.
Ille licet sese prætentis Syrtibus armet,
Oppositóque Atlante tegat: licet arua referta
Anguibus, & solis medios obiecerit æstus:

Noui consilium, noui Stilichonis in omnes
Æqualem casus animum penetrabit arenas,
Inueniet virtute viam, sic diuus, & inde
Sic natus, Iussis genitor parebimus vltro,
Amplector præcepta lubens, nec charior alter
Cognato Stilichone mihi: commissa prophanus
Ille luat, redeat iam tutior Africa fratri,
Talia dum longo secum sermone volutant,
Hesperiam peruenit auus, castúmque cubile
Ingreditur. Tyrio quo fusus Honorius ostro
Carpebat teneros Maria cum coniuge somnos;
Assistit capiti, tunc sic per somnia fatur:
Tantane deuictos tenuit fiducia Mauros
Chare nepos? iterum post me coniurat in arma
Progenies vesana Iubæ, bellúmque resumit
Victoris cum stirpe sui? Firmúmne [c] iacentem
Obliti? Libyam nostro sudore receptam
Rursus habent? ausis Latio contendere Gildo?
Germani nec fata timet? nunc ire profecto.
Nunc vellem, notósque senex ostendere vultus.
Nónne meam fugiet Maurus quum viderit vmbram?
Quid dubitas? exurge toris, inuade rebellem,
Captiuum mihi redde meum, desiste morari.
Hoc generi fatale tuo, dum sanguis in orbe
Noster erit, semper pallebit regia Bocchi.
Iungantur spolijs firmi Gildonis opimæ;
Exornet geminos Maurusia laurea currus;
Vna domus toties vna de gente triumphet.
Dij bene, quòd tantis inter labentibus annis
Seruati, Firmúsque mihi fraterque nepoti.

Dixit, & afflatus vicino sole refugit.
At iuuenem stimulis immanibus æmula virtus
Exacuit: iam puppe vehi, iam stagna secare
Feruet, & absentes inuadere cuspide Mauros.
Tunc iubet acciri socerum: dextrámque vocato
Conserit, & quæ sit potior sententia quærit:
Per somnos mihi sancte pater iam sæpe futura
Panduntur, multæque canunt præsagia noctes,
Nanque procul Libycos venatu cingere saltus,
Et iuga rimari canibus Getula videbar.
Mœrebat regio sæui vastatá leonis
Incursu, pecudum strages, passimque iuuenci
Semineces, & adhuc infecta mapalia tabo,
Sparsaque sanguineis pastorum funera campis.
Aggredior latebras monstri, mirúmque relatu
Conspicio; dilapsus honos, ceruice minaces
Defluxere iubæ, fractos inglorius armos
Supposuit seruile gemens, iniectáque vincla
Vnguibus, & subitæ collo sonuere catenæ.
Nunc etiam paribus secum certare trophæis
Hortator me cogit auus: quónam vsque remoti
Cunctamur? decuit pridem complere biremes,
Et pelagi superare moras: transmittere primus
Ipse paro: quæcunque meo gens Barbara nutu
Stringitur, adueniat: Germania tota feratur
Nauibus, & socia comitentur classe Sicambri.
Pallida translatum iam sentiat Africa Rhenum.
An patiar tot probra sedens? iuuenísque relinquam
Quæ tenui, rexique puer? bis noster ad Alpes
Alterius genitor defensum regna cucurrit.

Nos prædæ faciles insultantique iacemus?
Finierat. Stilicho contrà cui talia reddit:
Aduersine tubam princeps dignabere Mauri?
Auferet ignauus clari solatia lethi
Te bellante mori? decernet Honorius inde,
Hinc Gildo? priùs astra chaos miscebit Auerno.
Vindictam [E] *mandasse sat est? plus nominis horror*
Quàm tuus ensis aget, minuit præsentia famam.
Qui stetit, æquatur campo, collatáque nescit
Maiestatem acies: sed quod magis vtile facto,
Atque hosti grauius (sensus aduerte) docebo.
Est illi patribus, sed non & moribus ijsdem,
Nascizel [F] *fugiens, qui dira piacula fratris,*
Spésque suas, vitámque tuo commisit asylo:
Hunc vbi tentatis frustra mactare nequiuit
Insidijs, patrias in pignora contulit iras,
Quosque manu pueros paruos gestauerat vna,
Occidit iuuenes, inhumatáque corpora vulgo
Dispulit, & tumulo cognatas arcuit vmbras:
Naturamque simul, fratremque hominemque cruentus
Exuit, & tenuem cæsis inuidit arenam.
Hoc facinus refugo damnauit sole Mycenas.
Auertítque diem sceleri: sed reddidit Atreus
Crimen, & infandas excusat coniuge mensas.
Huic odium, non pœna fuit, te perdita iura,
Te pater vltorem, te nudi puluere manes.
Te pietas polluta rogat, si flentibus aram
Et proprium miseris nomen statuistis Athenæ;
Si Pandionias planctu traxere phalanges
Inachides belláque rogos meruere maritis,

Si mœsta squalore coma, lacrymisque senatum
In Numidas pulsus, solio commouit Adherbal:
Nunc quoque nunc Gildo, tanto quem funere mersit,
Nunc doleat venisse ducem, seséque minorem
Supplicibus sciat esse tuis; quem sede fugauit
Nunc præceps fugiat, fregit quem clade, tremiscat,
Agnoscátque suum, trahitur dum victima, fratrem.
Hæc vbi sederunt genero, notissima Marti
Robora, præcipuos electa pube maniplos
Disponit, portuque rates instaurat Hetrusco.
Herculeam [H] *suus Alcides, Iouiamque cohortem*
Rex ducit superûm: premitur nec signifer vllo
Pondore, festinant adeo vexilla moueri.
Neruius insequitur, meritúsque vocabula [I] *Felix,*
Dictaque ab Augusto legio, noménque probantes.
Inuicti [K] *, clypeoque animosi teste Leones.*
Dictis ante tamen princeps confirmat ituros;
Aggere conspicuus, stant circunfusa iuuentus
Nixa hastis, pronásque ferox accommodat aures.
Gildonem domitura manus, promissa, minásque.
Tempus agit, si quid pro me meruistis in armis
Ostentate mihi: iusto magnoque triumpho
Ciuiles [L] *abolete notas: sciat orbis Eous,*
Sitque palam, [M] *Gallos* [N] *causa, non robore vinci.*
Nec vos, Barbariem quamuis collegerit omnem,
Terreat; an Mauri fremitus, raucosque repulsus
Vmbonum, & nostros passuri comminus enses?
Non contra clypeis tectos, galeísque micantes
Ibitis: in solis longè fiducia telis.
Exarmatus erit quum missile torserit hostis.

Dextra mouet iaculum, prætentat pallia læua,
Cætera nudus eques; sonipes ignarus habenæ,
Virga ° regit; non vlla fides, non agminis ordo,
Arma oneri, fuga præsidio; connubia mille;
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero ᵖ languet pietas: hinc copia vulgi.
Umbratus dux ipse rosis, & marcidus ibit
Unguentis, crudúsque cibo, titubánsque Lyæo,
Confectus senio, morbis stuprísque solutus.
Excitet incestos turmalis buccina somnos,
Imploret citharas, cantatricésque choreas,
Offensus stridore tubæ, discátque coactus
Quas vigilat. Veneri, castris impendere noctes,
Nonne mori satius, vitæ quàm ferre pudorem?
Nam quæ iam regio restat, si dedita Mauris
Regibus, Illyricis accesserit Africa damnis?
Ius Latium quod non Meroe, rubroque solebat
Oceano cingi, Tyrrhena clauditur vnda.
Et cui non Nilus, non intulit India metas,
Romani iam finis erit Trinacria regni?
Ite recepturi prædo quem sustulit axem,
Ereptúmque Notum: caput insuperabile rerum;
Aut ruet in vestris, aut stabit Roma lacertis.
Tot mihi debetis populos, tot iura, tot vrbes
Amissas, vno Libyam defendite bello.
Vestros imperium remos, & vestra sequatur
Carbasa, despectas trans æquora ducite leges.
Tertia iam ceruix solito mucrone rotetur
Tandem funeris finem positura tyrannis.
Omina conueniunt dicto; fuluúsque Tonantis

Armiger [q] ad liquidam cunctis spectantibus æthram
Correptum pedibus curuis innexuit [r] hydrum.
Dúmque reluctantem morsu partitur obunco,
Hæsit in vngue caput; truncatus decidit anguis.
Illicet augurijs alacres per saxa citati,
Torrentesque ruunt; non mons, non sylua retardat.
Pendula ceu paruis motura bella colonis
Ingenti clangore grues [s], æstiua relinquunt
Thracia, quum tepido permutant Strymona Nilo,
Ordinibus varijs per nubila texitur ingens
Littera, pennarúmque notis inscribitur aer.
Vt fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
Impetus, arripiunt naues, ipsique rudentes
Expediunt, & vela legunt, & cornua summis
Associant malis, quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alphæa capiunt naualia [t] Pisæ.
Sic Agamemnoniam vindex quum Græcia classem
Solueret, innumeris feruebat vocibus Aulis.
Non illos strepitus, impendentésque procellæ
Signa, nec aduentus dubij deterruit Austri.
Soluite iam socij clamant, aut rumpite funem:
Per vada Gildonem, quamuis aduersa, petamus:
Ad bellum nos trudat hyems: per deuia ponti
Quassatis cupio tellurem figere rostris.
Heu nimium segnes cauta qui mente notatis,
Si reuolant mergi, graditur si littore cornix.
Ora licet maculis asperserit occiduus sol,
Lunáque conceptis liuescat turbida Coris,
Et confusa vagos iaculentur sidera crines
Imbribus humescant Hædi, nimbosáque Taurum

Ducat

Ducat Hyas, totúsque fretis descendat Orion.
Certa fides cœli, sed maior Honorius autor:
Illius auspicijs immensa per æquora miles,
Non plaustris, Arctóque regor, contemne Booten
Nauita, turbinibus medijs permitte carinas:
Si mihi tempestas Libyam ventíque negabunt,
Augusti [x] *fortuna dabit, iam classis in altum*
Prouehitur: dextra Ligures Etruria læua
Linquitur, & cæcis vitatur Corsica saxis.
[y] *Humanæ in speciem plantæ se magna figurat*
Insula: Sardiniam veteres dixere coloni.
Diues ager frugum, Pœnos, Italósue petenti
Opportuna situ: quæ pars vicinior Afris
Plana solo, ratibus clemens: quæ respicit Arcton
Immitis, scopulosa, procax, subitísque sonora
Fluctibus; Insanos [z] *infamat nauita montes:*
Hinc hominum, pecudumque lues, hinc pestifer äër
Sæuit, & exclusis regnant Aquilonibus Austri.
Quos vbi luctatis procul effugere carinis,
Per diuersa ruunt sinuosæ littora terræ.
Pars adit antiqua ductos Carthagine [A] *Sulchos,*
Partem littoreo complectitur Olbia muro.
Vrbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Calaris tenuémque per vndam
Obuia demittit fracturum flamina collem;
Efficitur portus medium mare, tutáque ventis
Omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu.
Hanc omni petiere manu, prorísque reductis
Suspensa Zephyros expectant classe fauentes.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN LIBRVM PRIMVM CL. CLAVDIANI DE BELlo Gildoniaco.

Præfatio hæc ad Stilichonem se cõuertit qui antea classe armata in Achaïam à Getis pene spoliatam ac direptam vindex properauit; ac Musarum fontes, ipsiúsque Phœbi sedem belli metu exemit, quæ tamen expeditio minus feliciter cessisse traditur illi regioni quæ iam plus satis afflicta numerosum tanti ducis exercitum, neque alere neque sustinere valuit, quare penitùs exhaustæ non paruo stetit sua libertas, vide Zos, & 4. Conf. Honorij. Cæterum hic liber in Gildonem videtur scriptus fuisse Honorio IIII. consule cum Eutychiano, post quam & nupsit Maria. Anno 398.

ª ET *GETICAM*. Ita optimus cod. at imperiti homines licet alterius seculi, cum viderent hunc librum de Gildone agere, nomen Gildonis substituere ausi sunt, quod fuit in causa cur elegans notarum scriptor putauerit hoc procemium non esse huius loci.

ᵇ *REDDITVS*. Inde satis conijcitur pro competto habitum vt Africa pars Europæ esset, sed enim Theodoritus ait Gratianum qui patre defuncto Europam tenuerit post Valentis patrui obitũ Asiæ Libyæque id est Africæ regnũ suscepisse. Paulinus: Europen Asiámque duo vel maxima Terræ membra quibus Libyam dubiè Sallustius addit Europæ adiunctam. Is vero in Bello Iug. Plerique in parte tertia Africam posuere, pauci tantummodò Asiam & Europam esse; sed Africam in Europe vide Luc. lib. 9. Inde nobilissima & magni momenti oritur quæstio: Vtrũ Africa principi Arcadio, an Honorio adiudicanda sit sed hîc

habemus Gildonem qui rem qua de agitur, ac disceptatur in se transmoueat, impulsu Eunuchi nefarij, qui tunc Orientis regulus. At credo optimè iudicatum iri si pars Africæ Occidenti propior Honorio accedat, quæ vero Ægyptum respicit, Arcadio relinquatur. Libya sane superior ac inferior est sub P F. P. Orientis in Noritia, Africa vero cuius VII. Prouinciæ sub P F. P. Italiæ, differunt enim libya & Africa.

c *COMMVNIBVS* frenis, mens ea fuit Theodosij, vt fratres illi velut pro indiuiso Orbem possiderent, at Rufinus primo Illyricum inuasit dein Eutropius Africam, quibus restitit Stilicho, ita vt tres Tyranni, Gildone addito, opera & consilio magni illius ducis occubuerint.

CONGRESSVM profugum captum, eadem figura illud Cæsaris Veni. vidi. vici. quod pari gratia non potuit referri à Plutarcho, quæ trina mihi reuocant in memoriam illud Paulini de B. Ambrosio cælite recēti: Mascizeli, inquit desperāti de salute sua, vel exercitus quem ductabat contra Gildonem; baculum tenens in visione noctis apparuit, ac designans locum vbi victoriam adepturus esset hæc protulit. Hîc. Hîc. Hîc. quod Mascizel ipse, Paulino audiente, narrauit Mediolani.

LAVREA. Propriè dictùm, nec enim Gildo fuit tanti vt ipsius cladem triumphus sequeretur, etque in hoc non solum prudentia sed modestia elucet Honorii, vide Suetonium & Mart. de laurea Dacica. Appianus: τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλὼν ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις. Plin. Secundus: Allata ex Pannonia laurea.

ROMA. De Roma in speciem deæ effictа, eiúsque miserabili, descriptione visendus Symmachus. At B. Ambrosius & Prudentius aliter, Sidonius: Pigros prona gradus, curuato cernua collo Ora ferens.

ARAXEM. Ita v. codex, quod firmat Sidonius imitator, de Roma etiam: venio non vt mihi pressus Araxes imposito sub ponte fluat, male ergo oaxem in omnibus ferè.

PHARIVM. Statius lib. 3. Syl. de naui quæ terris prima Dicarchæis Pharium grauis intulit annum, id est annonam Ægyptiam, at in textu parilem, ignarus aliquis scribi voluerat.

SVBITO. Sic habuit vnus codex, alter verò subiit, quod non displicet nam Ausonius disertè ait in Claris vrbibus Roma

& Constantinopoli: Fuit hæc, subit ista, nouisque excellens meritis veterem perstringit honorem, vulgatam lectionem fo- ui vt tolerabilem.

[k] *LIBYÆ.* Poëtæ non sunt adeo religiosi verborum, quæ sanè peritè, & anxiè distinguit ciuilis prudentia. Cuiacius dixisset Africam non Libyam: supra notauimus differentiam, neque abs re Zozimus tradit Eutropium Gildoni auctorem fuisse, vt totius Africæ ad Carthaginem pertinentis tractum inuaderet, nam Libya erat sine cõtrouersia sub domino Arcadij. Sanè propter contentionem Arc. & Honorij liber notitiæ descriptus est.

[l] *SYPHACEM.* Sunt qui nomina propria sine scrupulo varient, sibique in re seria parum cautè ac moderatè indulgeant: ego libens cõtenderim non nisi magna exempla sequenda esse, imo parcè imitanda: quanuis id Seruius videatur concedere. Ouidius: superat Masanissa Syphacem: at ratio penè exigebat vt corriperet, quę sanè placuit poëtæ nostro. Sic Martialis putauit secundam in Porsena minus bellè produci à Virgilio, sic Batauus variat apud iuuenal, & Lucanum. Olim sane Claudiano obiectum est nescio quid simile à quodam, qui fortè hunc versum malè metiebatur, vide epigr.

[m] *ALTERA.* Id est Aurora siue Orientis imp. habet sibi Ægyptum subditam.

[n] *ALMONE.* Hunc versum legisse videtur B. Ambrosius.

[o] *FAME.* Rabida fames dicitur à Virgilio quare Drusus tomentum & culcitram tentauit mandere cum videret sibi alimẽta subducta. Ammiano, perire fame est mortis genus grauissimum, vide Plat. & Hom. qui, Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν: est locus Instit. 4. qui de fame agit, vbi Cuiacius Fumo legendum credidit: vt si quis fumum ex ligno viridi neque acapno conflauerit, vt hominem eo loci inclusum necaret, notum enim illud: Fumo pereat qui fumum vendidit.

[p] *PVLSATVR.* Crimine pulsari vix latinè dici crederem, nisi eadem locutio foret in Cod. Th. lib. 15.

[q] *DAPIBVS* crudelis. tales fuere boleti olim, deorum cibus. In hanc rem distichon a Cuiacio tribuitur Martiali: Defungi fungis hominem macrine, negabas: Boleti lethi causa fuere tui.

[r] *ARRIDERE* viris, non minus crudele factum imperato-

ris illius, qui parentes filiorum ſupplicio intereſſe cogebat.

[s] *QVAM.* Id eſt potius quàm, ſed enim profuit, quod ſuprà, neſcio quam vim habet. Dixit vero Liuius: orationem precibus quàm iurgio ſimilem: Tacitus, Pacem quàm bellum optabant. vet. inſcr. Lugduni: ſibi quàm parentibus mortem optauit, hæc verò à me viſa ibidem, neque reperta in Antiquit. Lugd. quod miror.

[t] *MAIORQVE* minórque. Intellige Theodoſium Comitem auum Arc. & Honorij, qui diuinis ferè honoribus conſecratus eſt quia, vt ex Drepanio loquar, debuerat eſſe imperator. at Valens, audita atuſpicum deſignatione, ſuper litteris. Θ. Ε. Ο. Δ. plurimos quorum nomina ab ijs incipiebant morte mulctauit interquos huic Theodoſio maiori qui iam inuidia ſimiliũ obterebatur, caput abſtulit Carthagine. fuit autem vir bello ſtrenuus, & cuius laudibus L. Pacati oratio & Ammiani paginæ quaſi geſtiant. Notabis vero A. Victoris, & Pauceri qui eum ſequitur, lapſum: hi enim Honorium quendam faciunt Theodoſij patrem, plura alibi dicenda erunt. Vide Symmach. epiſt.

[v] *SICCVM.* Hæc comparatio viſa eſt quibuſdam nimis frigida, & exanguis. Scaliger ſenior lib. v. Poet. ita cenſet: Tempeſtas in pœmatio de Bel. Gild. haud ſatis magna cum re, hanc tu examina.

[x] *ARCHADII.* Hic Princeps non adeo fuit laudatus; nã vel a puero neſcio quid ſiniſtri exercuit, de eius forma hæc Cedrenus. Ἀρχάδιος τὴν θέσιν τοῦ σώματος εἶδε χθέσατος: μέλας τὴν χροιὰν, τὴν ἡλικίαν φαυλότατος, ἓν μόνον ἔχων πλεονέκτημα τὸ καλῶς γράφειν. Hinc nigella cæſaries, prauaque eius ſtatura, ſed in pingendo vel ſcribendo mira dexteritas ſaltem deprehenditur. docuerat ipſum vir inſignis Arſenius quem ille non modo ſpreuit, verum etiam in eum dira ſtatuit.

[y] *DETECTO.* Hoſtem aduerſum, teſte Salluſtio, opprimere facile eſt homini ſtrenuo.

[z] *RESTITIT.* Medium ſe gerendo vt ait Liuius, hæc illaũ e defenſurus prout inualuiſſent. Arma aperta palam vires, ait Tacitus, fraus & dolus occulta, eóque ineuitabilia.

[a] *PRODITOR.* Auguſtus apud Plutarchum: ἐγὼ προδοσίαν φιλῶ, προδότας οὐκ ἐπαινῶ. Philippus amabat prodituros, Non proditores.

[b] *PVEROS.* Apud Florum hæc narratur historia.

[c] *FIRMVM.* Hic tyrannus adeo fidens animi vel impudēs fuit vt purpurā indueret, exstat numus eius faciem præferēs cū hac inscriptione Dn. Firmus P F. Avg. hunc Theodosius Comes debellauit. Historia est eiusmodi ex Marcellino : cum Zama à fratre Firmo peremtus esset, Romanus apud Valentinianum de vindicta relationem instituit. At Maurus ne vt contumax condemnatus occideretur ab imperij ditione desciuit, ad quem abolendum cum Comitarensi auxilio missus est hic Theodosius, Gildo vero Firmi frater adhæsit partibus Theodosij, cum Mascizel, Dius & Salmaces dominus Firmo fratri militarent, quibus fauit Cyria soror abundans diuitijs, quam præcipuè veritus Theodosius stetit intra pudorem cedendi & ardorem pugnandi ita tamen vt crebritate certaminum hostes attriuerit. Firmus autem consultò crapulentus ad mortem ruit voluntariam: cuius caput Theodosio oblatum est, de hac tamen prosapia honorificè sensit D. Hieronymus in epist. propter fidem orthodozam ab iis susceptam in Africa, vbi amplum habuere patrimonium.

[d] *ALTERIVS.* Theodosius imperator princeps grati animi & memor Valentinianum iuniorem, fratrem Gratiani (à quo diadema Orientis accepit) vi armata in integrum restituit Maximo interfecto, dein secundo Alpes fregit ipsius vlciscendi causa & debellatutus Eugenium, vnde Sidon. Postquam Theodosius communia iura fugato Reddidit auctoris fratri cui guttura fregit Post in se vertenda manus. Manus illa fuit Arbogastis qui Valentinianum creditur strangulasse.

[e] *VINDICTAM.* Sic opinor apud Tacitum raptabat Africam Tacfarinas, minatos bellum inexplicale, hunc verò contemnit Tiberius ratus indecorum Principi, omissa vrbe exqua in omnia regimen, aduersus minorem hostem progredi.

[f] *MASCIZEL.* Præclarum inuentum Stilichonis qui destitutus occasione belli indicendi, Principis Honorij nomine, quod sine Archadii offensa non poterat, hunc Maurum iusto dolore, sed priuata iniuria accensum in fratrem Gildonem cum valida manu quasi summisit: vnde victor reuersus est, at non multò post Mascizel in ponte quodam ambulans signo a Stilichone dato in aquam detrusus est, quod factum Christiani quidam iusto Dei iudicio adscribunt, Zosimus inuidiæ: at Gildo in breue coactus sibi ipsi manus intulit, hic autem rei successus fuit cuius gloria Stilichoni tribuitur in vet. Inscriptione quæ

ſub eius ſtatua: Fl. Stilichoni Illuſtriſſ. viro, magiſtro equitum peditúmque, Comiti domeſticorum, Tribuno Prætoriano & ab ineunte ætate per gradus clariſſimæ militiæ ad columen gloriæ ſempiternæ & regiæ affinitatis euecto, progenero D. Theodoſij, comiti D. Theodoſij Auguſti in omnibus bellis atque victoriis & ab eo in affinitatem regiam cooptato, itémque ſocero D. N. Honorij Aug. Africa conſilijs eius & prouiſione liberata. Ex. S. C.

ARAM. Eumenius Rhetor: Athenienſis humanitas Aram miſericordiæ inſtituit, id confirmat Pauſanias.

HERCVLIAM. Ita v. codex, non Herculeam aut Heracleam, hîc verò intellige cohortes à Maximiano Herculio, & à Diocletiano Iouio inſtitutas, aliàs Herculiani, & Iouiani milites dici queant de his vero denominationibus vide vet. Panegyres Imp. P. dictus.

FELIX. Id eſt opinor Felices Honoriani iuniores, de quibus Notitia.

AB AVGVSTO. Legio, ni fallor, Flauia Theodoſiana, niſi malis Auguſteos.

CIVILES abolete. Honorius Imp. hortatur milites ad prælium futurum, eóſque monet, vt notam ſeu dedecus in comitatu Maximi vel Eugenij adquiſitum fide ac virtute aboleant, ſic bello Getico Expurgate nefas.

SOLIBVS. De Inalpinis & Subalpinis id accipe, ac vide Liuium & Florum.

GALLOS. Gallicus exercitus, qui omnium in Occidente fortiſſimus, hîc intelligitur. B. Ambroſius in oratione funebri Theodoſij: Conſtantinopolis expectabat totius orbis imperatorem ſtipatum Gallicano exercitu & totius orbis ſubnixum viribus, ſed hunc angelorum caterna deducit: ſanctorum turba proſequitur. Gallos vero Iulianus imperator præfert Romanis audacia. Sanè ſunt, vt qui minime, duplices. Strabo: τὸ σύμπαν τῶν γαλατῶν ἁπλοῦν. Sed iis facilè ob cœli temperiem dentes pruriunt, vnde Sulp. ſeuerus in Gallis edacitas. in Græcis gula eſt, quare pigri etiam audiunt apud Seruium, quod locum forte habeat à cœna, idem obtigit Cretenſibus atqui gens Gallica nulli nationi cedit vel armis vel arte qualibet.

CAVSA. Huius rei ſunt infinita exempla. Ouid. Vnicun-

tur Parthi causa vincetur & armis Prop. Frangit & attollit vires in milite causa. ait vero gentē Gallicā inuictam esse robore, nec nisi causa legitima destituantur, esse domabiles, estque hæc vere pia sententia, & apud optimos auctores satis obuia.

ᵗ *VIRGA* regit, uide plane Silium, & Ausonij gratiarum actionem de Imp. Gratiano equitandi peritissimo.

ᵘ *NVMERO* languet pietas. Ouidius: Alterius vires subtrahit alter amor.

ʳ *ARMA* oneri. Vegetius: Non de pugna sed de fuga cogitant, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera: necesse est autem vt dimicandi sumat audaciā, qui munito capite & pectore non timet vulnus.

ˢ *HYDRVM*. Hoc omen fluxit ex lib. xr. Æneidos, vel ex ιλ.μ.

ᶻ *GRVES*. Vide Homeri Iliada de Græcis ac Troianis sibi obuiam euntibus, pugnandi animo. Vegetius: Barritus non tolli debet, priusquam vtraque acies se iunxerit.

ᵛ *PISÆ*. Vrbs in Tuscia à Pisanis qui Arcades erant condita, Florus de portu eius vrbis: Portus ille marmoreus & fons celebratus Arethusæ.

ˣ *CAVTA* mente, sic v. Cod. quod & Cuiacius manu sua notauit, rectissimè ni fallor, Claud. in epigr. Versiculos fateor non cauta mente notaui, aliàs capta non malè.

ʸ *AVGVSTI* fortuna. Tacitus: Parendo potius quam imperia ducum sciscitando res militaris continetur. Iussa exsequi non interpretari decet, cætera (ait Liuius) diis cura erunt, & imperatori.

ᶻ *HVMANÆ* in speciem, ita v. cod. alij non habebant in Propert. ita locutus est. Sardiniam vero Timæus apud Platonem Sandaliotin vocat ab effigie soleæ, Sallustius: Sardinia in Africo mari facie vestigij humani.

ᴬ *INSANOS* montes. maiusculum I. pingi debuit, nam Florus: Sardinam Gracchus arripuit: nihil illi gentium feritas, atque Insanorum montium, nam ita vocantur, immanitas profuere. satis vero cōstat aerem Sardiniæ pestilentem esse. Mart. Nullo fata loco possis excludere; cum mors venerit in medio Tybure Sardinia est.

SVLCOS

SVLCOS. Ita v. cod. alii scribunt: Solchi vel Sulchi, apud Plinium legimus: Sulchitani. Sed Stephano σύλχοι, vrbis nomen à Carthaginensibus conditæ.

OLBIA. Ita v. liber, in alijs omnibus; quos viderim, est obuia, nullo sensu, est vero Sardiniæ oppidum Ptolemæo & Liuio, quod & Vlbia dicitur Antonino, vide Am. Marcellinum.

CALARIS. Sic erat in vet. codice, aliàs Curalis, Caralis; ptolemea qui mendis scatet Καραλλίς, ego Calaris, retinui, ratus Calagurin Quintiliani patriam licet in Hispania sitam habere aliquit ex eo nomine, at Caralitani Plinio, dicitur autem hæc Vrbs vrbium Floro. Cæterum huic libro, si v. codici creditur, suus finis deest: mihi vero non ita videtur, non enim plura dicenda erant propter simultates quæ inter Impp. quamuis Arcadium placauerit Symmachus, sic enim ille ad Stilichonem: Lectis Dn. nostri Honorij literis què Gildonis crimina continebant par bonorum motus erupit; Consului igitur in senatu, more maiorum: vnde rei damnatio secuta, veniet in manus tuos quid pronuntiauerim reperies me facti huius adseruisse iustitiā, & causam publicæ egisse concordiæ, hæc ille, vnde minùs miror veterem inscriptionem hanc: Impp. Inuictiss. Felicissimis D. D. N. N. Arcadio & Honorio Fratribus S.P.Q.R. vindicatà rebellione & Africæ restitutione lætus, eodem vero tempore in gratiam huius operis de Bello Gildoniaco poetæ nostro statua erecta est cum elogio qua de re infra plenius differitur.

IN LIB. DE BELLO GETICO PRAEFATIO.

[A] *Post resides annos longo velut excita somno*
Romanis fruitur nostra Thalia choris.
Optatos renouant eadem mihi culmina coetus,
Personat & noto [B] *Pythia vate domus.*
Consulis hic fasces cecini, Libyámque receptam,
Hîc mihi prostratis bella canenda Getis.
Sed prior [C] *effigiem tribuit successus* [D] *amoenam,*
Oráque patritius nostra dicauit honos.
Annuit hoc princeps, titulum poscente senatu.
Respice iudicium quàm graue Musa subis.
Ingenio minuit merces properata fauorem,
Carminibus veniam praemia tanta negant;
Et magis intento studium censore laborat,
Quòd legimur medio, conspicimúrque foro.
Materies tamen ipsa iuuat, solitúmque timorem
Dicturo magna sedula parte leuat:
Nam mihi conciliat gratas impensius aures,
Vel meritum libri, vel Stilichonis amor.

CL· CLAVDIANI
DE VICTORIA STILICHONIS CONTRA ALArichum, liber.

INTACTI quum claustra freti coëuntibus æquor
Armatum scopulis audax irrumperet [a] Argo,
Æetam, Colchósque petens propiore periclo,
Omnibus attonitis, solus post numina Typhis
Incolumen tenui damno seruasse carinam
Fertur. & ancipitem montis vitasse ruinam,
Deceptóque vagæ concursu rupis in altum
Victricem duxisse ratem, stupuere superbæ
Arte viri domitæ Symplegades, & noua passæ
Iura soli: faciles cunctis iam puppibus hærent,
Vt vinci didicere semel. Quòd si ardua Typhin
Nauis ob innocuæ meritum sic gloria vexit:
Quæ tibi pro tanti pulso discrimine regni
Sufficient laudes Stilicho? licet omnia vates
In maius celebrata ferant, ipsámque secandis

Argois trabibus iactent sudasse [C] Mineruam,
Nec nemoris tantum iunxiße carentia sensu
Robora, sed cæso monitu [D] Iouis augure luco,
Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.
Plurima, sed quamuis varijs miracula monstris
Ingeminant teneras vincturi carmine mentes
Harpyiásque truces, insopitísque refusum
Tractibus aurati custodem velleris anguem,
Et iuga taurorum rapidis ambusta fauillis,
Et Vrides galeis sulcos, fœtásque nouales
Martis, & in segetem crescentis semina belli:
Nil veris æquale dabunt? prohibere rapaces
Scilicet Harpyias, vnaque excludere mensa,
Nobilior titulus, quàm tot potuisse paratas
In Latij prædam Geticas auertere fauces.
An ego terrigenas potius mirabor in ipsis
Procubuisse satis? vitæ quibus attulit idem
Principium, finémque dies, quàm cæsa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona trophæis,
Totáque sub galeis Mauortia canuit ætas
Per te nanque vnum medijs exuta tenebris
Imperio sua formà redit; claustrísque solutæ
Tristibus, exangues audent procedere leges.
Iámque potestates priscus discriminat ordo
Iustitiæ, quas antè pares effecerat vna
Nube timor, tua nos vrgenti dextera letho
Eripuit; tectísque suis redduntur & agris
Damnati fato populi, virtute renati.
Iam non in pecorum morem formidine clausi
Prospicimus sæuos campis ardentibus ignes:

Alta nec incertis metimur flumina votis,
Excidio latura moram, non poscimus amnes
Vndosam seruare fidem, nubesque fugaces,
Aut coniuratum querimur splendere serenum.
Ipsa quoque interius Furijs exercita plebis
Securas iam Roma leuat tranquillior arces.
Surge precor veneranda parens, & certa secundis
Fide deis, humilémque metum depone senectæ,
Vrbs [1] æquæua polo: tum demum ferrea sumet
Ius in te Lachesis, quum sic mutauerit axem
Fœderibus natura nouis, vt flumine verso
Irriget Ægyptum Tanais, Mœotida Nilus
Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis,
Caucaseisque iugis, calido nigrantibus Austro,
Getulas Aquilo glacie constringat arenas.
Fatales hucusque manus, crebrísque notatæ
Prodigijs abiere minæ nec sidera pacem
Semper habent: ipsumque Iouem turbante Typhoëo,
Si fas, est, timuisse ferunt; quum brachia centum
Montibus armaret totidem, spiráque retorquens
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.
Quid mirum si regna labor mortalia vexat?
Quum gemini fratres, genuit quos asper Aleous
Martem subdiderint vinclis, & in astra negatas
Tentarint munire vias, steteritque reuulsis
Pene tribus scopulis, cœlesti machina bello.
Sed caret euentu nimius furor: improba nunquam
Spes lætata diu, nec peruenere iuuentæ
Robur Aloidæ, dum vellere Pelion Otos
Nititur, occubuit Phœbo; moriensque Ephialtes

In latus abliquam proiecit languidus Ossam.
Aspice Roma tuum iam vertice celsior hostem,
Aspice quàm rarum referens inglorius agmen,
Italia detrusus eat, quantumque priori
Dissimilis, qui cuncta sibi cessura ruenti
Pollicitus, patrij numen iurauerat Istri,
Non nisi calcatis loricam ponere rostris.
O rerum fatique vices, qui fœda parabat
Romanas ad stupra nurus, sua pignora vidit
Coniugibus permista trahi: qui mente profunda
Hauserat vrbis opes, vltro victoribus ipse
Præda fuit: nostri quondam qui militis auro
Aggressus tentare fidem; desertus ab omni
Gente sua, manibúsque redit truncatus, & armis.
Hoc quoque quòd veniam lethi valuere mereri,
Si positis pendas odijs, ignoscere pulchrum
Iam misero, pœnæque genus vidisse precantem.
Quæ vindicta prior, quàm quum formido superbos
Flectit, & assuetum spolijs affligit egestas?
Sed magis ex alijs fluxit clementia causis,
Consulitur dum Roma tibi, tua cura coegit
Inclusis aperire fugam, ne peior in arcta
Sæuiret rabies venturæ nuntia mortis,
Nec tanti nomen, stirpémque abolere Getarum,
Vt propius peterere fuit: procul arceat altus
Iuppiter, vt delubra Numæ, sedémque Quirini
Barbaries oculis saltem temerare prophanis
Possit, & arcanum tanti deprændere regni.
Quanquam (si veterum certamina rite recordor)
Tunc etiam pulchra quum libertate vigerent,

Et proprio latè florerent milite patres;
Semper ab his famæ petiere insignia bellis,
Quæ diuersa procul tuto trans æquora vires
Exercere dabat: currus, regúmque catenæ
Inter abundantis fati ludibria ductæ,
At vero Italiam quoties circunstetit atrox
Tempestas, ipsúmque caput læsura pependit,
Non illis vani ratio ventosa fauoris,
Sed grauiter spectata salus; ductórque placebat,
Non qui præcipiti traheret simul omnia casu:
Sed qui maturo vel læta, vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu nimius spatiúmque morandi,
Vincendique modum mutatis nosset habenis.
Cautius ingentes morbos, & proxima cordi
Vlcera, [H] Pœoniæ tractat solertia curæ.
Parcendóque secat, ferro ne longius acto
Irreuocandus eat sectis vitalibus error.
Sublimi certè Curium canit ore vetustas,
Æacidem Jtalo pepulit qui littore Pyrrhum.
Nec magis insignis Marij, Paulique triumphus,
Qui captos niueis reges egêre quadrigis.
Plus fuga laudatur Pyrrhi, quèm vincla Iugurthæ.
Et quamuis gemina fessum iam clade fugarit,
Post Decij lituos, & nulli peruia culpæ
Pectora Fabricij, donis inuicta vel armis,
Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.
Quanto maius opus solo [I] Stilichone peractum
Cernimus? hic validam gentem, quam dura niuosis
Educat Vrsa plagis: non Chaonas, atque Molossos,

Quos Epeirus alit, nec Dodonæa subegit
Agmina, fatidicam frustrà iactantia quercum.
Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compressit Fabius, campo pòst ausus aperto
Marcellus vinci docuit: sed tertia virtus
Scipiadæ Latijs tandem deterruit oris.
Vnus in hoc Stilicho diuersis artibus hostē
Tres potuit complere duces, fregítque furentem
Cunctando, vicítque manu, victúmque relegat.
Atque hic tanta breui miscentem incendia Pyrrhum
Sustinuit toto mœrens Oenotria lustro,
Et propè ter senas Itali per graminis herbas
Maßylus Pœno sonipes vastante cucurrit,
Hannibalémque senem vix ad sua reppulit arua,
Vindex sera patrum post bellum nata iuuentus.
Hic celer effecit bruma ne largior vna
Esset hyems: rerum primis sed messibus æstas
Temperiem cœlo pariter, bellóque referret.
Sed quid ego Hannibalem circa, Pyrrhúmq; tot annis
Certatum memorem? villis cùm Spartacus omne
Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni,
Consulibúsque palàm toties congressus, inertes
Exuerit castris dominos, & strage pudenda
Fuderit imbelles aquilas seruilibus armis.
Nos terrorum expers, & luxu mollior ætas
Deficimus queruli, si bos adductus aratro,
Si libata seges, non hanc [k] ergastula nobis
Immisere manum, nec coniurantis arenæ
Turba fuit, qualem Stilicho deiecerit hostem
Thraces, & Hæmonij poterunt, [l] Mœsiq; fateri.

Frigida

Frigida ter [M] decies nudatum frondibus Hæmum
Tendit hyems vestire gelu: totiésque solutis
Ver niuibus, viridem monti reparauit amictum,
Ex quo iam patrios gens hæc oblita Triones,
Atque Istrum transuecta semel, vestigia fixit
Threïcio funesta solo; seu fata vocabant,
Seu grauis ira Deum, seriem meditata ruinis.
Ex illo quoscúnque vagos impegit Erynnis.
Grandinis, aut morbi ritu, per deuia rerum
Precipites per claustra ruunt, nec contigit vllis
Amnibus, aut scopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Hebrus:
Othrysij facili contemnunt Strymona saltu,
Et frustrà rapidum damnant Aliagmona Bessi.
Nubibus intactum Macedo miratur Olympum,
More perreratum campi: gemit irrita Tempe
Thessalus, & domitis irrisam cautibus Oetam:
Sperchiúsque & virginibus dilectus Enipeus,
Barbaricas lauere comas, non obice Pindi
Seruati Dryopes, nec nubifer Actia texit
Littora Leucates. ipsæ, quæ durius olim
Restiterant Medis, primo conamine ruptæ
Thermopylæ, [N] vallata mari Scironia rupes,
Et duo continuo connectens æquora muro
Isthmos, & angusti patuerunt claustra Lycæi.
Nec tibi Parrhasios licuit munire colonos
Frondosis Erymanthe iugis, equitatáque summi
Culmina Taygeti trepidæ vidisse Amyclæ.
Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes

Exigere Getis, tot tandem flumina victor
Vindicat Eridanus, docuit nunc exitus altè
Fatorum secreta tegi. Quisquamne reclusis
Alpibus vlterius Latij fore credidit vmbram?
Nonne velut capta rumor miserabilis vrbe
Trans freta, trans Gallos, Pyreneúmque ° cucurrit
Famáque nigrantes succincta pauoribus alas
Secum cuncta trahens à Gadibus vsque Britannum·
Terruit Oceanum, & nostro procul axe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thulen.
Mandemusne Noti flabris, quoscunque timores
Pertulimus? festæ doleant ne tristibus aures
An potius meminisse iuuat? sempérque vicissim
Gaudia præmissi cumulant inopina dolores.
Vtque sub occidua iactatis Pleiade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum:
Sic mihi tunc maior Stilicho, cùm læta periclis
Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
Nonne videbantur quamuis adamnante rigentes
Turribus inualidis fragiles procumbere muri?
Ferratæque Getis vltro se pandere portæ?
Nec vallum, densæque sudes arcere volantes
Cornipedum saltus: iamiam conscendere puppes
Sardoosque ° habitare sinus, & inhospita Cypri
Saxa parant, vitámque freto spumante tueri,
Ipsa etiam diffisa breui Trinacria ponto,
Si rerum natura sinat, discedere longè
Optat, & Ionium refugo laxare Peloro.
Fultáque despiciens auro laquearia diues,

Tutior Aeolijs mallet vixisse cauernis.
Iámque oneri creduntur opes, tandemque libido
Hæsit auáritiæ, grauioribus obruta curis
Vtque est, ingenioque loquax, & plurima fingi
Permittens, crédique timor; tunc somnia vulgo
Nárrari, tunc monstra Deûm, mon túsque sin stri,
Quid meditentur aues; quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui quid carmine poscat
Fatidico custos Romani [q] carbasus æui.
Terrirat assiduus Lunæ labor, atráque Phœbe
Noctibus [r] ærisonas crebris vlulata per vrbes.
Nec credunt vetito fraudatam sole sororem
Telluris subeunte globo, sed castra sequutas
Barbara, Thessalidas patrijs lunare venenis
Incestare iubar: tunc anni signa prioris,
Et si quod fortasse quies neglexerat omen,
Addit cura Iouis; lapidosos grandinis ictus,
Molitásque examen apes, passimque crematas
Per bacchata domos nullis incendia causis,
Et nunquam cælo spectatum impune cometen;
Qui primum roseo Phœbi prolatus ab ortu,
Quà micat astrigera senior cum coniuge Cepheus,
Inde Lycaonia paulatim expulsus ab Arcto
Crine vago, Getici fœdauit sidera plaustri,
Donec in exiguum moriens vanesceret ignem.
Sed grauius mentes cæsorum ostenta luporum
Horrificant, duo quippe lupi sub principis ora
Dum campis exercet equos violenter adorti
Agmen, & excepti telis (immane relatu

Prodigium) mirámque notam duxere futuri
Nam simul humano geminas de corpore palmas,
Vtráque perfossis emisit bellua costis,
Illo læua tremens, hoc dextra ventre latebant,
Intentis ambæ digitis, & sanguine viuo:
Scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
Ore sub Augusti casurum prodidit hostem,
Vtque manus vtero virides patuere retecto,
Romula post ruptas virtus sic emicat Alpes.
Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium peiore via, truncatáque membra,
Nutricémque lupam Romæ, regnóque minari:
Tunc reputant annos, interceptóque volatu
Vulturis, incidunt properatis sæcula metis.
Solus erat Stilicho, qui desperantibus augur
Sponderet meliora manu, dubiæque salutis
Dux idem vatésque fuit: durate parumper,
Inquit, & excussis muliebribus ore querelis
Fatorum toleremus onus: nil nautica prosunt
Turbatæ lamenta rati; nec segnibus vndæ
Planctibus, aut vanis mitescunt flamina votis.
Nunc instare manu, nunc toto pectore niti
Communi pro luce decet; succurrere velis,
Exhaurire fretum, varios aptare rudentes
Omnibus, & docti iussis parere magistri.
Non si perfidia nacti penetrabile tempus
Irrupere Getæ, nostras dum Rhetia vires
Occupat, atque alio desudant Marte cohortes,
Idcirco spes omnis abit, mirabile posset

Esse mihi, si fraude noua, vel calle reperto
Barbarus ignotas inuaderet inscius Alpes,
Nunc verò geminis [T] *clades repetita tyrannis*
Famosum vulgauit iter, nec nota fefellit
Semita præstructum bellis ciuilibus hostem.
Per solitas venere vias, aditúsque sequendos
Barbarico romana dedit discordia bello.
Sed nec præteritis hæc res incognita sæclis:
Sæpe lacessitam, sed non impune fatemur
Ausoniam; hæc Senonum restrinxit sanguine flammas,
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori,
Colla catenati vidit squalentia Cymbri.
Vile decus, quod non erexit prauius horror:
Ingentes geminant discrimina magna triumphos.
Quid turpes iam mente fugas? quid Gallica rura
Respicitis? Latióne libet post terga relicto
Longinquum profugis Ararim præcingere castris?
Scilicet Arctois concessa gentibus Vrbe
Considet regnum [V] *Rhodano, capitíque superstes*
Truncus erit; vestros stimulant si pignora sensus.
Me quoque non impar naturæ cura remordet,
Nec ferro sic corda rigent, vt nosse recusem
Quàm sanctum soceri nomen, quàm dulce mariti,
Quantus prolis amor: sed nunquam oblita decoris
Obscœnam latebram pietas ignaua requiret,
Neu vobis fortis monitor, mihi cautior vni.
Hîc coniux [X]*, hîc progenies; hîc charior omni*
Luce gener; pars nulla mei subducta procellæ.
Accipe tu nostræ tellus Oenotria mentis

Pignora, communes tecum subeuntia casus
Exiguámque moram muris [Y] *impende tuendis,*
Dum redeo, lectum [Z] *referens in classica robur.*
His dictis pauidi firmauit inertia vulgi
Pectora, migrantísque fugam compescuit aulæ.
Ausáque tum primum tenebris emergere pulsis
Hesperia, vt secum iunxisse pericula vidit
Augustum [A] *, tantóque sui stetit obside fati.*
[B] *Protinus vmbrosa vestit quà litus oliua*
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parua puppe lacum præteruolat; ocyus inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes,
Nil hyemis, cœliue memor. Sic ille relinquens
Ieiunos antro catulos immanior exit
Hyberna sub nocte leo, tacitúsque per altas
Incedit furiale niues; stant colla pruinis
Aspera, flauentes astringit stiria setas.
Nec meminit lethi, nimbosué aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret. Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhetia syluæ,
Quæ se Danubij iactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina [C] *regno.*
Primo fonte breues, alio mox gurgite regnant,
Et fluuios cogunt vnda coeunte minores
In nomen transire suum, te Cimbrica Thetys
Diuisum bifido consumit Rhene meatu.
Thracia quinque vadas Istrum vorat Ampihtrite;
Ambo habiles remis, ambo glacialia secti
Terga rotis, ambo Boreæ Martique sodales.

Sed latus Hesperiæ qua Rhetia iungitur oræ
Præruptis ferit astra iugis, panditque tremendam
Vix æstate viam; multi ceu Gorgone visa
Obriguere gelu, multos hausere profundæ
Vasta mole niues, cùmque ipsis sæpe iuuencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.
Interdum subitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina subruit astris,
Pendenti male fida solo, per talia tendit
Frigoribus medijs Stilicho loca; nulla Lyæi
Pocula, rara Ceres; raptos contentus in armis
Delibasse cibos: madidoque oneratus amictu
Algentem pulsabat equum; nec mollia fesso
Strata dedere torum: tenebris si cæca repressit
Nox iter; aut spelæa subit metuenda ferarum,
Aut pastorali iacuit sub culmine fultus
Ceruicem clypeo; stat pallidus hospite magno
Pastor, & ignoto præclarum nomine vultum
Rustica sordenti genitrix ostendit alumno.
Illa sub horrendis prædura cubilia syluis;
Illis sub niuibus somni, curæque labórque
Peruigil; hanc requiem terris, hæc otia rebus
Insperata dabant; illæ tibi Roma salutem
Alpinæ peperere casæ. iam fœdera gentes
Exuerant, Latijq; audita clade feroces
Vindelicos saltus & Norica rura tenebant.
Ac veluti famuli mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falso rumore resoluit,
Dum marcent epulis, atque inter vina chorosque

Persultat vacuis effræna licentia tectis:
Si reducem dominum sors improuisa reuexit
Hærent attoniti; libertatemque perosus
Conscia seruilis præcordia concutit horror.
Sic ducis aspectu cuncti stupuere rebelles,
Inque vno princeps Latiumque & tota refulsit
Roma viro: frons læta parum, non tristior æquo;
Non deiecta malis, mista sed nobilis ira.
Qualis in Herculeo, quoties infanda iubebat
Euristeus, fuit ore dolor: vel qualis in atram
Sollicitus nubem mœsto Joue cogitur aer.
Tantáne vos, inquit, Getici fiducia belli
Erigit? hinc animo frustrà tumuistis inani.
Non ita Romanum fati violentia nomen
Opprimit, vt vestros nequeat punire tumultus.
Parte sui; neu vos longè sermone petito
Demorer, exemplum veteris cognoscite facti:
Cùm ferus Ausonias perfringeret Annibal arces,
Et Trebiam sæuo geminassent funere Cannæ,
Nequicquam Emathium pepulit spes vana Philippum,
Vt velut afflictos ferro tentaret inerti.
Romanos commouit atrox iniuria patres
Vrgerent maiora licet: grauitérque tulere
Vrbibus inter se claris de culmine rerum
Congressis, aliquid gentes audere minores.
Nec pœnam differre placet, sed bella gerenti
Punica Leuino, Regis quoque prælia mandant.
Paruit imperijs consul; fusúsque Philippus,
Vilia dum grauibus populis interserit arma,

Prætereunte

Prætereunte manu didicit non esse potentum
Tentandas, medijs quamuis in luctibus, iras.
Hoc monitu pariter nascentia bella repressit,
Et bello quæsiuit opes, legitque precantes
Auxilio, mensus numerum [E] qui congruus esset,
Nec grauis Italiæ, formidandúsue regenti.
Nec minus accepto nostræ rumore cohortes
(Sic ducis vrget amor) properantibus vndique signis
Conueniunt; visóque animi Stilicbone recepti
Singultus varios, lacrymosáque gaudia miscent
Sic armenta boum, vastis quæ turbida syluis
Spargit hyems; cantus & sibila nota magistri
Certatim repetunt vel notæ pascua vallis;
Inque vicem se voce regunt, gaudentque fideles
Reddere mugitus, & quà sonus attigit aurem,
Rara per obscuras apparent cornua frondes.
Accurrit vicina manus, quam Rhetia nuper
Vindelicis auctam spolijs, defensa probauit.
Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat fræna truci, ferróque notatas
Perlegit exangues Picto moriente figuras
Agmina quinetiam flauis obiecta [F] Sicambris,
Quæque domant Cattos, immansuetósque Cheruscos,
Huc omnes vertere minas, tutúmque remotis
Excubijs Rhenum solo terrore relinquunt.
Vllàne posteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus tota poterat cum mole teneri,
Iam sese placidam præbet Stilichonis habenis,

Vt nec præsidijs nudato limite tentet
Expositum calcare solum, nec transeat amnem,
Incustoditam metuens attingere ripam.
Celsior ô cunctis, vnique æquande Camillo;
Vestris námque armis Alarici fracta quieuit
Ac Brenni rabies: confusis rebus vterque
Diuinam tribuistis opem. sed tardior ille
Iam captæ vindex patriæ, tu sospitis vltor.
O quantum mutata tuo fortuna regressu,
Vt sese pariter diffudit in omnia regni
Membra vigor, viuúsque redit color vrbibus ægris.
Creditur Herculeis lucem renouasse lacertis
Fœmina, dilecti fatis impensa mariti,
Et iuuenem spretæ laniatum fraude nouercæ,
Non sine Circæis Latonia reddidit herbis,
Cretáque (si verè narratur fabula) vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulcro,
Quem senior vates auium clangore repertum
Gramine restituit: miræ nam munere sortis
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
At tuus aduentus non vnum corpus ab vmbris,
Sed tot communi populos sub morte iacentes,
Totáque tartareis è faucibus oppida traxit,
Ipso Roma die, nec adhuc ostenditur autor,
Personuit, venisse ducem, lætísque Quirites
Vocibus auspicium certi plausere triumphi,
Muniti Stilichone suo. quis gaudia verò
Principis, amplexus alacris quis differat aulæ?
Pulueris ambiguam nubem speculamur ab altis

Turribus, incerti socios apportet an hostes,
Ille globus: mentem suspensa silentia librant;
Donec puluereo sub turbine sideris instar
Emicuit Stilichonis apex, & cognita fulsit
Canicies, gauisa repens per mœnia clamor
Tollitur, Ipse venit: portas secura per omnes
Turba salutatis effunditur obuia signis.
Non iam [K] delectus misere, nec falce per [L] agros
Deposita, iaculum vibrans ignobile messor:
Non tentat clypeum proiectis sumere rastris
Bellona ridente Ceres, humilisque nouorum
Seditio clamosa ducum; sed vera [M] iuuentus,
Verus ductor adest, & viuida Martis imago.
Prospera sed quantum nostræ spes addita menti,
Tantum exempta Getæ: qui vertice proximus astris
Post Alpes iam cuncta sibi promitttit apertas,
Nil superesse ratus; postquam tot flumina pulsis,
Cinctáque fluminibus crebris tot mœnia cernit,
Tot subitò pedites, equitum tot conspicit alas,
Séque velut clausum laqueis; sub pectore furtim
Æstuat, & nimium prono feruore petitæ
Iam piget Italiæ, speratáque Roma teneri
Visa procul, magni subeunt iam tædia cœpti
Occultat tamen ore metum, primósque suorum
Consultare iubet bellis annísque verendos.
Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix;
At [N] tremulos regit hasta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis, non exarmata senectus.

Hic aliquis ° grauior natu, cui plurima dictis,
Consilijsque fides, defixus lumina terræ
Concutiénsque comam, capulóque acclinis eburno,
Si numero non fallor, ait, tricesima currit
Bruma fere, rapidum postquam transnauimus Istrum,
Romanámque manum tantis eludimus annis.
Sed nunquam Mauors adeò constrinxit in arctum
Res Alarice tuas: per tot certamina docto
Crede seni, qui te tenero vice patris ab æuo
Gestatum parua solitus donare pharetra,
Atque aptare breues humeris puerilibus arcus.
Sæpe quidem frustra monui, seruator vt icti
Fœderis, Emathia tutus tellure maneres:
Sed quoniam calidæ rapuit te flamma iuuentæ,
Nunc saltem (si cura tibi manet vlla tuorum)
His claustris euade precor, dúmque agmina longè,
Dum licet, Hesperijs præceps elabere terris,
Ne noua prædari cupiens, & parta reponas;
Pastorique lupus scelerum delicta priorum
Intra septa luas. Quid palmitis vber Hetrusci,
Quid mihi nescio quam proprio cum Tybride Romam
Semper in ore geris? referunt si vera parentes,
Hanc ᵖ vrbem insano nullus qui Marte petiuit
Lætatus violasse redit, nec numina sedem
Destituunt: iactata procul dicuntur in hostem
Fulmina, diuinique volant pro mœnibus ignes.
Seu cœlum, seu Roma tonat, si temnis Olympum.
A magno Stilichone caue, qui semper iniquos
Fortuna famulante premit: scis ipse perosus

Arcadiæ quàm densa iugis cumulauerit ossa,
Sanguine quàm largo Graios calefecerit amnes:
Extinctusque fores ni te sub nomine legum
Proditio, regnique fauor texisset Eoi.
Talia grandæuum flammata fronte loquentem,
Obliquisque tuens oculis non pertulit vltra,
Sed rupit rapidas accensa superbia voces;
Si non mentis inops, fraudataque sensibus ætas
Præberet veniam, nunquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me sospite ferret inultus,
An ne tot Augustos Hebro qui teste fugaui,
Te patiar suadente fugam? quum cesserit omnis
Obsequijs natura meis: subsidere nostris
Sub pedibus montes, arescere vidimus amnes.
Non ita dij Getici faciant, manesque parentum,
Vt mea conuerso relegam vestigia cursu.
Hanc ego vel regno victor, vel morte tenebo
Victus humum, per tot populos, vrbesque cucurri,
Fregi Alpes, galeisque Padum victricibus hausi.
Quid restat nisi Roma mihi? gens robore nostra,
Tunc quoque pollebat, nullis quum fideret armis.
At nunc Illyrici postquam mihi tradita iura,
Méque suum fecere ducem, tot tela, tot enses,
Tot galeas multo Thracum sudore paraui,
Inque meos vsus vectigal vertere ferri,
Oppida legitimo iussu Romana coegi.
Sic me fata fouent; ipsi quos omnibus annis
Vastabam, seruire dati; nocitura gementes
Arma dabunt, flammísque diu mollitus & arte

In sua damna chalybs, fabro lugente rubebit.
Hortantes his adde deos, non somnia nobis,
Nec volucres, sed clara palàm vox reddita luco est:
Rumpe omnes Alarice moras, hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad [r] Vrbem.
Huc iter vsque datur, quis iam post talia segnis
Ambigat? aut cœlo dubitet parere vocanti?
Sic ait, hortaturque suos, bellóque viáque
Instruit, attollunt vanos oracula fastus.
O semper tacitas sortes ambage maligna:
Euentúque patens, & noxia vatibus ipsis
Veri sacra fides. Ligurum regione suprema
Peruenit ad fluuium miri cognominis Vrbem,
Atque illic domitus vix tandem interprete casu,
Agnouit dubijs illusa vocabula fatis.
Necnon & Stilicho pugnam poscentia mouit
Pleno castra grádu, dictisque instigat euntes:
Nunc nunc ô socij temeratæ sumite tandem
Italiæ pœnas; [s] obsessi principis armis
Excusate nefas, deploratúmque Timauo
Vulnus, & Alpinum gladijs abolete pudorem.
Hic est, quem toties campis fudistis Achiuis,
Quem discors, odijsque anceps ciuilibus orbis,
Non sua vis tutata diu: dum fœdera fallax
Ludit, & alternæ periuria venditat aulæ.
Credite nunc omnes quas dira Britannia gentes,
Quas Ister, quas Rhenus alit, pendere paratas
In speculis: vno tot prælia vincite bello:
Romanum reparate decus, molémque labantis

Imperij fulcite humeris: hic omnia campus
Vindicat, hæc mundo pacem victoria sancit.
Non in Threicijs Hęmi decernimus oris,
Nec super Alphæas vmbrantia Mænala ripas
Constitimus: non hîc [T] Tegeen, Argosue tuemur:
Visceribus medijs, ipsóque in corde videtis
Bella geri, patrem clypeis defendite Tybrim,
Talia nunc pediti, turmæ nunc mistus equestri
Dicta dabat; simul externis præcepta ferebat
Auxilijs; ibat patiens ditionis Alanus,
Quà nostræ iussere tubæ, mortémque petendam
Pro Latio docuit gentis præclarus [V] Alanæ,
Cui natura breues [X] animis ingentibus artus
Finxerat, immanique oculos infecerat ira:
Vulneribus pars nulla vacat [Y] incisaque cuncti
Gloria [Z] fœdati splendet iactantior oris,
Ille tamen mandante procul Stilichone citatis
Acceleratur equis, Italámque momordit arenam
Felix, Elysijsque plagis, & carmine dignus:
Qui malè suspectam nobis impensius arsit
Vel letho purgare fidem; qui iudice [A] ferro
Diluit [B] immeritum laudato sanguine crimen.
Morte viri turbatus eques, flectebat habenas,
Totáque præciso mutassent agmina cornu,
Ni celer instructa Stilicho legione sequutus
Subsidijs peditum [C] pugnam instaurasset equestrem.
Quis Musis, ipsóque licet Pæane recepto
Enarrare queat, quantum Gradiuus in illa
Luce suæ dederit fundator originis vrbi?

Altius haud vnquam toto descendimus [D] ense
In iugulum Scythiæ tanta nec clade superbum
Contudimus Tanaim, vel cornua fregimus Istri.
Inuisum miles sitiens haurire cruorem
Per varias vestes, oneratáque plaustra metallo,
Transit, & argenti cumulos, & cædis auarus
Contemptas proculcat opes: pretiosior auro
Sanguis erat, passim neglecti prodiga lucri,
Ira furens strictis odium mucronibus explet,
Purpureos cultus, [E] assumptoque igne [F] Valentis
Exuuias, miserisque graues crateras ab Argis,
Raptáque flagranti spirantia signa Corintho
Callidus ante pedes venientibus obijcit hostis:
Incassum, néque enim feralis præda moratur,
Sed iustos præbent stimulos monimenta doloris.
Asseritur ferro captiuum vulgus, & omnes
Diuersæ vocis populi, quos traxerat hostis
Seruitio, tandem dominorum strage redempti,
Blanda cruentatis affigunt oscula dextris,
Desertosque lares, & pignora læta reuisunt.
Miratur sua quemque domus, cladésque renarrant
Ordine, cognati referunt [G] miracula belli.
Quis tibi tunc Alarice dolor? cùm Marte perirent
Diuitiæ, spolijsque diu quæsita supellex,
Pulsaretque tuas vlulatus coniugis aures,
Coniugis, inuicto dudum quæ freta marito,
Demens Ausonidum gemmata monilia matrum,
Romanasque alta famulas ceruice petebat.
Scilicet Argolicas, Ephyreïadesque puellas.

Cœperat

Cœperat, & pulcras iam fastidire Lacænas.
Sed dea quæ nimijs obstat Rhamusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam: domat aspera victos
Pauperies, vnc que die Romana rependit,
Quicquid terdenis toties amisimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia sęclis,
O meritum nomen, felicibus apta triumphis,
Virtutis fatale solum, memorabile bustum
Barbariæ: nam sæpe locis, ac finibus illis
Plena lacessito redijt vindicta Quirino.
Illic Oceani stagnis excita supremis
Cimbrica tempestas, aliasque immissa per Alpes,
Iisdem[1] *procubuit campis: iam protinus ętas*
Adueniens geminæ gentis permisceat ossa,
Et duplices signet titulos, commune trophęum:
Hîc Cimbros, fortésque Getas Stilichone peremptos
Et Mario, claris ducibus tegit Itala tellus.
Discite vesanę Romam non tendere gentes.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN LIBRVM CL. CLAVDIANI DE BELLO GETICO.

Huius libri titulus variat, in antiquis codicibus, vnus habet: De Bello Pollentiaco, alter de victoria Stilichonis contra Alarichum, quod magis placet, verùm breuitati locum dedimus; quamuis constet id potissimum agere poëtam vt Stilicho in cælum laudibus efferatur.

[a] P*OST* resides annos, non adeò in occulto posita sunt Claudiani studia, vt ignoremus quandiu fuerit immunis à poëtica prurigine, si hoc verbo in tam præclara re vtendum est. Scripserat igitur Anno 398. Consulatum IIII. Honorij & Gildonem. Anno 399. Eutropium. Anno 400. Stilichonem. At duobus annis sequētibus feriatus, est in hunc vsque annum qui 403. numeratur. Theodosio iuniore Augu. & Rumorodio consf.

[b] *PYTHIA DOMVS.* Id est templum Apollinis quod non procul a domo imperatoris, legimus enim Augustum in ea parte Palatinæ domus Templum Apollini dedicasse, quam fulmine ictam desiderari ab eo dixerant aruspices. Ibi recitabant poetæ, vide Prop. & Horatium.

[c] *EFFIGIEM.* Hunc honorem Statuæ meruit Claudianus præsertim poematio de Gildone, cuius Basis marmorea eruta est ante sæculum in foro Traiani, eam Pomponius Lætus æui sui Quintilianus possedit, atque in honore habuit. Inscriptio talis est: Cl. Claudiano. V. C. inter, cæteras.ingentes.artes.prægloriosiss. poetarum.licet.ad.memoriam. sempiternam. carmina. ab. eodem. scripta. sufficiant. attamen. testimonij.gratia.ob iudicij.sui.fidem.D.D.N.N.Arcadius. &. Honorius.felicissimi ac.doctissimi.Imperatores.Senatu.petente.statuam.in foro.Diui.Traiani.erigi.collocarique.iusserunt. Ad hęc distichon græ-

eum valde elegans, vbi pro εἰν ἐνὶ, quod est simul siue vnà ineptulus quidam ausus erat Ισον obtrudere contra fidem lapidis antiqui. Id vero tale est:

> Οἱ εἰ Βιργιλίοιο νόον καὶ μοῦσαν Ομήρου
> Κλαυδιανὸν Ρώμη καὶ βασιλεῦς ἔθεσαν.

quod nos post Ianum Parrh. ita liberè latinum fecimus:

> *Carmens Virgilÿ cui musa obuenit Homeri*
> *Roma vouet statuam Cæsar vterque. dedit.*

Hoc verò imagins indice nullum puto extare honorificentius, neque ipse Maro quidquam tale adeptus est. Quod siquis miretur hominem Ægyptium de Latio quasi triumphum egisse sciat Terentium natione Afrum bello captum victori gentium populo vel spectante Roma, palmam eripuisse.

AHENAM. Ita vet. codex, alij Amœnā vno cõsensu, quod ne retineā facit ipsa rei veritas, Ahena signa dixit Lucretius, Ahena Horatius, id est Statuas ex ære, talis etiam erecta est insigni Claudiani æmulo Sid. Apollinari, vt ipse testatur nil vatū prodest adiectū laudibus istud Vlpia quod rutilat portic* ære meo, & pri* Annio Paulino Iun. Procos. Asiæ ob meritū nobilitatis & eloquij petitu Populi R. testimonio senatus ac iudicio Augg. sed enim auro perfusa. Sub auro item decreta est Fl. Eugenio. Aur. Victor historicus ænea statua honoratus est Marcel. teste. Huc etiam pertinet statua Proæresij viri magni instar colossi de qua Sardianus. χαλκοῦν ἰσομέτρετον Ρωμαῖοι ἀνέθηκαν ἐπιγράψαντες: Η ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΑ ΡΩΜΗ ΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΑ ΛΟΓΩΝ.

INTACTI. Bella similitudo Nauis cum Imperij gubernatione Horatius eleganti Allegoria vsus est re minimè dispari, cum ait: O Nauis referent in mare te noui Fluctus.

ARGO. Hæc archetypus nauium traditur à plerisque, huius autem fragmenta temporibus Domitiani visa sunt Romæ auctore Martiali, qui ita concludit: Sanctior est tota parua tabella rate.

MINERVAM. Apud Virgilium Pallas equum durateum vel designat vel effingit, hic vero in fabricando nauigio de sudat, vnde Tritonis pinus & Palladia puppis dicitur Nasoni, apud Val. Flaccum Pallas: Argum Moliri puppim iubet. Orpheus verò Iunonem opificij auctorem facit, ac monitricem,

ctus, voluit in dubium uocare, cum ea sit in omnibus libris & à Seruio aliisque vt supra diximus, probari facilè queat, habes vero apud Homerum, ὦ πόν τ' ἀντίθεον Τηλεκλειτὸν τ' Ἐφιάλτην. De quibus etiam loquitur Ammianus.

[g] *ADSPICE* Roma, ita vetus cod. clarè ac dilucidè, cum antea secundus ab eo versus præcederet oscitantia librarij, id sane viro insigni veram elicuit olim coniecturam, quæ hîc vt vides bellè confirmatur.

[h] *VLCERA.* Eximia comparatio & digna homine Alexandriæ nato, vbi siquis studuisset, ei pro magno experimento in medicina fuit, vide Am. Marcellinum. hîc vero: Parcendóque secat, placet impensiûs, sic Ausonius: Dum parcente manu molle olus excolitur.

[i] *VALIDAM* gentem. Apud Iul. Imp. in Cæss. gloriatur Vlpius Traianus quod Geticas nationes omniũ bellicosissimas, & corporis viribus prævalidas (quibus Zamolxis quem vt Deũ colunt animam ab interitu immunem promisit) fuderit paulominùs quam quinquennio.

[k] *ERGASTVLA.* Serui non iure militant, neque infimi è plebe Romana seu proletarii, nisi tumultu subito. Ennius Proletarius publicitù, scutisque, feróque Ornatur. Legimus etiam Capite censos sub Mario, sed contra morem, cingulum meruisse. Plutarchus: πόλιν, ἄπορον καὶ δῦλον καταγεάφων. Ratio vero cur soli Ciues admitti debeant à Iul. Paulo redditur. Quod nimirum, Res familiaris obsidis & pignoris vice apud Remp. erat. at reiiciebantur Tracta de ergastulis nomina.

[l] *MOESI.* eos sanè Mysos dixerim libentius ex antiquis græcorum poëtis & Ouidio apud quem: Profuit & Myso Pelyas hasta duci. Sed quia video id vet. exemplaria, & monumenta præ se ferre, subticeo. Legimus in Zozimo prouinciam illam ope Stilichonis minus detrimenti accepisse.

[m] *TERDECIES.* Ergo triginta anni sunt cũ Alarichus orbem romanum inuasit, id confirmat Prudentius auctor elegans illic terdenis gens exitiabilis annis.

[n] *THERMOPYLÆ.* Hunc Alarichi ingressum describit Eunapius vnde hæc: Ἀλάριχος ἔχων τοὺς Βαρβάρους διὰ τῶν πυλῶν παρῆλθεν, ὥσπερ διὰ σταδίου, καὶ ἱπποκρότου πεδίου τρέχων. Quare dixit, poëta: primo conamine, quis

vero has Græciæ angustias prodidit exercitui Getico? an solitaria quædam natio pullata veste à cæteris distincta? Græculus hic profecto maligne notat eos quos alibi, ἀνθρώπους μὲν κατ᾽ εἶδος vocat, reliqua vide si lubet. Constat autem Thermopylarum iugo mediam Græciam dirimi, vt Italiam Apennino.

[c] *PYRENEVM.* Idem Pyrenei montes seu Pyrene quæ Steph. Πυρήνη Silius vt Nympham ab Hercule amari tradidit, vnde Tibullus ad Messalam qui hanc opinor domitam inter pōpæ fercula Romanis ostendit: Tu, bella Pyrene, Testis aut Tua bella Pyrene, sed enim Princeps litteratorum docuit legendum Tarbella. Dionysius: Πυρηναῖον ὄρος, καὶ δώματα Κελτῶν. Quidam sane alios montes eiusdem nominis Germaniæ vicinos faciunt, è quibus Rheni origo & appellatio deduci videatur, vide Græcum Ep. de Cæs. Germanico.

[d] *SARDOOS.* Ita vet. liber. alij Sardonios imperitè, nam Græcè Σαρδώνιος. Steph. rectè Σαρδῷος. Virgilius imo ego Sardois veniam tibi amarior herbis. Ouidius dixit Sardoa regna pro Sardinia.

[e] *CARBASVS.* Numa, auctore Floro, instituit vt ad similitudinem cælestium siderum Custos Imperij flamma vigilaret atque huc fortè respicit Propertius: vel cui commissos cum vesta reposceret ignes Exhibuit viuos carbasus alba focos. Sed libros Sibyllinos (qui lintei erant) hîc intelligi docuit. Del. atque ex hoc loco discimus Stilichonem nondum illa vana sustulisse, de quibus Rutilius queritur: Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

[a] *ÆRISONAS.* Ita opt. codex, cum in aliis. Ausonias, & Horrisonas minùs verè, hæc sanè vel bene oculatis abstrusa videantur, nisi Plutarchus antiquitatis Romanæ studiosior lucem adferat, tradit vero in vita P. Æmylij cum is aduersus Macedonas bellaret Lunam defecto lumine euanuisse, quam Romani tinnitu æris reuocare, aut reuelare conati sint, certum est vero nubes etiam hodie companarum quæ in vrbibus, sonoræ dissipari, ac tormentis muralibus, vide V. Paterculum, quinimo Statius lib. VI. Æra crepant frustra quæ timet, at Thessala victrix Ridet anhelantes audito carmine bigas. Liuius Æris crepitum silenti nocte in defectu lunæ cieri docet.

[f] *ORE* sub Aug. Sic habet, v. cod. at Plantini editio Orbe & alius liber Ora. minus rectè, nam alibi dixit: Generíque sub ore, & sub luce tui contingeret oris.

v *GEMINIS* tyrannis. Maximum & Eugenium indicat, legimus vero Alarichum ab Oriente cum Theodosio venisse magna manu Gothorum stipatum, vnde ipsi Alpium iter innotuerit.

y *RHODANO.* Hic Stilicho incitat suos malè cunctantes, atque à fuga, in Galliam, deterret, legimus vero Honorium Alaricho, agros & prouincias petenti Galliam concessisse. Cauendum est sanè bono duci ne dubitantem aut formidantem exercitum ad pugnam producat, quanuis Cæsar verbere conuersæ cessantes suscitet hastæ.

x *HIC CONIVX.* Demonstrat insignis ille dux nec suos periculo subtrahi, & Romam pro solo natali & parente adgnoscit, quare sub eius Statua argento perfusa hæc fuit inscriptio: Fl. Stilichoni illustrissimo viro, bis consuli ordinario, Mag. vtriusque militiæ Comiti domesticorum & Stabuli sacri, atque ab ineunte ętate per gradus clarissimæ militiæ ad columen regię adfinitatis euecto, socio bellorum omniū & victoriarum, affini etiam D. Theodosij Aug. Itemque socero D. N. Honorij Aug. POPVLVS ROMANVS PRO SINGVLARI EIVS CIRCA SE AMORE. reliqua vide.

y *MVRIS.* De horum restauratione exstat præclara inscriptio quam referimus Paneg. VI. Honorij vbi multa huc pertinentia.

z *LECTVM* robur. Ergo non subitarii milites, aut desueta bello agmina, sed legiones olim probatæ, à Stilichone desiderantur quare ipse paucis comitatus Rheticas Alpes transit, vnde quasi curriculo statim reuertit, Romam ipsam & Honorū Imp. ab hostibus quasi obsessum redemturus.

A *AVGVSTVM.* Pudet me quorundam huius historiæ scriptorum qui pietatis nomen ambientes, nihil minus præstitere, Aiunt enim Stilichonem vel inuito Honorio pugnam iniisse, quam Getæ (si placet superis) sola instantis Paschæ reuerentia subterfugerint, vt facile fuerit tunc non repugnantes vincere, addunt etiam quod mirere Stilichonem, Getis animo iam reuelatis ac virtute quasi tediuina, debellatum esse, quod sanè indignabatur Cuiacius aiebátque auctorum ingenia & conditionem esse inprimis explorandam, neque enim facile crediderìs Gotho homini de suis scribenti, aut Cassiodoro si scias qui fuerit, aut alii cuius nomen taceo; in his rebus præcipuæ, quanto me-

lius Prudentius noster : Dux agminis imperiique Christipotens nobis iuuenis fuit, & Comes eius atque Parens Stilicho, Deus vnus Christus vtrique· Rem gestam profectò viderat, æque atque Claudianus, neque mendacium coram dicere ausi essent.

[a] *PROTINVS*. Hic locus mirè excitat lectorem, neque puto meliores versus extare vspiam, est enim hîc poeta Nili sui cataractis vberior.

[c] *RHENO*. In hanc rem D. Ambrosius tradit Rhenum imperij romani aduersum feras gentes murum esse.

[D] *CONSCIA*. Hîc profectò notantur æmuli Stilichonis, qui de eo multa sinistra vbique sparserant eos tamen viri reducis præsentia tacitos, & quasi exanimes reddidit.

[E] *NVMERVM*. Vide Curtium de Dario cui' nihil minus quàm multitudo militum defuit. at eximia Panegyris ad constátium : Magnus Alexander cum præter Macedonas suos cunctæ Græciæ & vniuerso Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, nunquam maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus quidquid excederet.

[F] *SICAMBRIS*. Hîc milites limitanei designantur. de quorum disciplina & fortitudine multa in Panegyricis. præsertim eorum qui ad Constantinum: Obliti deliciarum circi, & nobiliũ lauacrorum Rheno Danubióque prætenduntur. Conquisitorẽ sanè agit Stilicho & quasi Tribunum per agros more maiorum.

[G] *GERMANIA* quondam. Hæc omnia in laudem Germaniæ hactenus ferè indomitæ, quod Stilichoni, virtutis admiratione, se placidam exhibuerit; id quoque ipsi honori est: necesse enim fuit eam virtutibus abundare quæ alienas amauerit.

[H] *MINOVM*. Hæc fabula satis recondita explicatur ab Higyno, sed enim vir subtilis eam tangit plenius in Notis, vide Ouidium in re simili de piscibus Glauci, lib. 12. Gramine cõtacto cæpit mea præda moueri. supra de Hippolyto egit Claud. quem Virg. ait: Pæonis reuocatum herbis & amore Dianæ.

[I] *ANGVIS*. Polyidus augur à Minoe cum Glauco filio, qui ante in mellis dolium lapsus animam efflauerat, viuus sepulchro destinatur, cui mæsto, cum duo serpentes apparerent alterum occidit, alter vero occiso herba salutari vitam reddidit, cuius

ope homo

ope homo anxius Glaucum ab orco reducem fecit. Manil. lib. 2. Anguis hinc nata per herbas fata refert vitamque. vide Del. cui hæc ante cognita.

k *DELECTVS.* ita v. Cod. alij Dilectus malunt, causa mihi obscura. Veget Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione consistunt. non igitur debilitatos, murcos, seruos, aut libertinos eligit & conscribit. sed veros milites. C. Th. Ad militiam nemo ad spiret nisi quem liberum Inquisitio cauta deprehenderit.

l *MESSOR.* At viri fortissimi & milites strenui, auctore Vegetio, ex agricolis etiam. minus enim timet mortem qui minus delitiarum nouit neque abs re Seneca miratur vxorem secum deliberata morte venas aperientem: Ego te vitę delinimenta docui, tu mortis decus mauis. Quinimo idem Veg. Ex agris præcipuè supplendum robur militis censet. sed alia ratione.

m *IVVENTVS.* Iuuentutis nomen à iuuando pulchrè deducit Veg. idem auctor dicit: Incipientem pubertatem antiquis ad delectum vocatam, vnde. & Silius: Pubescit miles castris, galeáque teruntur Nondum signatæ tenera lanugine malæ. sed hoc nisi vrgente necessitate. aut tyrocinij causa hîc vero Iuuentus virilibus annis propior est.

n *ATTREMVLOS.* ita vet. cod. alius: Interemulos. quod mihi suspectum erat priusquam recordarer Aus. versiculum ex Epigr. Intremulam baculo non subeunte manum. sanè, Et tremulos, nil sapit.

o *GRAVIOR* natu. Aliud est quod refert Christ. Historia vbi: Vir quidam venerabilis eum monuit ne talia auderet. cui Alarichus: Non ego volens Romam peto sed quidam quotidiè ad me: Perge & Romam destrue.

p *HANC* vrbem. At postea Romam cępit Alarichus, vastauitque miserè, teste Hieronymo. hic verò zoximus legendus erit. qui inter cætera tradit Getam dicentibus Romanis se innumeros esse & paratos ad pugnam, respondisse: Spissius fœnum facilius secari. cumque aurum, argentum, & omnia mancipia posceret, legatis quærentibus: Quid nobis relinques? Animas, inquit.

q *ILLYRICI.* antea, zosimo teste nuntiatum est Romæ Alarichum relicta Epiro expeditionem parare & legatos desti-

pendijs exigendis ad Stilichonem venire, quibus auditis Stilicho adijt Honorium (qui Rauennæ tenebatur odio romanæ vrbis) deliberaturus cum eo cui vel comitibus bellum placuit. P cem vero Stilicho præferendam esse pronuntiauit, quia re vera Alarichum sciebat Honorij partibus adhæsisse cui seruauit Illyriam contra Orientales. At Lampadius: Non est ista pax inquit, sed pactio seruitutis. Et vero euentus docuit Paci potius consulendum fuisse. Sed omnia Stilichonis consilia aliorsum rapiebant inuidi.

^x *VRBEM.* Ænigma & ambiguitas latet sub hoc nomine quod est fluuij proprium, qui in Liguria.

^s *OBSESSI.* Alloquitur fortè legiones antea rebelles, & quę Maximo tyranno militauerant. eas vero Theodosius, obsessas cum suo duce Aquileiæ ad Timauum, deditione subita recepit. nisi malis Honorij mentionem fieri, obsessi ab Alaricho vt alibi notamus. vide L. Pacatum de legione illa Maximi, cui pepercit Theod. & quam blandè tractatam iussit esse romanam.

^t *TEGEEN.* sic optimè in v. cod. cum in alijs. Tegeam inepte Tegeamque minus suauiter. Tegean imperitè. ac demiror Gis. cui Helena Hecuba. & alia vltimam producunt. Ouidius: Helenam ego crimine soluo.

^v *ALANÆ* gentis pręclarus. mira structura & quę Hellenismon sapiat. mendosam crederem ni optimo cod. niteretur: vir doctus libenter legisset: Dux clarus. victor tamen dixit. Benignos principum. Homero, δῖα θεάων, & Virgilio: sancta dearum, alter codex habuit Prælatus, quod minime absurdum: nam Lucanus vi. Cum duce pręlato terras atque æquora lustrat. Fuit vero ille dux Alanæ gentis bello ferox, & qui Saulus opinor fuerit nominatus; vnde quidam paupertini historici Hebræum perhibent. Lat. Pacatus de Barbaris eiusmodi: Ores digna memoratu: Ibat sub vexillis Romanis hostis aliquando Romanus. Gothus, Hunnus, Alanus respondebat ad nomen, alternabat excubias.

^x *BREVES* artus. Hoc sæpe contingit. At Pyrrhus delectori suo: Grandes elige, ego fortes reddam, iis enim vt Statius bellè sentit: Luxuriant artus, effusáque sanguine laxo Membra natant, cum vero de Tydeo agit: Exiguus grauis ossa tamen, nodísque lacerti Difficiles: nunquam hunc animum natura minori corpore, nec tantas ausa est includere vires quod de iurisconsl. huius æui principe dici queat.

y *INCISA.* Ita v. cod. aliàs: Recisa quod satis solenne est. Sic Ouidio Recidimus prima producta, sed alius statim nascitur scrupulus, precedit enim syllaba natura breuis, at in illa sede carminis nihil est periculi, vt infinita exempla docent. Iuuenal. caput ascendere iussit. Prop. Torquis ab incisa decidit vnca gula.

z *GLORIA* fœdati oris, eleganter idque mihi renouat memoriam cuiusdam ducis strenuissimi, nequid prætereà dicam, alia vero est ratio nautarum in Batauia qui quasi ludendo, sed plus poti, sibi inuicem ora gladiolis dissecant.

A *IVDICE* ferro, aliquando sane eo veniendum est, & quasi Martis alea subeunda vt veritas pateat. At cauendum, auctore Tacito, ne aliquod vulnus per nimiam fiduciam accipiatur, nam & modica damna famam victoriæ partæ lacerant. Sed neque hastam abiicit Stilicho, neque prœlij vnius euenta pauescit.

B *DILVIT.* Hinc satis conijcio Stilichonem suspectum fuisse magnæ parti Italiæ, seu potius aulicis qui Honorio insusurrabant nescio quid de nouis rebus, quas moliri putabatur, quod falsum esse hic Alanus mortè obita probare voluit.

C *PEDITVM* robur præcipuum fuit in militia Romana, quod hîc aduertere est. Stilicho autem nequis vlterius fugeret ex equo, opinor, descendit ac suam probauit in rebus dubiis constantiam. Infirmi enim est animi, teste Egesippo, lapsu aliquo summæ rei diffidere, cum exiguis momentis inclinentur omnia.

D *DESCENDIMVS.* Hoc verbum satis tumidum, sed mirè efficax quo vsus videtur haud omnino dispari significatu Seneca ad Marciam: Seianus patrem tuum Satrio congiarium dedit, ob vnum aut alterum liberius dictum; Seianum in ceruices nostras non imponi, sed descendere.

E *ASSVMTOQVE.* Hæc videantur alicui subobscura sed ita vet. liber quod & manu sua firmauit Cuiacius. Assumto igne id est Gemmis quæ vestibus assutæ, aliter in excusis nempe Assumtas. Ignis autem hîc pro gemmea supellectile accipi debet ex aliis locis huius poëtæ, vt notaui.

F *VALENTIS.* Ita v. codex, alias Valentes exuuias quod si verum est preciosas expono. Sed enim constat Valentem Imp. in tugurio vstulatum, eiusque Gazam ab Alaricho direptam, v-

bi inter cætera poterant esse vestes regiæ gemmeo sple dore quasi ignitæ, & fulgurantes, sic in Paneg. vi Honorii: Phaeton glauce s incendit amictus, & Statius: digitos incendere gemmis, vel accen lere.

ᵍ *MIRACVLA* belli. Alibi dicet Miracula castris edita. Nullum sanè puto apud alios auctores reperiri clarius aut nobilius exemplum postliminii: hic vero cognatum bellum dixit, vt Lucanus cognatas acies; quia ab vtraque parte Romani erant barbaris mixti. At qui in acie Getica, non erant sui iuris.

ʰ *POLLENTIA*. Vrbs Liguriæ quæ Ptolemæo dicitur Πολεντία. Prudentius ad hunc locum facit, corpora famosis olim ditata rapinis in cumulos congesta iacent, mirabere seris Posteritas sæclis inhumata cadauera latè quæ Pollentinos texerūt hostibus agros.

ⁱ *IISDEM* procubuit. hic versus male aberat in vno manuscr. & omnibus excusis, quem suo loco reposuimus, ex alio vet. codice. Sed hoc ante nos indicauerat Del. vir optimus, idémque eruditissimus.

ᵏ *TENDERE*. Sic habuit vet. codex cum in aliis Temnere ex loco forte Virgilij: Discite iustitiam moniti & non temnere diuos. At vero Tendere hîc plus est quam temnere. Signat enim petere & quasi adgredi, quod voluit Alarichus, vnde supra senex ille dissuasor ad ipsum: Hanc vrbem insano nullus qui marte petiuit lætatus violasse redit: nihil vero sublimius hoc opere in Claudiano facile reperias.

CL. CLAVDIANI

IN TERTIVM CONSVLATVM HONORII AVgusti Præfatio.

PARVOS non aquilis fas est educere fœtus,
Ante fidem Solis, iudiciumque poli:
Nam pater excusso saliit cum germine proles,
Ouáque maternus rupit hiulca tepor:
Protinus implumes conuertit ad æthera natos
Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, & luce magistra
Naturam vires, ingeniúmque probat.
Degener & refugo torsit qui lumine visus,
Vnguibus hunc sæuis ira, paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuítque acie nobiliore diem,
Nutritur, volucrúmque potens, & fulminis hæres,
Gesturus summo tela trisulca Ioui.
Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris,
Audet magna suo mittere Roma Deo.
Iam dominas aures, iam regia tecta meremur,
Et chelys Augusto iudice nostra sonat.

CL. CLAVDIANI PANEGYRIS DE TERTIO CONSVLATV HONORII Augusti.

[A] TERTIA Romulei sumant exordia fasces,
Terque [B] suas ducat bellatrix pompa curules.
Festior annus eat, cinctusque imitata Gabinos,
Diues Hydaspeis augescat purpura gemmis
Succedant [C] armis trabeæ, tentoria lictor
Ambiat, & Latiæ redeant ad signa secures.
Túque ô qui patrium curis æqualibus orbem.
Eoo cum fratre regis, procede secundis
Alitibus, Phœbique nouos ordire meatus;
Spes [D] votúmque poli, quem primo à limine vitæ
Nutrix aula fouet, strictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
Ardua priuatos nescit fortuna penates.
Et regnum cum luce dedit, cognata potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in [E] ostro,
Lustrauítque tuos [F] aquilis victricibus ortus

Miles, & in medijs cunabula præbuit hastis.
Te nascente ferox toto Germania Rheno
Intremuit, mouitque suas formidine syluas
Caucasus, & positis numen confessa pharetris,
Ignauas Meroe traxit de crine sagittas.
Reptasti [G] *per scuta puer, regúmque feroces*
Exuuiæ tibi ludus erant: primusque solebas
Aspera complecti toruum post prælia patrem,
Signa triumphato quoties flexisset ab [H] *Istro*
Arctoa de strage calens, & poscere partem
De spolijs; Scythicos arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, vel iaculum Daci, vel fræna Sueui.
Ille coruscanti clypeo te sæpe volentem
Sustulit arridens, & pectore pressit anhelo,
Intrepidum ferri, galeæ nec triste timentem
Fulgur, & ad summas tendentem brachia cristas,
Tunc [I] *sic lætus ait: Rex ô stellantis Olympi,*
Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
Hyrcanas populatus opes aut cæde superbus
Aßyria: sic ense rubens, sic flamine [K] *crebro*
Turbidus, & grato respersus puluere belli,
Armáque [L] *gauiso referat captiua parenti.*
Mox vbi firmasti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed noua per duros instruxit membra labores,
Et [M] *cruda teneras exercuit indole vires:*
Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis;
Æstiuum tolerare iubar; transnare [N] *sonoras*
Torrentum furias; ascensu vincere montes,

Planiciem cursu [o] *, valles & concaua saltu* [p] *;*
Nec non in clypeo vigiles perducere [q] *noctes,*
In galea [r] *portare niues; nunc spicula cornu*
Tendere, nunc glandes baleari spargere funda:
Quóque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui numerabat [s] *aui, quem littus adustæ*
Horrescit Libyæ, ratibúsque inperuia Thule,
Ille leues Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit; Scotúmque vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus vndas,
Et geminis fulgens vtroque sub axe trophæis,
Tethyos alternæ refluas calcauit arenas.
Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,
Hæc exempla dabat, non ocyus hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artem,
Siue lyræ cantus, medicas seu disceret herbas,
Interea turbata fides, ciuilia rursus
Bella tonant, dubiúmque quatit discordia mundum,
Proh crimen superûm, longi proh dedecus æui,
Barbarus [t] *Hesperias exul possederat vrbes,*
Sceptráque deiecto dederat Romana [v] *clienti.*
Iam princeps molitur iter, gentésque remotas
Colligit Auroræ, tumidus quascumque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes,
Thuriferos saltus Arabes vada Caspia Mœdi,
Armenij Phasin, Parthi liquere Nyphaten.
Quæ tibi tunc Martis rabies? quantúsque sequendi
Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas? campíque cruenta
Tempestate frui? truncísque immergere plantas?

Vt leo,

Ut [x] leo, quem fuluæ matris ſpelunca tenebat,
Uberibus ſolitum paſci, cum creſcere ſenſit
Vngue pedes, & terga iubis, & dentibus ora
Iam negat imbelles epulas, & rupe relicta
Getulo comes ire patri, ſtabuliſque minari
Æſtuat, & cæſi terga abſorbere iuuenci.
Ille vetat, rerúmque tibi commendat habenas,
Et ſacro meritos ornat diademate crines,
Tantáque ſe pietas rudibus oſtentat in annis,
Sic ætas animo ceſſit, quererentur vt omnes
Imperium [y] tibi ſero datum, victoria velox
Auſpicijs effecta tuis, pugnaſtis vterque.
Tu fatis, genitorque [z] manu, te propter & Alpes
Inuadit faciles: cauto nec profuit hoſti
Munitis hæſiſſe locis: ſpes irrita valli
Concidit, & ſcopulis patuerunt clauſtra reuulſis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutáque tela
Vertit in autores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte deo, cui [A] fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat [B] æther
Et [C] coniurati veniunt ad claſſica venti.
Alpinæ rubuere niues, & frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus iuuiſſet flumina ſanguis.
At ferus inuentor ſcelerum traiecerat altum
Non vno mucrone latus, duplexque tepebat
Enſis, & vltrices in ſe conuerterat iras.
Tandem iuſta manus, iam libertate reducta,

Quamuis emeritum peteret natura reuerti
Numen, & auratas astrorum panderet arces,
Nutaretque oneri venturo conscius Atlas,
Distulit Augustus cupido se reddere cœlo,
Dum [b] tibi pacatum præsenti traderet orbem.
Nec mora, Bistonijs alacer consurgis ab oris,
Inter barbaricas ausus transire cohortes,
Impauido vultu linquis Rhodopeia saxa
Orpheis animata modis iuga deseris Oetes
Herculeo damnata rogo: post Pelion intras
Nereis illustre choris [c] te pulcher Enipeus,
Celsáque Dodone stupuit, rursúsque loquutæ
In te Choniæ mouerunt carmina quercus.
Illyrici legitur plaga littoris, arua teruntur
Dalmatiæ, Phrygij numerantur stagna Timaui.
Gaudent Italiæ sublimibus oppida muris
Aduentu sacrata tuo: submissus adorat
Eridanus, blandosque iubet mitescere fluctus.
Et Phaethonteas solitæ deflere ruinas
Roscida frondosæ reuocant electra sorores.
Quanti tum iuuenes? quantæ spreuere pudorem
Spectandi studio matres? puerísque seueri
Certauere senes? quum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per vrbem,
Velarétque pios communis laurea currus.
Quis non Luciferum roseo cum Sole videri
Credidit? aut iunctum Bromio radiare Tonantem?
Feruet cristatis exercitus vndique turmis,
Quisque sua te voce canens: perstringit ahena

Lux oculos, nudique seges Mauortia ferri
Ingeminant splendore diem: pars nobilis arcu,
Pars longe iaculis, pars comminus horrida contis:
Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla leuant, multúsque tumet per nubila [E] *serpens*
Iratus stimulante Noto, viuitque receptis
Flatibus, & vario mentitur sibila [F] *tractu.*
Vt ventum ad [G] *sedes,* [H] *cunctos discedere tectis*
Dux iubet, & generum compellat talibus vltro:
Belli potens Stilicho, cuius mihi robur in armis,
Pace probata fides (quid enim per prælia gessi
Te sine? quem merui te non suadente triumphum?)
Othrysium pariter Getico fœdauimus Hebrum
Sanguine, Sarmaticas pariter prostrauimus alas,
Riphæáque simul fessos porreximus artus
In glacie stantemque rota sulcauimus Istrum.
Ergo age, me quoniam cœlestis regia poscit,
Tu curis succede meis, tu pignora solus
Nostra foue, geminos dextra tu protege fratres.
Per consanguineos thalamos noctémque beatam,
Per [I] *tedas quas ipsa tuo* [K] *regina leuauit*
Coniugio sociaque nurum produxit ab aula,
Indue mente patrem, crescentes dirige fœtus
Vt ducis, vt soceri: iamiam securus ad astra
Te custode ferar, rupta si mole Typhoeus
Vinclis prosiliat, Tityus si membra resoluat,
Si furor Enceladi proiecta mugiat Ætna,
Opposito Stilichone cadent, nec plura loquutus,
Sicut erat liquido signauit tramite nubes,

Ingreditúrque [L] globum lunæ, luménque reliquit
Arcadis, & Veneris clementes peruolat auras:
Hinc Phœbi permensus iter, flammámque nocentem
Gradiui, placidúmque Iouem, stetit arce suprema
Algenti, qua zona riget Saturnia tractu;
Machina laxatur cœli, rutilæque patescunt
Sponte fores, Arctoa parat conuexa Bootes,
Australes reserat portas succinctus Orion,
Inuitántque nouum sidus, pendentque vicissim;
Quas partes velit ille sequi, quibus esse sodalis
Dignetur stellis, aut qua regione moueri.
O decus æthereum, terrarum gloria quondam,
Te tuus Oceanus natali gurgite lassum
Excipit, & notis Hispania proluit vndis.
Fortunate parens, primos quum detegis ortus,
Aspicis Arcadium [M] : quum te procliuior vrges,
Occiduum visus remoratur Honorius ignem,
Et quocumque vagos flectis sub cardine cursus,
Natorum per regna venis, qui mente serena,
Maturóque regunt iunctas moderamine gentes,
Secula qui rursus formant meliore metallo.
Luget auerities Stygijs innexa catenis,
Cûmque suo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes; non corrumpentia sensus
Dona valent: emitur sola virtute potestas.
vnanimi fratres, quorum mare, terráque fatis
Debentur, quodcumque manus euasit auitas,
Quod superest patri; vobis iam Mulciber arma
Præparat, & Sicula Cyclops incude laborat.

Brontes innumeris exasperat ægida signis:
Altum fulminea crispare in casside conum
Festinat Steropes, nectit thoraca Pyracmon,
Ignifluísque gemit Lipare fumosa cauernis.
Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetémque leui percurrere motu,
Nesciat vt spumas, nec proterat vngula culmos.
Iam video Babylona rapi, Parthúmque coactum
Non ficta trepidare fuga: iam Bactra teneri
Legibus, & famulis Gangen pallescere ripis,
Gemmatósque humilem dispergere Persida cultus
Ite per extremum Tanaim, pigrósque Triones;
Ite per ardentem Libyam; superate vapores
Solis, & arcanos Nili deprændite fontes,
Herculeum finem, Bacchi transcurrite metas,
Vestri iuris erit quicquid complectitur axis;
Vobis rubra dabunt preciosas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN CONSVLATVM III. HONORII AVGVSTI.

Præfatio elegantiſſima diligenti cura excutitur à Scal. Seniore, nec dubito quin e muſico Lucani promptuario aliquã effluxerit. Sic enim ille: vtque Iouis volucer calido cum protulit ouo Implumes natos, ſolis conuertit ad ortus: qui potuere pati radios & lumine recto ſuſtinuere diem, cæli ſeruantur in vſus, qui Phœbo ceſſere iacent. Iulianus Imp. ad Libanium ſcribit id aquilam facere vt ſole tanquam deo teſtę pulli diſcernãtur, additque Rheni exemplum qui ſpurios infantes abſorbet tanquam adulterii vindex.

[a] *REFVGO.* At humani oculi luce directa & nimia læduntur, neque ideo viri magni, & muſæo ſuo adfixi ſunt degeneres: & vero Cuiacius tunc diem non niſi obliquum, & quaſi per fidei commiſſum accipiebat; vt ipſe loquebatur.

[b] *TERTIA.* Hæc Panegyris in tertium Honorii Imp. Conſulatum recitata eſt à Claudiano coram ipſo Principe in Palatio Mediolanenſi, anno Domini 396. Collegam vero habuit, ſed priorem, Arcadium.

[c] *TERQVE SVAS.* Ita vet. exemplar optimè ac verè: nõdum enim ad Hon. conuerſus eſt, alij Tuas.

[d] *SVCCEDANT.* Id aliter exprimit Sidonius, nec minus præclarè: poſt palmam palmata venit.

[e] *SPES* votúmque poli. huic loco planè conuenientia legimus in oratione Commodi: nunc me vobis fortiſſimi milites Fortu-

na principem defuncto patre, non quidem electum, sed in Palatio natum, atque educatum dedit, vt qui nec in plebejs vagii cunabulis, simul enim mater me in lucem edidit veste imperiali amictus sum, eodemque momento me sol hic principem atque hominem vidit.

ᵖ *OSTRO.* Herodianus, ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφύρα.

ᵠ *AQVILIS.* Signa Romanorum intelligit. Sidonius: Multos cinxerunt Aquilæ subitúmque per orbem lusit venturas famulatrix turba coronas: sequenti Paneg. Ambitur signis augustior infans.

ʳ *REPTASTI* per scuta. ita v. cod. aliàs Signa. quod verũ non puto Sidonius enim: Reptabat super arma patris, dein Ludus erat puero raptas ex hoste sagittas Festina tractare manu.

ˢ *AB ISTRO.* Multa & præclara sunt Theodosii gesta contra Getas & Transistrianos: qui flumine traiecto Macedoniam inuaserant, sępe tamen periclitatus est, sed enim Gratianus misit ei subsidio Bautonem & Arbogasten Francos viros minimè imbelles, auaritię ignaros.

ᵗ *TVNC SIC.* Hæc omnia ex Homero I. A. Z. sic enim Hector Astyanacta filium amplexatus: Ζεῦ ἄλλοι τε θεοὶ, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι Παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώ περ. At Claudianus audaciorem, minúsque timidum facit Honorium, quàm filiũ Hectoris: nam vt Hessus poeta nobilis vertit: Accepturus erat puerum: fugit ille, sinúmque Nutricis petit & gremio se abscondit in alto: Patris enim faciem galeatam expauit, & æris Fulgentes radios ab equinę vertice cristæ. vide prætereà Val. Flaccum de Peleo ad Chironem vbi optat filio vt, nostram festinet ad hastam.

ᵘ *FLAMINE* crebo. hunc locum non assecutus est Lazius, vir magnus alioquin, & multæ lectionis: videtur enim accipere pro Flameo seu Flammeo, aut vexillo quod græci iuniores, φλάμουλον ac φλάμουρον, nominitant. Labaro vel γαυσία adsimile & quod Gallis Auriflãmeum, quid igitur sibi vult Honorius crebro flamine turbidus? nihil aliud quam suam crispulam cæsariem, quasi ventorum contentione agitari, sequente Paneg. idem poeta se explicat: Ipse labor puluisque decet, cõfusáque motu Cęsaries, at enim Tibullus: Tunc mihi qualis eris lõgos turbata capillos. Virg. dederatque comam diffunde-

re ventis. Val. Fl. multa spirat coma flexilis aura. Est vero qui rubro legat non crebro, nulla ratione: vir tamen insignis id amplecti maluit, hæc enim addit: Vexillo flammeo, quia rubrum erat.

ᵘ *GAVISO.* Nobilissimus Cæsar lib. Poet. hanc sententiam profert: Gauiso plebeium. Gaudenti non est ausus. Læto non explet numerum.

ˣ *ET CRVDA.* Theodosius sanè optimus Campi doctor. Veg. Per quotidiana exercitia armorum doctrina demonstranda est, vt missile destinato ictu, & magnis viribus iaciant: norint tractare scutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere.

• *TRANSNARE.* Ideo campus Martius vicinus Tiberi delectus, in quo iuuentus post exercitium sudorem puluerémque dilueret, ac lassitudinem natandi labore deponeret, auctore Veg.

ᵖ *CVRSV.* Ad Cursum assuefieri milites debent, vt loca opportuna celeriter occupent, ait ille.

ᵃ *SALTV.* Veg. Ad saltum etiam exercendi quo vel fossæ transiliantur.

ᵃ *PERDVCERE.* Ita etiam v. liber, cui verbo inest sua vis, si enim dixisset Producere vt est in altero, minus erat, quamuis Teren. Paulatim hunc producam diem; inter pocula scilicet, sed hîc, quia res seria, Perducere noctes vigiles idem est quod peruigilare, vide Luc. lib. 9.

ᶠ *PORTARE.* Hoc mutare non sustinui, quamuis in v. cod. ora Potare (quod rectum puto) inueniam. Ad quid enim portabit niues in galea, capite nudato: nisi forte galericulus præsto sit, tum vero glaciem aut niuem duratam forte licebit in galea seruare, si ex regione frigida in tepidam parua mora desiliatur, vt nix illa resolui queat, aut tanta sint tractus minime irrigui & glaciei obnoxij spacia vt illa emetiri vno die aut pluribus non liceat. Sanè Albinouanus notat in more positum vt milites è galea biberent: Bacche coloratos postquã deuicimus Indos Potasti galea. Cæterum pocra hic docet imperatori non decere mollitiem. Plus est enim facere quod Hannibal apud Silium: Femineum putat inuenta iacuisse sub vmbra,

exercetque

Exercétque sitim & spectato fonte recedit. at Cato Lucani: Stat. dum lixa bibat. Martialis: non potare niuem sed aquam potare rigentem. De niue commenta est ingeniosa sitis, apud Gellium aqua ex diluta niue bibitur.

t *AVI*. Theodosii comitis de quo supra in Gildonem. Symmachus Ep. 22. lib. 10. ad Theodosium scribens: Familiæ vestræ & stirpis auctorem Africanum quondam & Britannicum ducẽ Statius equestribus ordo amplissimus consecrauit: qui felicissimum sidus & imperio salutare progenuit.

v *BARBARVS*. Arbogasten intellige natione Francũ, quẽ in honore olim habuit Grat. Imperator. Is postea Valentiniano Iun. addictus fuit, sed ita vt imperium militare sibi adsumeret, fretus beneuolentia exercitus: erat enim strenuus ac liberalis, sed abusus est facilitate Principis adeo, vt res ad restim venisse credatur. Sed ei inustam femineæ mortis infamiam potius reor, nam Arbogasten à Valentiniano acriter habitum facile suspicor eius animi fuisse, vt eum fascia sua sibi suffocaret. Scribunt Historici cùm aduersus Theodosium copias Mediolano educeret clara voce minatum, si Eugenius victor è pugna reuerteret Basilicam Ecclesiæ statim euersum iri, in vsum stabuli, & clericos fera militiæ munera obituros. Cæterum idem (vt fere fit) gentilibus odiis Francos prosecutus est, eósque attriuit non solum, sed etiam suis sedibus expulit, quod opinor in causa fuit cur Insulam quam vocant Franciæ insederint. Infra dicitur inuentor scelerum.

v *DEIECTO* clienti. Eugenio scilicet, qui tum versabatur in aula, honore τῦ Αντιγραφέως. Idem Rhetorices professione olim se probauerat: ac vitæ claritudine, velut alter Seneca, bono Reip. & Imperij natus videbatur, quod impulit fortè Arbogasten, vt ei purpura & diademate cederet: nisi si propter ancipitem rei euentum aleam tantam subire expauerit. Sic Alarichus purpuram quam vrbe capta sumere potuit, iniecit humeris Attali ita vt numi tum cusi fuerint hoc titulo Fl. Priscus Attalus P. F. Aug. nescio quid simile Carolus Martellus in Francia factitauit. de Eugenio supra dictum est: vide & Suidam in voce Ουωρία, ad eum forte pertinet vetus Inscriptio.

x *VT LEO*. tota illa comparatio non aliunde quam ex Papinio videtur petita, consule igitur lib. 9. Thebaidos.

y *IMPERIVM*. Inde colligitur Honorium iam Augusti

nomine insignitum fuisse, non tamen reapse dici potuit imperator, sed patri optimo & satis indulgenti ita placitum est, vt se viuo neque diu victuro, id enim fortè præsagiebat, Filij adhuc iuuenculi diadema præsumerent, non etiam habenas imperij. Sed poetæ visum est ita loqui, quia iam obijt Theodosius eo talia scribente. Plures vero solem Orientem quam Occidentem adorant aiebat Aug.

a *GENITORQVE* manu. ergo stricto ense in prælium iuit Theodosius, neque inglorius stetit post principia. Sane opus fuit vt animo præsenti martem belli sustineret, nam Arbogastes leonis instar multa hominum millia sanguine suo oppleuit ita vt ancipiti rerum facie Imperatoris agmina iam labascerent. Sed enim cæleste auxilium adfuit, vbi vis defuit humana. Itaque, Cedreno auctore non adeò futili, Theodosius pro galea epomidem, pro hasta virgam accipit, ac fide munitus suos iam palantes sistere satagit, quæ sane pulcherrimum numisma post illam victoriam incusum confirmat, imò pleniùs explicat, in hoc enim species epomidis apparet quæ à cucullo sane differt gerit imperator altera manu bacillum qui in crucem erigitur, altera membranam inuolutam, quales in Notitia: quæquidem signare videtur Euangelium in ea descriptum versa facie duo sancti apparent, quid simile in manibus habentes, hic verò numus expressus est in Historia C. Baronij scriptorum in suo genere principis.

b *CVI FVNDIT*. Hi vero versus à Diuo Augustino non sine præfatione citati, hoc hemistichium & sequens non præferunt neque vetus editio Coloniensis vt retulit L. Viues Ne tamen ideo credas abundare, sed consulto omissa quia virū talem forte non decuit Æoli mentionem facere, quod sanè laudo ac suspicio. Memini vero cum inter sup. curiæ aduocatos audirem solennis causæ disceptationem Principi senatus more maiorum delatam; ipsum pro re nata, sed mira grauitate voculam in versu lyrico mutauisse hoc modo: venator sociæ coniugis immemor, si enim teneram dixisset ipsa euiluisset, vt ita dicam purpura.

c *ÆTHER*. Vide Pan. Nazarij ad Constantinum, sed optimè Florus historicorum flosculus de clade Cannensi: dux terra, cælum, dies, tota denique rerum natura consensit. Eurus ab oriente quasi ad constitutum: Hannibal quasi cælum tenens vēto, puluere, sole pugnabat. Hæc verò nostra B. Augustinus se a militibus qui aderant audiuisse ait.

ᵖ *FRIGIDVS* amnis. nomen proprium Græcis φείγιδος, est autem fluuius Antonino inter Aquileiam & Lõgaticum, neque ausim adfirmare eundem esse de quo Tibullus; atque aretino frigidus amnis agro. quia diuersa ibidem lectio.

ᵗ *DVM TIBI TRADERET.* Traditio est, ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα, ait Th. Imo vt vult Cuiacius Traditio est datio possessionis. Ergo Honorius licet pridem Augusti nomen adeptus remipsam non habuit, fuit in possessione rei, sed non possedit, non omninò, ne dicam omnino non, fuit imperator, nisi sola nominis vmbra, quamuis enim exstent in C. Th. plusquã viginti Const. hoc modo: Imppp. Theod. Arcad. & Honor. A A A. Neuter eorum tamen viuente patre ius habuit imperandi, aut leges condendi, quinimo erant id ætatis vt iis tutorem Theodosius in extremis positus dare voluerit. Diocl. & Max. eadem mens fuit quæ Theodosio, sed iis res erat cum adultis & extraneis qui nullo scrupulo impediti, vi armata contra omnem honestatis rationem, licet bono Reip. desæuierunt.

ʳ *SERPENS.* Signa militaria innuit, quæ tunc fuere triplicia, nempe Labarum. Aquilæ. Dracones, qui & Serpentes, de iis supra non nihil attigi, & plura posthac suo loco dicenda erunt. extat nũmus Constantini vbi hasta seu manubrium labari obterit draconem: qui opinor tyrannum designat.

ˢ *SIBILA.* Serpentum seu draconum propria. Nonnus: Ἆσθμα συῶν, μύχημα βοῶν, σύριγμα δρακόντων.

ᵘ *SEDES.* Nihil aliud intelligi puto quam Palatium seu domum cæsaream vbi imperator considebat. Virg. Sceptra Palatini, sedémque petiuit Euandri, hoc vero contigit Mediolani.

ˣ *CVNCTOS.* Secutus sum vet. codicis scripturam quæ & in omnibus excusis. at Del. profert aliam, nempe: Tuto discedere castris, adducitque locum Homeri vbi Agamemnon dimittit populum ad naues. Ego vero facile crediderim primæ notæ, primique gradus proceres Theodosio tum adfuisse quos blanda inclinatione à se dimiserit: etsi enim iubet discedere: illud tamen non est semper, δεσποτικὸν, sed quasi precarium; nam & κελεύω Græcis φιλικῶς vsurpari notauit manu sua Cuiacius.

ˣ *TEDAS.* Plutarchus refert quinque tantum faces in nuptiis præferri, causa quod mulieres ad quinque pariunt. Iulianus enim refert Dig. vno partu quinque nasci posse ex Arist. sententia.

[k] *REGINA.* Flaccilla Augusta vxor Theod. quam Græculi penè omnes Placillam vocitant, ne vero dicas scripturæ vitiū non auctorum, inuenies apud Suidam sub littera Π. eam vero quanuis amaret plurimum Theodosius non tamen, Αὐγούσταν ἐποίησε nisi edito in lucem Archadio,

[l] *INGREDITUR.* Dicas tibi conspicuum Theodosium aëra findere ac cœli penettare circulos, extat numus vbi altera facie infans sculptus est, septem stellis id est planetis circundatus sphæræ insidens cum hac inscr. Diuus Cæsar Imp. Domitiani F. quæ indicant paruuli istius Apotheosin, de quo Martialis: Qui siccis lasciuit aquis & ab æthere ludit, Suspicor has pueri Cæsaris esse niues.

[m] *ARCHADIUM.* De hoc superius dictum est, dicam tamen è Cedreno quæ inter cætera memoratu digna reliquerit. Ἀρχάδιος ἐν θράκῃ οἰκοδομήσας Ἀρχαδιόπολιν ἐπονόμασε, καὶ ἐν τῷ ξηρολόφῳ ἀνήγειρε κίονα.

[n] *BACCHI* metas. dicuntur αἱ στῆλαι τοῦ Διονύσου, vt Protei columnæ Virg. vide situm orbis Dion, de iis Q. Curtius: Transierant liberi patris terminos: verùm hæc è Del. commodius petentur, aliàs Bactri, sed malè; quia supra dixit: Bactra teneri.

DE QVARTO CONSVLATV HONORII AVG.

PANEGYRIS EIVSDEM

A AVSPICIIS iterum sese regalibus [B] annus
Induit, & nota fruitur iactantior aula,
Limina nec passi circum priuata [C] morari
Exultant reduces Augusto consule fasces.
Cerbis ut [D] armorum proceres, legúmque potentes
Patritios sumunt habitus, & more Gabino
Discolor incedit legio: positisque parumper
Bellorum signis, sequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilæ, [E] ridetque togatus
Miles [F], & in mediis effulget curia castris
Ipsa Palatino circumuallata senatu.
Iam trabeam Bellona gerit, parmámque remouit,
Et galeam, sacras humeris vectura curules,
Nec te laurigeras pudeat Gradiue secures
Pacata gestare manu, Latiaque micantem
Loricam [G] mutare toga, dum ferreus hæret
Currus, & Eridani ludunt per prata iugales.

Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti
Vlpia progenies, & quæ diademata mundo
Sparsit Ibera domus, nec tantam vilior vnda
Promeruit seriem gentis: cunabula fouit
Oceanus: [H] *terræ dominos, pelagiq; futuros,*
Immenso decuit rerum de principe nasci.
Hinc processit [I] *auus, cui post Arctoa frementi*
Classica Massylas adnexuit Africa lauros:
Jlle Caledonijs posuit qui castra pruinis,
Qui medios Libyæ sub casside pertulit æstus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vastator, & Austri.
Quid rigor æternus? cœli quid frigora prosunt?
Jgnotumq; fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule,
Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.
Quis calor obsistit forti? per vasta cucurrit
Aethiopum, cinxitq; nouis Atlanta maniplis,
Virgineum Tritona bibit, sparsósque venenis
Gorgoneos vidit thalamos, & vile virentes
Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.
Arx incensa Iubæ, rabies [M] *Maurusia ferro*
Cessit, & antiqui penetralia diruta Bocchi.
Sed laudes genitor longè transgressus auitas,
Subdidit Oceanum sceptris, & margine cœli
Clausit opes, quantum distant à Tigride Gades,
Jnter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.
Hæc tamen innumeris per se quæsita trophæis,
Non generis dono, non [N] *ambitione potitus.*
Digna [O] *legi virtus, vltro se purpura supplex*

Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.
Nam quum barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, & mixto turbine gentes
Iam deserta suas in nos transfunderet Arctos,
Danubij totæ vomerent quum prælia ripæ,
Quum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris,
Flauáque Bistonios operirent agmina campos.
Ominibus afflictis, & vel labentibus ictu,
Vel propè casuris, vnus tot funera contra
Restitit, extinxítque faces, agrósque colonis
Reddidit, & lethi rapuit de faucibus vrbes.
Nulla relicta foret Romani nominis vmbra,
Ni pater ille tuus iamiam ruitura subisset
Pondera, turbatámque ratem, certáque leuasset
Naufragium commune manu. Velut ordine rupto
Quum procul insanæ traherent Phaethonta quadrigæ,
Sæuirétque dies, terrámque & stagna propinqui
Haurirent radij: solito cum murmure toruus
Sol occurrit equis; qui postquam rursus heriles
Agnouere sonos, redijt meliore magistro
Machina, concentúsque poli, rursúsque recepit
Imperium, flammæque modum, sic traditur illi
Seruaturque Oriens, at non pars altera rerum
Tradita, bis possessa manu, bis parta periclis.
Per varium gemini scelus erupere tyranni
Tractibus occiduis, hunc sæua [p] Britannia fudit;
Hunc sibi Germanus famulum [q] delegerat exul.
Ausus vterque nefas, domini respersus [r] vterque
Insontis iugulo, nouitas audere priori
Suadebat, tantumque dabant exempla sequentem.

Hic noua moliri præceps, hic quærere tuta
Prouidus; hic fusis, collectis viribus ille:
Hic vagus excurrens, hic inter claustra reductus:
Dissimiles, sed morte pares: euadere neutri
Dedecus, aut mixtis licuit procumbere telis.
Amissa specie, raptisque insignibus ambo
In vultus rediere suos, manibúsque reuinctis
Oblati gladijs submittunt colla paratis,
Et vitam, veniámque rogant, proh damna pudoris,
Qui modo tam densas nutu mouere cohortes,
In quos iam dubius sese librauerat orbis,
Non hostes victore cadunt, sed iudice sontes:
Damnat voce reos, petijt qui Marte tyrannos.
Amborum periere duces: hic sponte carina
Decidit in fluctus illum suus abstulit ensis:
Hunc Alpes, hunc Pontus habet: solatia cæsis
Fratribus hæc vltor tribuit: necis autor vterque
Labitur, augustas par victima mitigat vmbras.
Has dedit inferias tumulis, iuuenumque duorum
Purpureos merito placauit sanguine manes.
Illi iustitiam confirmauere triumpho,
Præsentes docuere deos: hinc secula discant,
» *Indomitum nihil esse pio, tutumue nocenti.*
Nuntius ipse sui longas incognitus egit
Præuento rumore vias; inopinus vtrumque
Perculit, & clausos montes vt plana reliquit.
Extruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluuij, vastas opponite syluas,
Garganum Alpinis, Apenninúmque niualem,
Permixtis sociate iugis, & rupibus Hæmum

Addite

Addite Caucaseis, inuoluite Pelion Ossæ,
Non dabitis murum sceleri; qui vindicat, ibit;
Omnia subsident meliori peruia causæ.
Nec tamen oblitus ciuem, cedentibus atrox
Partibus infremuit: non insultare iacenti
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans
Pœnæ parcus erat, paci non intulit iram,
Post acies odijs idem, qui terminus armis.
Profuit hoc vincente capi, multósque subactos
Aspera laturæ commendauere catenæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum
Pronus, & in melius gaudens conuertere fata.
Hinc amor, hinc validum deuoto milite robur,
Hinc natis mansura fides, hoc nobilis ortu
Nasceris, æquæua cum maiestate creatus,
Nulláque priuatæ passus contagia sortis:
Omnibus acceptis vltro te regia solum
Protulit, & patrio felix adolescis in ostro,
Membráque vestitu nunquam temerata profano
In sacros cecidere sinus. Hispania patrem
Auriferis eduxit aquis: te gaudet alumno
Bosphorus Hesperio de limite surgit origo.
Sed nutrix Aurora tibi, pro pignore tanto
Certatur, geminus ciuem te vendicat axis.
Herculis & Bromij sustentat gloria Thebas,
Hæsit Apollineo Delos Latonia partu,
Cretáque se iactat tenero reptata Tonanti.
Sed melior Delo, Dictæis clarior oris,
Quæ dedit hoc numen regio: non littora nostro
Sufficerent angusta deo. nec inhospita Cinthi

Saxa tuos artus duro laſere cubili.
Accliuis genitrix auro, circunflua [v] *gemmis*
In Tyrios enixa toros: vlulata [x] *verendis*
Aula puerperijs, quæ tunc documenta futuri?
Quæ voces auium? quanti per inane volatus?
Quis vatum diſcurſus erat? tibi corniger Hammon,
Et dudum taciti rupere ſilentia Delphi.
Te Perſæ cecinere Magi, te ſenſit Hetruſcus
Augur, & inſpectis Babylonius horruit aſtris.
Chaldæi ſtupuere ſenes, Cumanaq; rurſus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.
Nec te progenitum Cybeleius ære ſonoro
Luſtrauit Coribas: exercitus vndiq; fulgens
Aſtitit; ambitur ſignis Auguſtior infans:
Senſit adorantes galeas, redditq; ferocem
Vagitum lituis: vitam tibi contulit idem
Imperiumq; dies: inter cunabula conſul
Proueheris, ſignans poſito modò nomine faſtos:
Donaturque tibi, qui te produxerat, annus.
Ipſa Quirinali paruum te cinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare curules.
Vberibus ſanctis, immortalique deorum
Creſcis adoratus gremio: tibi ſæpe Diana
Mænalios arcus, venatricéſque pharetras
Suſpendit puerile decus: tu ſæpe Mineruæ
Luſiſti clypeo, fuluamque impune pererrans
Ægida, tractaſti blandos interritus angues.
Sæpe tuas etiam iam tum gaudente marito
Velauit regina comas; feſtináque voti
Præmſuptum [y] *diadema dedit: tum leuibus vlnis*

Sustulit, & magno porrexit ad oscula patri.
Nec dilatus honos, mutatus principe Cæsar,
Protinus æquaris fratri. nec certius vnquam
Hortati superi, nullis præsentior æther
Affuit ominibus: tenebris inuoluerat atris
Lumen hyems, densósque Notus collegerat imbres:
Sed mox cùm solita miles te voce, leuasset
Nubila dissoluit Phœbus, paritérque dabantur
Sceptra tibi, mundóque dies caligine liber;
Bosphorus aduersam patitur Calcedona cerni.
Nec tantùm vicina nitent, sed tota repulsis
Nubibus exuitur Thrace; Pangæa renident,
Insuetósque palus radios Mæotica vibrat,
Nec Boreas nimbos, aut sol ardentior egit.
Imperij [B] lux illa fuit: præsagus obibat
Cuncta nitor, risitque tuo natura sereno.
Visa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die; dubitanda nihil, nec crine retuso
Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes:
Emicuítque plagis alieni temporis hospes
Ignis, & agnosci potuit cum luna lateret:
Siue parens Augusta fuit, seu fortè reluxit
Diuus auus, seu te claris properantibus astris
Cernere sol patiens, cœlum commune remisit.
Apparet quid signa ferant: ventura potestas
Claruit Ascanio, subita cum luce comarum
Innocuus [c] flagraret apex, Phrygióque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor:
At tua cœlestes illustrant omina flammæ.
Talis ab Idæis primæuus Iuppiter antris

Possessi stetit arce poli, famulósque recepit
Natura tradente Deos: lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Motura conuexa comæ: tum scindere nubes
Discebat, fulménque rudi torquere lacerto.
Lætior augurio genitor, natísque superbus
Iam paribus, duplici fultus consorte redibat,
Splendebátque pio complexus pignora curru.
Haud aliter summo gemini cùm patre Lacones
Progenies Ledæa sedent: in vtroque relucet
Frater, vtroque soror, similis chlamys effluit auro;
Stellati pariter crines: iuuat ipse Tonantem
Error, & ambiguæ placet ignorantia matri:
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.
Vt domus excepit reduces, ibi talia tecum
Pro rerum stabili fertur ditione locutus:
Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset
Chare puer terrísque procul venerandus Eois
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras,
Sufficeret sublimē genus, luxuque fluentem
Deside nobilitas posset te sola tueri.
Altera romanæ longè rectoribus aulæ
» *Conditio; virtute decet, non sanguine niti;*
» *Maior & vtilior facto coniuncta potenti.*
Vile latens virtus: quid enim submersa tenebris
» *Proderit? obscuro veluti sine remige puppis,*
» *Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.*
» *Hanc tamen haud quisquam, qui non agnouerit ante*
» *Semet, & incertos animi placauerit æstus,*
» *Inueniet: longis illuc ambagibus itur.*

Disce, [E] orbis quod quisque sibi cum conderet artus
Nostros, æthereis miscens terrena Prometheus,
Synceram patri mentem furatus Olympo,
Continuit claustris, indignantémque reuinxit.
Et cùm non aliter possent mortalia fingi,
Adiunxit [F] geminas. Illæ cum corpore lapsæ
Intereunt, hæc sola manet, bustóque superstes
Euolat: hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, prospecturamque labori.
Illas inferius collo, præceptáque summæ
Passuras dominæ, digna statione locauit
Quippe opifex veritus confundere sacra prophanis
Distribuit partes animæ, sedésque remouit,
Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit, imbutam flammis, auidàmque nocendi,
Præcipitémque sui rabie succensa tumescit;
Contrahitur tepefacta metu: cúmque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Inuenit pulmonis [G] opem, madidúmque fluenti
Præbuit, vt tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At sibi cuncta petens, nil collatura cupido
In iecur & tractus imos compulsa recessit,
Quæ velut immanes reserat dum bellua rictus,
Expleri pascique nequit, nunc verbere curas
Torquet auaritiæ stimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœsta dolet satiatáque rursus
Exoritur, cæsáque redit pollentius [H] Hydra.
Hos igitur potuit si quis sedare tumultus,
Inconcussa dabit puræ sacraria menti.
Tu licet extremos latè dominere per Indos,

» *Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,*
» *Si metuis, si praua cupis si duceris [I] ira,*
» *Seruitij patiere iugum; tolerabis iniquas*
» *Interius leges: tunc omnia iure tenebis,*
» *Cùm poteris Rex esse tui: proclinior vsus*
» *In peiora datur, suadetque licentia luxum,*
» *Illecebrísque effræna fauet: tunc viuere castè*
» *Asperius, cùm prompta Venus: tum durius iræ*
» *Consulimus, cùm pœna patet, sed comprime motus:*
» *Nec tibi quid [L] liceat: sed quid fecisse decebit*
» *Occurrat, mentémque domet respectus honesti.*
» *Hoc te præterea crebro sermone monebo,*
» *Vt te totius medio telluris in [M] orbe*
» *Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse*
» *Facta palàm, nec posse dari regalibus vsquam*
» *Secretum vitijs, nam lux altissima fati*
» *Occultum sint esse nihil latebrásque per omnes*
» *Intrat, & obstrusos explorat fama recessus.*
» *Sis [N] pius in primis: nam cùm vincamur in omni*
» *Munere, sola Deos æquat clementia nobis,*
» *Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,*
» *Rumorúmue auidus: qui talia curat, inanes*
» *Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.*
» *Non sic excubiæ, nec circunstantia [O] pila,*
» *Quàm tutatur amor; non extorquebis amari.*
» *Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.*
» *Nonne vides operum quí se pulcherrimus ipse*
» *Mundus amore liget? nec vi connexa per æuum*
» *Conspirent elementa sibi quê limite Phœbus*
» *Contentus medio, contentus littore pontus?*

Et qui perpetuo terras ambítque vehitque
Nec premat incumbens oneri, nec cesserit aer.
» *Qui terret, plus ipse timet, sors ista tyrannis*
» *Conuenit, inuideant claris, fortesque trucident,*
» *Muniti gladijs viuant, septique venenis*
» *Ancipites habeant arces, trepidique minentur.*
» *Tu ciuem* [P] *patremque geras, tu consule cunctis,*
» *Nec tibi: nec tua te moueant, sed publica vota.*
» *In commune iube si quid, censésque tenendum,*
» *Primus iussa* [Q] *subi: tunc obseruantior æqui*
» *Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipsum*
» *Autorem parere sibi componitur orbis*
» *Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus*
» *Humanos edicta valent, quàm vita regentis*
» *Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*
» *His tamen effectis, nec fastidire minores.*
» *Neu pete præscriptos homini transcendere fines.*
» *Inquinat egregios adiuncta superbia* [R] *mores.*
Non tibi tradidimus dociles seruire Sabæos,
Armeniæ dominum nec te præfecimus oræ,
Nec damus Assyriam, tenuit quam fœmina, gentem:
Romani qui cuncta diu rexere, regendi:
Qui nec Tarquinij fastus, nec iura tulere
Cæsaris: annales veterum delicta loquuntur.
Hærebunt maculæ. Quis non per secula damnat
Cæsareæ portenta domus? quem dira Neronis
Funera? quem rupes [S] *Caprearum tetra latebit*
Incesto possessa seni? victura feretur
Gloria Traiani, non tam quòd Tigride victo,
Nostra triumphati fuerat prouincia Parthi,

Alta quòd inuectus stratis Capitolia Daci,
Quàm patriæ quòd mitis erat. Nec desine tales
Nate sequi; si bella tonant, prius agmina duris
» *Exerce studijs. & sæuo præstrue Marti.*
Non brumæ requies, non hybernacula segnes
Eneruent torpore manus: ponenda salubri
Castra loco, præbenda vigil custodia vallo.
Disce vbi densari cuneos, vbi cornua [r] *tendi*
Æquius, aut iterum flecti: quæ montibus aptæ
Quæ campis acies, fraudi quæ accommoda vallis,
Quæ via difficilis: fidit si mœnibus hostis,
Tum tibi murali libretur machina pulsu,
Saxa rotet præceps aries, protectáque portas
Testudo feriat: ruat emersura iuuentus
Effossi per operta soli, si longa moretur
Obsidio, tum vota caue secura remittas,
» *Inclusúmue putes: multis damnosa fuere,*
» *Gaudia; dispersi pereunt, somnoque soluti*
» *Sæpius* [v] *incautæ nocuit victoria turbæ.*
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Delicijs neue imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat: neu flantibus Austris,
Neu pluuijs cedas neu defensura calorem
Aurea summoueant rapidos vmbracula soles:
Inuentis vtare cibis: solabere partes
Æquali sudore tuas, si collis iniquus,
Primus [x] *ini: syluam si cædere prouocat vsus,*
Ne pudeat sumpta quercum strauisse bipenni.
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes: fluuios tu protere curru

Horrentes

Horrentes glacie; liquidos tu ſcinde natatu
Nunc eques in medias equitum te conſere turmas,
Nunc [y] pedes aſſiſtas pediti: tum pomptius ibunt
Te ſocio, tum conſpicuus gratúſque feretur
Sub te teſte labor, dicturum plura parentem
Voce ſubit, Equidem (faueant modò numina cœptis)
Hæc effecta dabo, nec me fratrique tibíque
Diſſimilem, populi commiſſáque regna videbunt.
Sed cur non potius verbis quæ diſſeris vſu
Experior? gelidas certè nunc tendis in Alpes,
Duc tecum comitem, figant ſine noſtra tyrannum
Spicula, palleſcat noſtro ſine barbarus arcu.
Italiámne feram furijs prædonis acerbi
Subiectam? patiar Romam ſeruire clienti?
Vſque adeone puer? nec me polluta poteſtas
Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?
Per ſtrages equitare libet: da protinus arma.
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cùm Pergama ſolus
Verteret, & patri non degeneraret Achilli.
Denique ſi princeps caſtris hærere nequibo,
Vel miles veniam Delibat dulcia nati
Oſcula, miratúſque refert: Laudanda petiſti,
Sed feſtinus amor: veniet robuſtior ætas,
Ne propera, necdum decimas [z] emenſus ariſtas
Aggrederis metuenda viris: veſtigia magnæ
Indolis agnoſco. Fertur Pellæus Eoum
Qui domuit Porum, cum proſpera ſæpe Philippi
Audiret lætos inter fleuiſſe ſodales,
Nil ſibi vincendum patris virtute relinqui.

Hos video motus, fas sit promittere patri,
Tantus eris: nostro nec debes regna fauori,
Quæ tibi iam natura dedit. Sic mollibus olim
Stridula ducturum pratis examina Regem
Nascentem venerantur apes, & publica mellis
Iura petunt, traduntque fauos, sic pascua paruus
Vendicat, & necdum firmatis cornibus audax
Iam regit armentum vitulus; sed prælia differ
In iuuenem; patiensque meum cum fratre tuere
Me bellante locum, vos impacatus Araxes,
Vos celer Euphrates timeat, sit Nilus vbique
Vester, & emisso quicquid sol imbuit ortu.
Si pateant Alpes, habeat si causa secundos
Iustior euentus, aderis partesque receptas
Suscipies; animosa tuas vt [A] *Gallia leges*
Audiat, & nostros æquus moderere Iberos.
Tunc ego securus fati, lætusque laborum
Discedam, vobis vtrumque regentibus axem.
Interea Musis animus, dum mollior instet,
Et quæ mox imitere legas: nec desinat vnquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue duces, assuesce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in æuum.
Libertas quæsita placet, mirabere [B] *Brutum.*
Perfidiam damnas, Metij satiabere pœnis.
Triste [C] *rigor nimius Torquati despue mores,*
Mors impensa bonum, Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto

Oppositus Cocle Muci te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc nullos meritis obsistere casus:
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam
Regule: successus superant aduersa Catonis.
Discitur hinc quantum paupertas sobria possit.
Pauper erat Curius, Reges cùm vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm sperneret aurum.
Sordida Serranus flexit dictator aratra:
Lustratæ lictore casæ, fascésque salignis
Postibus affixi, collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.
Hæc genitor præcepta dabat, velut ille carinæ
Longæuus rector, varijs quem sæpe procellis
Explorauit hyems, ponto iam fessus & annis.
Æquoreas al[illegible]i nato commendat habenas:
Et casus, artesque docet; quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus possint moderamine falli,
Quæ nota nimborum, quę fraus infida sereni,
Quid sol occiduus prodat, quo saucia vento
Decolor iratos attollat Cynthia vultus.
Aspice nunc quacumque micas, seu circulus Austri
Magne parens, gelidi seu te meruere Triones,
Aspice, completur votum, iam natus adæquat
Te meritis, & quod magis est optabile, vincit,
Subnixus Stilichone tuo, quem fratribus ipse
Discedens clypeum, defensorémque D dedisti.
Pro nobis nihil ille pati, nullúmque recusat

Discrimen tentare sui, non dura viarum,
Non incerta maris; Libyæ squalentis arenas
Audebit superare pedes, madidáque cadente
Pleiade, Getulas intrabit Syrtibus vndas.
Hunc tamen inprimis populos lenire feroces,
Et Rhenum pacare iubes: volat ille citatis
Vectus equis, nulláque latus stipante caterua,
Aspera nubiferas quà Rhetia porrigit Alpes
Pergit, & hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit: totum properare per amnem
Attonitos Reges humili ceruice videres.
Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem, pauidóque orantes murmure Franci
Procubuere solo: iuratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alamannia [E] *nomen.*
Bastarne venere truces, venit accola syluæ
Bructerus Hercyniæ, latísque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardéque rogatus
Annuit, & magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos,
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.
Quis victum meminit sola formidine Rhenum;
Quod longis alij bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stilichonis iter; post otia Galli
Limitis, hortaris Graias fulcire ruinas;
Ionium [F] *tegitur velis, ventíque laborant*
Tot curuare sinus, seruatuꝛásque Corinthum
Prosequitur facili Neptunus gurgite classes.

Et puer Isthmiaci iam pridem littoris exul
Secura repetit portus cum matre Palæmon.
Castra cruore natant metitur pellita iuuentus,
Pars morbo, pars ense perit, non lustra [G] Lycæi,
Non Erymanthææ iam copia sufficit vmbræ
Innumeris exusta rogis, nudatáque ferro:
Sic flagrasse suas lætantur Mænala syluas.
Excutiat cineres Ephyræ, Spartanus, & Arcas
Tutior, exangues pedibus proculcet aceruos,
Fessáque pensatis respiret Græcia pœnis,
Gens qua non Scythicos diffusior vlla Triones
Incoluit: cui paruus Athos, angustáque Thrace
Cúm transiret erat, per te viré sque tuorum
Fracta ducum, lugétque sibi iam rara superstes.
Et quorum turbæ spatium vix præbuit orbis,
Vno colle latent: sitiens inclusáque vallo
Ereptas quæsiuit aquas, quas hostibus antè
Contiguas, alio Stilicho deflexerat arcu,
Mirantémque nouas ignota per auia valles
Iusserat auerso fluuium migrare meatu.
Obuia quid mirum vinci, quum barbarus vltro
Iam cupiat seruire tibi? tua Sarmata discors
Sacramenta petit: proiecta fraude Gelonus
Militat: in Latios ritus transistis Alani:
Vt fortes in Marte viros, animísque paratos,
Sic iustos in pace legis, longúmque tueris
Electos, crebris nec succedentibus vrges
Iudicibus notis regimur; fruimúrque quietis,
Militiæque bonis, ceu bellatore Quirino

Ceu placido moderante Numa, non imminet ensis,
Nullæ nobilium cædes, non crimina vulgo
Texuntur, patria mœstus non truditur exul,
Impia continui cessant augmenta tributi.
Non infelices tabulæ non hasta refixas
Vendit opes, auida [H] sector non voce citatur,
Nec tua priuatis crescunt æraria damnis.
Munificus laudis, sed non es prodigus auri.
Perdurat non empta fides nec pectora merces
Alligat, ipsa suo pro pignore castra laborant.
Te miles nutritor amat. Quæ denique Romæ
Cura tibi? quàm fixa manet reuerentia patrum?
Firmatur [I] senium iuris, priscámque resumunt
Caniciem leges, [K] emendantúrque vetustæ,
Accedúntque nouæ, talem sensere Solonem
Res Pandioniæ: sic armipotens Lacedæmon
Despexit muros, rigido munita Lycurgo.
Quæ sub te vel causa grauis, vel iudicis error
Non legitur dubijs quis litibus addere finem
Iustior, & mersum latebris educere verum.
Quæ pietas? quantúsque rigor [L], tranquilláque magni
Vis animi? nullóque leuis terrore moueri?
Nec noua mirari facilis? quæ docta facultas
Ingenij linguæque modus? responsa verentur
Legati, grauibúsque latet sub moribus ætas.
Quantus in ore pater radiat, quàm torua voluptas
Frontis, & augusti maiestas grata pudoris?
Iam patrias imples galeas, iam cornus auita
Tentatur, vibranda tibi; promittitur ingens

Dextra rudimentis, Romanáque vota moratur.
Quis decor, incedis quoties clypeatus, & auro
Squameus & rutilus cristis & casside maior?
Sic quum Threicia primum sudaret in hasta,
Flumina lauerunt puerum Rhodopeia Martem,
Quæ vires iaculis? vel quum Gortynia tendis
Spicula, quàm felix arcus, certique petitor
Vulneris, & iussum mentiri nescius ictum?
Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas
Armenius refugo quæ sit fiducia Partho.
Sic Amphioniæ pulcher sudore palestræ
Alcides pharetras, Dircæáque tela solebat
Prætentare feris, olim domitura gigantes,
Et pacem latura polo, semperque cruentus
Ibat, & Alomenæ prædam referebat ouanti.
Cæruleus tali prostratus Apolline Python,
Implicuit fractis moritura volumina syluis:
Quum vectaris equo, simulacraque Martia ludis,
Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum
Acrior? aut subitos melior flexisse recursus?
Non te Massagetæ, non gens exercita campo
Thessala, non ipsi poterunt æquare bimembres.
Vix comites alæ, vix te suspensa sequuntur
Agmina, feruentésque tument post terga Dracones.
Vtque tuis primum sonipes calcaribus arsit,
Ignescunt patulæ nares, non sentit arenas
Vngula, discussæque iubæ sparguntur in armos,
Turbantur phaleræ, spumosis morsibus aurum
Fumat, anhelantes exudant sanguine gemmæ.

Ipse labor, puluisque decet confusaque motu
Cæsaries? vestis radiato murice solem
Combibit, ingesto crispatur purpura vento
Si dominus legeretur equis, tua posceret vltro
Verbera Nereidum stabulis nutritus Arion:
Seruiretque tuis contempto Castore frænis
Cyllarus, & flauum Xanthus spreuisset Achillem.
Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas,
Portarétque libens, melioraque pondera passus
Bellerophonteas indignaretur habenas.
Quinetiam velox Auroræ nuntius Æthon,
Qui fugat hinnitu stellas, roseóque domatur
Lucifero, quóties equitem te cernit ab astris,
Inuidet, inque tuis mauult spumare lupatis.
Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus? Ausonio quum iam succinctus amictu
Per Ligurum populos solito conspectior ires?
Atque inter niueas altè veherere cohortes?
Obnixísque simul pubes electa lacertis
Sidereum gestaret onus? sic numina Memphis
In vulgus proferre solet, penetralibus exit
Effigies, breuis illa quidem: sed plurimus infra
Liniger imposita suspirans veste sacerdos
Testatur sudore Deum; Nilotica sistris
Ripa sonat, varióque modos Ægyptia ducit
Tibia submissis admugit cornibus Apis.
Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentat
Tybridis & Latij soboles conuenit in vnum
Quicquid in orbe fuit procerum, quibus autor honoris

Vel

Vel tu vel genitor: numeroso consule consul
Cingeris, & socios gaudes admittere patres.
Illustri te prole Tagus, te [N] *Gallia doctis*
Ciuibus, & toto stipauit Roma senatu.
Portatur iuuenum ceruicibus aurea sedes,
Ornatúque nouo grauior deus: asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosáque fila Smaragdis
Ducta virent: Amethystus inest, & fulgor Iberus
Temperat arcanis Hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis, in tali suffecit gratia textu:
Auget acus meritum, picturatumque metallis
Viuit opus, multaque ornantur Iaspide vultus,
Et varijs spirat Nereia bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitiosa colus? vel cuius pectinis arte
Traxerunt solidæ gemmarum stamina telæ?
Inuia quis calidi scrutatus stagna profundi
Tethyos inuasit gremium? quis diuitis algæ
Germina flagrantes inter quæsiuit arenas?
Quis iunxit lapides ostro? quis miscuit ignes
Sidonij rubrique maris? tribuere colorem
Phœnices, Seres subtegmina, pondus Hydaspes.
Hoc si Mæonias cinctu graderere per vrbes,
In te pampineos proferret Lydia thyrsos,
In te Nisa choros: dubitarent Orgia Bacchi
Cui furerent: irent blandæ sub vincula tigres.
Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, & Caspia flectit eburnis
Colla iugis: Satyri circum, crinémque solutæ

Mænades astringunt hederis victricibus Indos.
Ebrius hostili velatur palmite Ganges.
Aspice mox lætum sonuit clamore tribunal,
Te fastos ineunte quater, solennia ludit
Omnia libertas, deductum Vindice [o] morem
Lex celebrat, famulúsque iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata [p] fronte recedit
In ciuem, rubuere genæ, tergóque remouit
Verbera promissi felix iniuria voti.
Prospera Romuleis sperantur tempora rebus
In nomen ventura tuum præmissa futuris
Dant exempla fidem: quoties te cursibus æui
Præfecit, toties accessit laurea patri.
Ausi Danubium quondam transnare Gothunni,
In lintres fregere nemus cum mille ruebant
Per fluuium plenæ cuneis immanibus alni.
Dux Odothæus [q] erat, tantæ conamina classis
Incipiens [r] ætas, & primus concutit annus.
Submersæ sedere rates fluitantia nunquam
Largius Arctoos pauere cadauera pisces.
Corporibus premitur Peuce: per quinque recurrens
Ostia barbaricos vix egerit vnda cruores.
Confessúsque parens, Odothei regis opima
Rettulit, exuuiásque tibi, ciuile secundis
Conficis auspicijs bellum, tibi debeat orbis
Fata [s] Gothunnorum, debellatúmque tyrannum.
Ister sanguineos egit te consule fluctus.
Alpinos genitor rupit te consule montes.

Sed patrijs olim fueras successibus autor,
Nunc eris ipse tuis. semper venere triumphi.
Cum trabeis, sequiturque tuos victoria fasces.
Sis precor assidue consul, Mariijque relinquas
Et senis Augusti numerum. Quæ gaudia mundi,
Per tua lanugo quum serpere cœperit ora?
Quum tibi prodiderit festas nox pronuba tædas,
Quæ tali deuota toro? quæ murice fulgens
Ibit in amplexus tanti regina mariti?
Quænam tot diuis veniet nurus? omnibus aruis,
Et toto dotanda mari, quantúsque feretur
Idem per Zephyri metas Hymenæus, & Euri;
O mihi si liceat thalamis intendere carmen
Connubiale tuis: si te iam dicere patrem
Tempus erit, quum tu trans Rheni cornua victor;
Arcadius, captæ spolijs Babylonis onustus
Communem maiore toga signabitis annum,
Crinitúsque tuo sudabit fasce Sueuus,
Vltima fraternas horrebunt Bactra secures.

FINIS.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN PANEGYRIN CONS. IIII. HONORII AVGVSTI.

ᵃ AVSPICIIS. Hic Honorij consulatus incidit in Annum 398. collega eius fuit Eutychianus quem & Præfectura Prætorij honestauit, sub idem fere tempus Gildo Mag. vtriusque militiæ per Africam vere ineunte extinctus est, postquam Honorius duxisset Mariam Stilichonis filiam. Cæterum à Pentecoste ad hoc tempus numerat Augustinus 365. annos, vnde sequeretur Christum σωτῆρα vix 34. annum impleuisse.

ᵇ ANNVS. Tanta est Consulatus dignitas vt vel ipsi impp. eam ambierint, sed diuerso Concilio. Cassiodorus: vicistis felicitate principes, qui honores, summos geritis & dominationis tædia non habetis. Luc. Exhausto ius clauditur anno.

ᶜ AVGVSTO consule. qui primus imperator, & consul fuerit ex Lucano discere est: Hæc primum reperit ætas qua sibi ne ferri ius vllum Cæsar abesset, Ausonias voluit gladiis miscere secures; Addidit & fasces Aquilis, & nomen inane Imperii rapiens signauit tempora digna Mæsta nota, quæ sane ad Claud. locutionem faciunt, at imperator bonus verè dici queat Consul P P.

ᴰ ARMORVM proceres. ita loquitur Prud. Sed hîc etiã Chiasmos deprehenditur vt supra lib. 1. Eutr. notauius, verius enim est dicere Armorum potentes, legum proceres, sed figura illa specie vitii decora est. Fortunus: legimus arma regis, & leges dirigis armis.

ᴱ MILES. De custodibus etiam imperatoris loquitur cuius latera obiecti circumfusique defendebant, vel ornamenti causa habebantur, aut vtilitati, vt si auxilium res posceret haud procul acciri possent, vt Tacitus retulit.

ᵛ *AQVILÆ.* Romanæ aues Tacito : quæ argenteæ, propterea quod argentum longius emicat videtúrque quàm aurum Persis olim vsitatum, Xenophon : Αετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος.

ᵒ *LORICAM.* Sic omminò Lyricus: Libros Panæt. I. socraticam & domum Mutare loricis Iberis.

ᵘ *OCEANVS.* Hic rerum princeps à Cl. dicitur, Ausonius extulit: Milesius tales sum aquam qui principem rebus creandis dixi. Pindarus, Ἄριστον μὲν ὕδωρ. vide Orphei Hym.

ᵗ *AVVS.* De hoc multa superiùs. fuit autem Theodosius comes & Mag. equitum, vir omnium sua ætate fortissimus, hunc Drepanius vocat Saxonicum, Britannicum Alamanicum aitque: Sarmatica cæde sanguineus Ister, attrita Batauia pedestribus prœliis, Saxo consumtus bellis naualibus, redactus ad paludes suas Scotus, compulsus in solitudines auias omnis Alamanus & vterque Maurus. Hûnc sanè auctoré legerat Claud. quate idem Pac. A me exemplum poëtica à me fidem sumet historia.

ˣ *PICTORVM.* Ita v. liber non Pictonum, hîc vero succurrunt versus 4. à Cuiacio inserti Lucani I. post: Gehennas. Pictonus immunis subigit sua rura nec vltra instabiles Turones circumsita castra coercent In nebulis meduana tuis, marcere perosus Andus iam placida Ligeris recreatur ab vnda.

ᶻ *IERNE.* Duobus manuscr. hæc fulcitur lectio, neque opinor, aliter scripsit hic poeta, quamuis ad hibernum aërem, qui glacialis aut frigidus, videatur alludere, quod ea mente nô extulit. Hibernia quidem apud Cæs. legitur sed Iuuenalis dixit: Littora Iuuernæ, quod propiùs accedit: vnde Ptolemæo Ἰουερνία. Et vero Stephano & Straboni Ἰέρνη dicitur, quos Apuleius libro de Mundo secutus est.

ᵃᵃ *MAVRVSIA* tabies. Firmi scilicet, qui, frater Gildonis, ei ad tyrannidem ianuam parum feliciter aperuit. Ammianus: Theodosius comes contra Maurum, qui ab imperii ditione desciuit, cum auxilio comitatensis militis mittitur, proinde ab Arelate secundis digreditur auspiciis, nullo de se rumore sparso, si plura cupis, vel de bello Britannico, & aliis ab eodem cô-fectis, lege insignem Marcellinum.

ᵇᵇ *NON AMBITIONE.* Theodosius enim imperator

comitis filius, patre ademto suæque ipsius saluti consulens in Hispaniam se recipit vbi ἄμαχος ad priuati modum se redigit sed, Deo dante, Theodosius tandem à Gratiano accitus est; postquam Valens, ei infensus, non equidem fato sed merita morte perijt. Præclarum est verò illud L. Pacati ad Theodosiũ. qui habenas imperii visus erat recusare: Tam tibi nolle non licet quàm velle nõ licuit B. Ambrosius, Portauit iugũ graue Theodosius à iuuentute, quãdo ei insidiabantur, qui patrem eius triũphatorem occiderant.

DIGNA legi virtus. Non dubito quin Ausonius vir probus & illustris, qui tunc temporis consul erat cum Olybrio, suaserit discipulo suo vt tantum virum sibi adscisceret, quarè Theodosius ipsum, ni fallor, parentem vocauit, eiúsque scripta cũ affectu & admiratione perlegit. Lat. Pac. Orat ecce te Dominus meus. Orat ecce te dominus adhuc tuus, & qui posset cogere mauult impetrare. Αἱρετικὸς dicitur electus à Siracide, vnde Cuiac. Et hoc sensu huncregem fateor esse αἱρετ.

BRITANNIA. Nescio quo fato, aut qua ratione huius æui scriptores & alij Britanniæ adscribant natalem non modo Constantini qui Bithynus fuit, sed & Maximi tyranni. Sane Maximum fudit Britannia cum inde exercitum educeret, non etiã genuit neque alia de causa dixit Ausonius Rutupinum latronẽ, vides quid peccet lector minùs intelligens, & quantum præiudicet, bonis auctoribus atque historiæ ipsi, vel vnica vox malè accepta. fuit ergo Hispanus, vt liquidò constat ex oratione Drepanij Proconsulis, qui hominem satis nouerat, sic enim ad Theodosium: An sustinere te coram, & solum oculorum tuorum ferre coniectum ille quondam domus tuę negligẽtissimus vernula, mensularúmque serailium staturius lixa potuisset? Fuit igitur Maximus verna domus Theodosianæ, quæ Hispana verna autem est οἰκογενής seu domi natus vt est in gloss. Is verò cũ dominorũ benignitate ad quosdam gradus militiæ peruenisset splendore adscititio se in tantum exeruit, vt Gallias è Britannia ingressus Theodosij ad finem se diceret: quo esset nostrastibus acceptior. vnde idem auctor: Carnifex purpuratus tua se ad finitate iactans: qui ei credidere nefas fecerunt ad fectu innocentium. Præstat etiam auscultare Zosimo ex aduocato fisci, qui Maximum Hispanum, ac Theodosii æmulum nuncupat, habuit fratrem Marcellinum, filium vero Victorem, quem Gallis Imperii titulo, Alpes transiturus, reliquit vnde numisma: Fl. Victor P. F. Aug. Vxor eius B. Martinum adeò reuerenter habuit, vt vel pedes ipsius lacrymis irrigaret, vide Seuerum, &

Ambrosii epistolas vnde plus doctrinæ, ac veritatis haurire est, quàm ex quadriga aliqua historicorum. numi cusi temporibus Maximi sic se habent: Dn. Mag. Maximus P. F. Aug. nescio vero cur idem Treuirensis dicatur à viro docto.

DOMINI. Gratianũ & Valentinianum eius fratrem optimos Impp. intellige. Sane Gratianus nefariè ab Andragathio, in lectica specie Fl. Maximæ Constantiæ Aug. latenti, occisus est eum quidem fuderat, iam Maximus sed à suis derelictum, vnde B. Ambrosius ad eum legatus à Valentiniano: Vereris, inquit, ne exuuiarum reditu renouetur dolor militibus, hoc enim allegas, cui Ambrosius: sed fierine potest vt quem viuentem deseruerunt, eum defleant peremtum?

VTERQVE. Maximus & Eugenius, hic vero Arbogastis ille Andragathii manu vsus est in parricidio. Sed vterque sceleris minister sibi vitam ademit.

IVVENVM duorum. at Cassiodorus ait Arc. & Rufino conss. Valentinianum Iuniorem tædio vitæ apud Viennam laqueo perijsse. idémque alij historici tradunt. zosimus vero asseuerat ab impio Arbogaste interfectum Idem Sidonius tradit. B. Ambrosius in Oratione funebri eiusdem Imperatoris id videtur annuere cũ ait de vtroque: Inseparabiles in vita in morte non esse separatos. dein hos velut oculos sibi effossos dolet: additque: Nolite tangere Christos meos. Rufinus scribit: causis latentibus vitam finijsse. quosdam Arbogastis factum dicere alios absoluere. Fuere, inquit, nonnulli sacerdotum qui immunem esse ducem a mortis scelere Theodosio testarentur. sic forte M. Antonius in Philippicis arguitur de S. Sulpicio quẽ non interemit, sed in causa fuit. quod paululum differt.

HISPANIA. Theodosius natione Hispanus. Cedrenus: Θεοδόσιος τῷ γένει μὲν Ἴβηρ, τὴν ἀναδρομὴν τοῦ σώματος ἄμεμπτος ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς, ὑπέριθρος τῷ προσώπῳ ξανθὴν ἔχων τὴν τρίχα τὴν ῥῖνα λεπτὴν καὶ ἐπίγρυπον. tradũt eũ Traiano fuisse persimilẽ à quo & originem duxit. ille enim etiam fuit Hispanus. hunc verò locum integrum desumsit Claud. ex L. Pacato: Cedat his tertis. terra Cretensis parui Iouis, gloriata cunabulis, Delosque geminis reptata numinibus, Thebæ alumno Hercule nobiles.

CIRCVMFLVA gemmis. Mirabar hanc phrasin prius quam vidissem numisma Cuiacij vbi Fl. Eudoxia Arcadij vxor tribus baccatum lineis à summa fronte in papillas penè defluis expressa erat. sed & elenchi magni seu grandes vniones vel

μαργαρεῖται μεγάλοι auribus penduli & vestis gemmata. ſcias verò hîc Flaccillam deſignari quæ Honorium, iam Auguſta, peperit: vnde inſignior natalis eius quā Arcadii. quarè dixit: Omnibus acceptis. i. deſt à Patre & matre iuxta nobilitatus es. nihilque tibi defuit ad ſummam gloriam, & perfectū originis decus.

x *VLVLATA.* hæc de fauſta adclamantione. Lucanus: Lætis vlulare triumphis.

y *PRÆSVMTVM.* elegans & propria dictio de eo qui haud dubiè Imperij ſucceſſor futurus ſit, aut qui ſuus hęres vt ita dicam. Prauæ aliorum ſpes cohibentur (ait Tacitus) ſi ſucceſſor non in incerto, ac minori diſcrimine princeps ſumitur, quàm quæritur.

z *PRINCIPE CÆSAR.* Honorius ante Nobilis puer aut Princeps iuuentutis, poſtmodò factus eſt nobiliſſimus Cæſar, dein Auguſtus: qua in re ęquatus eſt fratri Arcadio. Patre iam iam ituro contra Eugenium, ac gemellis conſortibus in Oriente relictis: ſi quid ei humanitùs contigiſſet.

a *IMPERII* lux. Natalis imperii Spartiano. Imperii ver. Sidonio.

b *FLAGRARET* apex, ſic Auguſto Romam aduentante ſolis orbis ſuper caput eius curuatus rotundatúſque in colorem arcus conſpectus eſt, in Paneg. Maximiani: Lux diuinum verticem claro orbe complectens. Sid. Sic loquitur natura deos, cunctantis Iuli Lambebant teneros incendia blanda capillos.

c *OBSCVRO.* Elegans epitheton & remigi adprimè conueniēs. ſoliſenim igneo candori expoſiti ducunt quaſi fuliginem: denique ſub dio infuſcantur, ſic iuuenalis: Et Mauro obſcurior Indus, at B. Pius magnus litterator neſcio vnde legit: edocto, non ab ratione: nam ſupra Bell. Get. de eadem re: docti iuſſis parere magiſtri.

d *ORBIS.* Verus homo eſt totus teres, atque rotundus; quæ forma omnium pulcherrima & aptiſſima. Auſonius. Irrequies, mundi inſtar habens. Ouid. Mundi melioris origo, Manilius: quid mirum noſcere mundum Si poſſint homines, quibus eſt & mundus in ipſis? is Microcoſmus, neque tamen, mea ſententia, idem eſt omnis creatura, vt quidam volunt.

e *ADIVNXIT* geminas. Virgilius tres animas Herilo tribuit, vt

buit, vt indicaret hominis illius perfectionem: vbi Seruius per transitum ostendit Platonis & Aristotelis cōtentionem, qui dubitant vtrū quatuor an tres animæ sint in homine. At Cic. Tusc. 1. Animam triplicem esse ait cuius principatus id est Ratio in capite sicut in arce, ira in pectore, cupiditas subter præcordia.

r *PVLMONIS.* Huc pertinet, credo, Adagium quod in Atheneo visitur: Pulmonis vitam viuere.

s *HYDRA.* Olim mens praua quorundam B. Ambrosium culpauit, quod Hydræi nominis & Scyllæi littoris comparatione vsus esset in libellis de Fide: at pulchre se defendit.

u *IRA.* Iram execratur Theodosius ad quam fuit procliuis vel teste Claud. de laud. Serenæ: sed teste Ambrosio: Propior erat veniæ quando commotio maior. at in Domitiano, Atrocis signum exitus erat principii lenitas. Celebratur vero lex indulgentiæ xxx. dierum quam malè acceptam ferunt Theodosio ob facinus Thessalonicense: nam viuente Gratiano scripta est. vnum hoc notabis hunc Imp. Symmacho reo Maiestatis (nam Panegyri magnifica Maximum exceperat) pepercisse: sic Io. Pontanus oblitus Domini sui in laudem Caroli VIII. Francorum Regis perorauit.

x *LICEAT.* Leges principi nemo scripsit, ait Plinius; non tamen ei licet quod libet, ac Minimum decet libêre, cui nimium licet.

y *IN ORBE.* Cic. stare omnes debemus tanquam in orbe aliquo: neque vero, ait ille, principi magis quàm soli latere licet.

z *SIS PIVS.* Huc pertinet illud Senecæ sub persona Augusti: pietate & iustitia principes dij fiunt. hoc sibi adsumebat exemplum Carolus IX. est vero in arcu triumphali Galieni Imp. hæc bella inscriptio: Galieno clementiss. Principi cuius inuicta virtus sola pietate superata est M. Aurelius Victor dedicatissimus numini maiestatique eius: vbi vides pietatem, clementiam, & numen sibi cohærentia vt in textu.

aa *IVSSA SVBI.* Ante in omnibus fere libris, sibi. Blandissimè vero iubetur exemplo, ait Pacatus, nec tam imperio opus est quam exemplo.

bb *EXCVBIÆ.* Plinius Sec. eleganter: inexpugnabile mu-

nimentum non egere munimento. Apud Symmachum. Amor populi pro bono imperatore agit excubias, nec enim tunc ciues timent ipſum ſed pro ipſo vt rectè Bias: οὐχ ὑπὲρ αὐτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ·

[•] *CIVEM.* At Cæſarem (ait Lucanus) conceſſa pudet ire viã ciuémque fateri.

[r] *SVPERBIA.* Maiores noſtri (ait Pacatus) grauiorem putauerunt ſeruitute contemtum, ac Tarquinium immanem crudelitate vocauerunt ſuperbum quaſi ſufficeret conuitium at cõtemtor animus, ait Tacitus, & ſuperbia commune nobilitatis malum. Superbia ſanè dici videtur quod vim omnem ac violẽtiam ſuperet, quod Græca alluſione ſic exprimas quaſi, ὑπὲρ βίαν.

[s] *RVPES* capreatum. Tiberius Princeps magnus, ſed nimium triſtis ac ſeuerus fuit, vt ait Auſonius, Caprearum clauſus in antro: nec ſe crebrò videndum exhibuit, ratio hæc fortè quod ſubditorum indoles facit, vt maior è longinquo ſit reuerentia, denique cõtinuus aſpectus auctore Liuio minus verendos magnos homines facit. Reges Franciæ olim ſoliti (ait Cedrenus) ſeceſſum colere, κατὰ δὲ τὸν Μάϊον προκαθέζεσθαι ἐπὶ παντὸς τοῦ ἔθνους.

[t] *DENSARI.* Æquali legitimóque ſpatio (ait Veg.) miles diſtet à milite; neque vltra quàm expedit conglobetur agmen, aut laxetur. Cuiacius dicebat ſuis militibus togatis, denſate vos, συνάγετε ὑμᾶς, & pro; Laxate vos, efferebat: Diſpertimini.

[s] *SÆPIVS* incautæ. Velleius: Nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet.

[t] *PRIMVS* ini. Sidonius: Agmina voce erigis, exemplóque leuas, primuſque labores Adgrederis quoſcunque iubes, tunc cætera paret Turba libens propriis ſeruit cum legibus auctor.

[v] *NVNC* pedes. huc pertinet Valentiniani Sen. ad Gratianum F. exhortatio. En inquit habes Gratiane amictus, vt ſperaui; accingere pro rerum vrgentium pondere, & aſſueſce impauidus penetrare cum agminibus peditum gelu peruium Iſtrum, & Rhenum, armatis tuis proximus ſtare; ſanguinem ſpiritúmque conſideratè pro his effundere, vide Ammianum.

[x] *DECIMAS.* Honorius vixdum erat decennis cum Theo-

dosius expeditionem parauit in Eugenium. Itaque id ætatis impleſſe tantum traditur circa patris obitum. Zonaras: Ὁνώριος δεκέτης ὢν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης βασιλεὺς ἐπέλει γνώμῃ τοῦ πατρὸς ὑπὸ ἐπίτροπον Στιλίχωνα.

[y] *GALLIA.* Mirum eſt hoc in loco tanti fieri Galliam Ciſalpinam, vt nomen Italię obſcuret, ſanè Theodoſius amauit præcipuè Mediolanum ac Romæ prętulit: neſcio an propter D. Ambroſium Epiſcopum, cuius præſentia delectabatur.

[z] *BRVTVM.* Hic fuit Tribunus celerũ, qua auctoritate egit ne Tarquinius in vrbem reciperetur.

[a] *TRISTE* rigor. Nocet priſcus rigor & nimia ſeueritas cui iam pares non ſumus, inquit Tacitus.

[b] *DEFENSOREM.* Poëticè dixit pro Tutore. Tutela enim eſt poteſtas in capite libero ad tuendum eum qui per ætatem ſe defendere nequit vt Ser. Sulp. definit, & tamen honoris cauſa Defenſor magis placet hoc loco.

[c] *ALAMANNIA.* Hanc gentem validiſſimam, non ſine ſanguine & ſudore fudit olim Iulianus & iuuenis Gratianus; dein Francorum Princeps, ad quem Theodoricus ita ſcribit: memorabilis triumphus eſt Alamannum acerrimum ſic expauiſſe, vt tibi eum cogas de vitæ munere ſupplicare: ſufficiat innumerabilem nationem partim ferro partim ſeruitio ſubiugatam Caſſiod.

[d] *LYCÆI.* Statius: Nulliſque ad ſpecta per æuum Solibus vmbroſi patuere æſtiua Lycæi.

[e] *IONIVM.* De hac Stilichonis expeditione in Græciam vide planè Zoſimum.

[f] *AVIDA SECTOR.* Vetus liber ita præfert. Antonius olim dictus ſector Pompeij, quia bona eius in ſubhaſtatione redemerat Cic. dixit ſectores bonorum & collorum, vide L. Pacatum de Maximo, in aliis cod. & excuſis; Auidas Emptor, quod non adeò malum eſt.

[g] *SENIVM IVRIS.* Omnia antiquæ cõſuetudinis momenta ſeruanda, idque meliùs ac rectiùs olim prouiſum, ait ille.

[h] *EMENDANTVR.* At non conualeſcit planta, quæ

nimentum non egere munimento. Apud Symmachum. Amor populi pro bono imperatore agit excubias, nec enim tunc ciues timent ipsum sed pro ipso vt rectè Bias: οὐχ ὑπὲρ αὐτόν, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ.

[t] *CIVEM.* At Cæsarem (ait Lucanus) concessa pudet ire vi&c ciuémque fateri.

[p] *SVPERBIA.* Maiores nostri (ait Pacatus) grauiorem putauerunt seruitute contemtum, ac Tarquinium immanem crudelitate vocauerunt superbum quasi sufficeret conuitium at cõtemtor animus, ait Tacitus, & superbia commune nobilitatis malum. Superbia sanè dici videtur quod vim omnem ac violẽtiam superet, quod Græca allusione sic exprimas quasi, ὑπὲρ βίαν.

[q] *RVPES* caprearum. Tiberius Princeps magnus, sed nimium tristis ac seuerus fuit, vt ait Ausonius, Caprearum clausus in antro: nec se crebrò videndum exhibuit, ratio hæc fortè quod subditorum indoles facit, vt maior è longinquo sit reuerentia, denique cõtinuus aspectus auctore Liuio minus verendos magnos homines facit. Reges Franciæ olim soliti (ait Cedrenus) secessum colere, κατὰ δὲ τὸν Μάϊον προκαθέζεσθαι ἐπὶ παντὸς τοῦ ἔθνους.

[r] *DENSARI.* Æquali legitimóque spatio (ait Veg.) miles distet à milite; neque vltra quàm expedit conglobetur agmen, aut laxetur. Cuiacius dicebat suis militibus togatis, densate vos, συνάγετε ὑμᾶς, & pro; Laxate vos, efferebat: Dispertimini.

[s] *SÆPIVS* incautæ. Velleius: Nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet.

[t] *PRIMVS* ini. Sidonius: Agmina voce erigis, exemplóque leuas, primusque labores Adgrederis quoscunque iubes, tunc cætera paret Turba libens propriis seruit cum legibus auctor.

[v] *NVNC* pedes. huc pertinet Valentiniani Sen. ad Gratianum F. exhortatio. En inquit habes Gratiane amictus, vt speraui; accingere pro rerum vrgentium pondere, & assuesce impauidus penetrare cum agminibus peditum gelu peruium Istrum, & Rhenum, armatis tuis proximus stare; sanguinem spiritúmque consideratè pro his effundere, vide Ammianum.

[x] *DECIMAS.* Honorius vixdum erat decennis cum Theo-

dosius expeditionem parauit in Eugenium. Itaque id ætatis impleſſe tantum traditur circa patris obitum. Zonaras: Ὁνώριος δεκέτης ὢν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης βασιλεὺς ἐπλευγνώμῃ τοῦ πατρὸς ὑπὸ ἐπίτροπον Στιλίχωνα.

[y] *GALLIA*. Mirum eſt hoc in loco tanti fieri Galliam Ciſalpinam, vt nomen Italię obſcuret, ſanè Theodoſius amauit præcipuè Mediolanum ac Romæ prętulit: neſcio an propter D. Ambroſium Epiſcopum, cuius præſentia delectabatur.

[z] *BRVTVM*. Hic fuit Tribunus celerũ, qua auctoritate egit ne Tarquinius in vrbem reciperetur.

[a] *TRISTE* rigor. Nocet priſcus rigor & nimia ſeueritas cui iam pares non ſumus, inquit Tacitus.

[b] *DEFENSOREM*. Poëticè dixit pro Tutore. Tutela enim eſt poteſtas in capite libero ad tuendum eum qui per ætatem ſe defendere nequit vt Ser. Sulp. definit, & tamen honoris cauſa Defenſor magis placet hoc loco.

[c] *ALAMANNIA*. Hanc gentem validiſſimam, non ſine ſanguine & ſudore fudit olim Iulianus & iuuenis Gratianus; dein Francorum Princeps, ad quem Theodoricus ita ſcribit: memorabilis triumphus eſt Alamannum acerrimum ſic expauiſſe, vt tibi eum cogas de vitæ munere ſupplicare: ſufficiat innumerabilem nationem partim ferro partim ſeruitio ſubiugatam Caſſiod.

[d] *LYCÆI*. Statius: Nulliſque ad ſpecta per æuum Solibus vmbroſi patuere æſtiua Lycæi.

[e] *IONIVM*. De hac Stilichonis expeditione in Græciam vide planè zoſimum.

[f] *AVIDA SECTOR*. Vetus liber ita præfert. Antonius olim dictus ſector Pompeij, quia bona eius in ſubhaſtatione redemerat Cic. dixit ſectores bonorum & collorum, vide L. Pacatum de Maximo, in aliis cod. & excuſis; Auidas Emptor, quod non adeò malum eſt.

[g] *SENIVM IVRIS*. Omnia antiquæ cõſuetudinis momenta ſeruanda, idque meliùs ac rectiùs olim prouiſum, ait ille.

[h] *EMENDANTVR*. At non conualeſcit planta, quæ

Pp ij

ſæpius transfertur ait Sen. & ſunt qui vt aliquid ſui videantur ad ferre, etiam tecta commutant: cauendum eſt etiam ne legibus fundata reſp. legibus euertatur.

[I] *RIGOR.* Dictio elegans pro ſeueritate. Velleius dixit Mores rigore ac lenitate mitiſſimos. Caſſiod. De rigore principis admonerent.

[K] *COMBIBIT.* Sic apud Iuuen. bibit contracta cuticula ſolem, Statius lib. x. Fulminis haud citiùs radiis adflata cupreſſus, combibit infeſtas & ſtirpe, & vertice flammas.

[L] *GALLIA.* Togata ſcilicet vel Inſubria cuius caput Mediolanum, quò in honorem Principis Roma lumina ſui ſenatus miſerat.

[M] *VINDICE.* Hic locus ad ius pertinens citatur à Cuiacio in obſeru. Vindex autem iſte fuit vitelliorum ſeruus, qui quadam coniuratione patefacta libertate ac ciuitate à Bruto donatus eſt.

[N] *PVLSATA* fronte. Seruius in VIII. Æn. ait Feroniam eſſe nympham campaniæ libertorum deam: In cuius templo, raſo capite, pileum accipiebant ſerui. Sidonius: Quorum gaudẽtes expectant verberá malæ. ita ſacris initiatos Epiſcopus ferit quod etiam contigit ducib. Carinthię. Circumagebatur etiam, inde Vertigo vna quiritem facit apud Perſium.

[O] *ODOTHEI.* Promotus dux peditum in Thracia Odotheũ nauigiis adgreſſus, zoſimo auctore tantam ſtragem edidit vt flumen cadaueribus oppleretur.

[P] *INCIPIENS* ætas. Honorius natus eſt Conſtantinopoli anno 384. Septembri Ricomere & Clearcho Conſſ. ſed tunc verius renuntiatum aut deſignatum arbitror.

[Q] *ISTER.* Hic verſus & ſequens aberant à v. cod. malè opinor. Nec enim nocent quæ videntur ſuperflua.

[R] *ANNVS.* Id eſt conſulatus, vt alibi ſæpe, qui quidem cõtigit anno 386. Itaque cum Flaccilla mater docuit ad primas curules reptare, vt poëtæ verbis vtar, ne vero quis miretur conſulem anniculum id infelix auſpiciũ rei gerendæ curauit Theodoſius, Deus enim infantium & lactentium præcipuè curam gerit, nec dubito quin Rex magnus filii ſui auſpiciis idem, ſi res poſceret, obtineat euentum.

CL. CLAVDIANI
IN CONSVLATVM HONORII AVG. PRÆFATIO.

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro quum membra reponit,
Mēs tamē ad syluas, & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanáque nocturnis meta cauetur equis.
Furto gaudet amans, permutat [y] nauta [x] merces,
Et vigil elapsas quærit auarus opes.
Blandáque largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assuetis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Iouis:
Utque fauet somnus, plaudebant numina dictis.
Et circunfusi sacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat, victúsque Typhoeus:
Hunc premit Inarimes [y], hunc grauis Ætna domat.
Quàm lætus post bella Iouem susceperit æther,
Phlegrææ referens præmia militiæ.
Additur ecce fides, nec me mea lusit imago,
Irrita nec falsum somnia misit ebur.
En princeps [z], en orbis apex æquatus olympo,
En quales memini turba verenda deos.
Fingere nil maius potuit sopor, altáque vati
Conuentum cælo præbuit aula parem.

IN SEXTVM HONORII AVG. CONSVLATVM

PANEGYRIS EIVSDEM

[A] *AVREA Fortunæ reduci si templa priores*
Ob reditum vouere ducum, non dignius vnquam
Hæc dea pro meritis amplas sibi posceret ædes,
Quàm sua quum pariter trabeis reparatur & vrbi
Maiestas, nec enim campus solennis, & [B] vrna
Luditur in morem: species nec dissona cœtu,
Aut peregrina nitet simulati iuris imago.
Indigenas habitus natiua palatia sumunt.
Et patrijs plebem castris sociante Quirino,
Mars augusta sui renouat suffragia campi.
Qualis erit terris, quem mons Euandrius offert
Romanis auibus, quem Tybris inaugurat [C] annus?
Quanquam omnes quicumque tui cognominis anni,
Semper inoffensum dederint successibus omen,
Sintque trophæa tuas semper comitata secures:
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu
Vrbis, & Augusti geminato nomine felix.

Namque velut ſtellas Babylonia [D] *cura ſalubres*
Optima tunc ſpondet mortalibus edere fata,
Cælicolæ [E] *quum celſa tenent, ſummóque feruntur*
Cardine, nec radios humili ſtatione recondunt:
Haud aliter Latiæ ſublimis ſignifer aulæ,
Imperij ſidus prima cum ſede locauit,
Auget ſpes Italas, & certius omina ſurgunt
Victrici concepta ſolo quum pulcher Apollo
Luſtrat Hyperboreas Delphis ceſſantibus [F] *aras,*
Nil tum Caſtaliæ riuis communibus vndæ
Diſſimiles, vili nec diſcrepat arbore laurus,
Antráque mœſta ſilent, inconſultíque receſſus:
At ſi Phœbus adeſt, & frænis Grypha [G] *iugalem*
Riphæo tripodas repetens detorſit ab axe
Tunc ſyluæ, tunc antra loqui, tunc viuere [H] *fontes,*
Tunc ſacer horror aquis, adytíſque effunditur Echo
Clarior, & docta ſpirant præſagia rupes.
Ecce Palatino creuit reuerentia monti,
Exultátque habitante Deo, potioráque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandit,
Atque ſuas ad ſigna iubet reuireſcere lauros.
Non alium certe decuit rectoribus orbis
Eſſe larem [I] *, nullóque magis ſe colle poteſtas*
Æſtimat, & ſummi ſentit faſtigia iuris.
Attollens apicem ſubiectis regia roſtris,
Tot circum delubra videt, tantíſque deorum
Cingitur excubijs: iuuat intra tecta Tonantis
Cernere Tarpeia [K] *pendentes rupe gigantes,*
Cælatáſque [L] *fores medijſque volantia ſigna*
Nubibus, & denſum ſtipantibus æthera templis,

Æraque vestitis numerosa puppe m columnis
Consita subnixásque iugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu, spolijsque micantes
Innumeros arcus: acies stupet igne metalli,
Et circunfuso trepidans obtunditur auro.
Agnoscisne tuos princeps venerande penates?
Hæc sunt quæ primis olim miratus in annis,
Patre pio monstrante petis, nil optimus ille
Diuorum toto meruit felicius æuo,
Quàm quod Romuleis victor sub mœnibus egit,
Te consorte dies, quum se melioribus addens
Exemplis, ciuem gereret terrore remoto;
Alternos cum plebe iocos, dilectáque passus
Iurgia, patriásque domos, priuatáque n passim
Visere deposito dignatus limina fastu.
Publicus hinc ardescit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modestia culmen.
Téque rudem vitæ quamuis diademate necdum
Cingebare comas, socium o sumebat honorum
Purpureo fotum gremio, paruúmque triumphis
Induit, & magnis docuit prælúdere fastis.
Te linguis variæ gentes, missique rogatum
Fœdera, Persarum proceres cum patre sedentem
Hac quondam videre domo, positoque tiaram
Submisere genu, te cum prælarga vocauit
Ditandas p ad dona tribus; fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra senatus,
Romano puerum gaudens offerre fauori,
Vt nouus imperio iam tunc assuesceret hæres.
Hinc tibi concreta radice tenacius hæsit,

Et pe-

Et penitus totis inoleuit [q] *Roma medullis,*
Dilectæque vrbis teneris conceptus ab annis
Técum creuit amor, nec te mutare reuersum
Eualuit [r] *propria nutritor Bosphorus arce.*
Et quoties optare [s] *tibi, quæ mœnia malles,*
Alludens genitor regni pro parte dedisset;
Diuitis Auroræ solium, sortémque paratam,
Sponte remittebas fratri. regat ille volentes
Assyrios: habeat Pharium cum Tigride Nilum:
Contingat [t] *mea Roma mihi, nec vota fefellit*
Euentus, fortuna nouum molita tyrannum
Jam tibi quærebat Latium, bellóque secundo
Protinus Eoa velox accitus ab aula,
Suscipis Hesperiam patrio bis Marte receptam.
Ipsa per Illyricas vrbes Oriente relicto
Ire Serena [v] *comes, nullo deterrita casu,*
Materna te mente fouens Latióque futurum
Rectorem generúmque sibi, seniore supernas
Jam repetente plagas; illo sub cardine rerum
Sedula seruatum per tot discrimina pignus
Restituit sceptris patrui, castrísque mariti.
Certauit pietate domus, fidæque reductum
Coniugis officijs Stilichonis cura recepit.
Felix ille parens, qui te securus olympum
Succedente petit: quàm lætus ab æthere cernit
Se factis creuisse tuis, duo namque fuere
Europæ, Libyæque hostes, Maursius Atlas
Gildonis furias, Alaricum barbara Peuce
Nutrierat, qui sæpe tuum spreuere prophana
Mente patrem. Thracum veniens è finibus alter

Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi vento iáctatur & vnda,
Vastato tandem pœnas luitura profundo:
Talis ab vrbe minas retro flectebat inanes
Italiam fugiens, & quæ venientibus antè
Prona fuit, iam difficilis, iam dura reuersis.
Clausa putat sibi cuncta pauor, retroque relictos
Quos modo terrebat rediens exhorruit amnes.
Vndosa tum fortè domo, vitreísque sub antris
Rerum ignarus adhuc ingentes pectore curas
Voluebat pater Eridanus: quis bella maneret
Exitus, imperiúmne Ioui, legésque placerent,
Et vitæ Romana quies? an iura perosus
Ad priscos pecudum damnaret sæcula ritus?
Talia dum secum mouet anxius, aduolat vna
Naïadum resoluta comam, complexáque patrem:
En Alarichus, ait, non qualem nuper ouantem
Vidimus: exangues genitor mirabere vultus.
Percensere manum, tantáque ex gente iuuabit
Relliquias numererasse breues, iam desine mœsta
Fronte queri, niueásque choris iam redde sorores.
Dixerat, ille caput placidis sublime fluentis
Extulit, & totis lucem spargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos, rami caput vmbrauere virentes
Heliadum, totísque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros, curruque paterno
Intextus Phaethon glaucos incendit amictus,
Fultáque sub gremio celatis nobilis astris.

Æthereum probat vrna decus, namque omnia luctus
Argumenta sui Titan signauit Olympo,
Mutatúmque senem plumis, & fronde sorores,
Et fluuium, nati qui vulnera lauit anheli.
Stat gelidis auriga plagis, vestigia fratris
Germanæ seruant Hyades, Cygníque sodalis
Lacteus extentas aspergit circulus alas.
Stellifer Eridanus sinuatis fluctibus errans,
Clara Noti conuexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite sidereo subterluit Oriona.
Hoc Deus effulgens habitu prospexit euntes
Deiecta ceruice Getas, tunc talia fatur:
Siccine mutatis properas Alarice reuerti
Consilijs? Italæ sic te iam pœnitet oræ?
Nec iam cornipedem Tyberino gramine pascis,
Vt rebare tuum: Thuscis nec figis aratrum
Collibus, ô cunctis Erebi dignissime pœnis.
Túne gigantæis vrbem tentare deorum
Aggressus furijs? nec te meus improbe saltem
Terruit exemplo Phaethon? qui fulmina præceps
In nostris efflauit aquis, dum flammea cœli
Flectere terrenis meditatur fræna lacertis,
Mortalíque diem sperat diffundere vultu.
Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
Aspirat Romæ spolijs, aut solis habenis.
Sic fatus. Ligures Venetosq; erectior amnes
Magna voce ciet. frondentibus humida ripis
Colla leuant, pulcher Ticinus & Addua visu
Cærulus & velox Athesis, tardúsque meatu
Mincius inque nouem consurgens ora Timauus.

Insultant omnes profugo, pacatáque lætum
Inuitant ad prata pecus; iam Pana Lycæum,
Iam Dryades reuocant, & rustica numina Faunos.
Tu quoque non paruum Getico Verona [y] *triumpho*
Adiungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausonijs, aut mœnia vindicis Astæ.
Hic rursus dum pacta mouet, damnísque coactus
Extremo mutare parat præsentia casu,
Nil sibi periurum sensit prodesse furorum,
Conuerti nec fata loco, multísque suorum
Diras pauit aues; inimicaque corpora voluens
Ionios Athesis mutauit sanguine fluctus.
Oblatum Stilicho violato fœdere Martem
Omnibus arripuit votis, vbi Roma periclo
Iam procul, & belli medius Padus arbiter ibat:
Iamque opportunam motu strepuisse rebelli
Gaudet perfidiam, præbensque exempla labori
Sustinet accensos æstiuo puluere soles.
Ipse manu metuendus adest, inopinaque cunctis
Instruit arma locis, & quà vocat vsus ab omni
Parte venit: fesso si deficit agmine miles
Vtitur auxilijs, damni securus; & astu
Debilitat sæuum cognatis viribus Istrum,
Et duplici [z] *lucro committens prælia, vertit*
In se barbariem, nobis vtrinque cadentem.
Ipsum te caperet, lethóque Alarice dedisset,
Ni calor incauti male festinatus [a] *Alani*
Dispositum turbasset opus. prope captus anhelum
Verbere cogis equum, nec te vitasse dolemus.
I potius gentis reliquum, tantísque superstes

Danubij populis, & nostrum viue trophæum.
Non tamen ingenium tantis se cladidibus atrox
Deijcit; occulto tentabat tramite montis,
Si quas per scopulos subitas exquirere posset
In Rhetos Gallósque vias: sed fortior obstat
Cura ducis quis enim diuinum fallere pectus
Possit & excubijs vigilantia lumina regni
Cuius consilium non vnquam repperit hostis?
Nec potuit texisse suum, secreta Getarum
Nosse prior, celerique dolis occurrere sensu.
[B] *Omnibus exclusus cœptis consedit in imo*
Colle tremens; frondesque licet depastus amaras,
Arboreo figat sonipes in cortice morsus,
Et tetris collecta cibis, annique vapore
Sæuiat aucta lues, & miles probra superbus
Ingerat obsesso, captiuáque pignora monstret:
Non tamen aut morbi tabes, aut omne periclum
Docta subire fames, aut prædæ luctus adempta,
Aut pudor, aut dictis mouere procacibus iræ,
Vt male tentato toties se credere campo
» *Comminus auderet, nulla est victoria maior,*
» *Quàm quæ confessos animo quoque subiugat* [c] *hostes.*
Iámque frequens rarum decerpere transfuga robur
Cœperat, inque dies numerus decrescere castris,
Nec iam deditio paucis occulta parari,
Sed cunei, totæque palam discedere turmæ:
Consequitur, vanoque fremens clamore retentat,
Cumque suis iam bella gerit: mox numina supplex
Cum precibus, fletúque ciet veterumque laborum
Admonet & frustra iugulum parcentibus offert,

Defixoque malis animo ſua membra, ſuaſque
Cernit abire manus. Qualis Cybeleia [D] quaſſans
Hyblæus procul æra ſenex reuocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ ſponte relictis
Deſciuere fauis, ſonituque exhauſtus inani,
Raptas mellis opes ſolitæque oblita latebræ
Perfida deplorat vacuis examina ceris.
Ergo vbi præcluſæ voci laxata remiſit
Frena dolor, notaſque oculis humentibus Alpes
Aſpicit, & nimium diuerſi ſtamine fati
Præſentes reditus, fortunatoſque reuoluit
Ingreſſus, ſolo peragens cum murmure bellum,
Protento leuiter frangebat mœnia conto,
Irridens ſcopulos; nunc deſolatus & expes
Debita pulſato reddit ſpectacula monti.
Tunc ſic Auſonium reſpectans æthera fatur.
Heu regio funeſta Getis, heu terra ſiniſtris
Augurijs calcata mihi, ſatiare [E] nocentum
Cladibus, & tandem noſtris inflectere pœnis.
En ego qui toto ſublimior orbe ferebar,
Ante tuum felix aditum, ceu legibus exul,
Addictúſque reus flatu propiore ſequentum
Terga premor, quæ prima miſer, quæ funera dictis
Poſteriora querar? nec me Pollentia tantum,
Nec captæ cruciatis opes, hæc aſpera fati
Sors tulerit, Martiſque vices: non funditus armis
Conciderem, ſtipatus adhuc equitúmque cateruis
Integer, ad montes reliquo cum robore ceſſi.
Quos Apenninum perhibent; hunc eſſe ferebat
Incola, qui Siculum porrectus ad vſque Pelorum

Finibus à Ligurum populos amplectitur omnes
Italiæ, geminúmque latus stringentia longe,
Vtraque perpetuo discriminat æquora tractu.
Hæc ego continuum si per iuga tendere cursum,
Vt prior iratæ fuerat sententia menti,
Iam desperata voluissem luce quid vltra?
Omnibus oppeterem fama meliore perustis,
Et certè moriens propiùs te Roma viderem:
Ipsáque per cultas segetes mors nostra sequuto
Victori damnosa foret: sed pignora nobis
Romanus, charásque nurus, prædámque tenebat.
Hoc magis exertum raperem succinctior agmen.
Heu quibus insidijs, qua me circundedit arte
Fatalis semper Stilicho: dum parcere fingit,
Rettulit hostiles animos, bellúmque remenso
Eualuit transferre Pado, proh fœdera sæuo
Deteriora iugo, tunc vis extincta Getarum,
Tunc mihi tunc lethum pepigi violentior armis
Omnibus; expugnat nostram clementia gentem,
Mars grauior sub pace latet, capiórque vicissim
Fraudibus ipse meis. Quis iam solatia fesso
Consiliúmue ferat socius suspectior hoste?
Atque vtinam cunctos licuisset perdere bello.
Nam quisquis duro cecidit certamine, nunquam
Desinet esse meus, melius mucrone perirent,
Auferrétque mihi luctu leuiore sodales
Victa manus, quàm læsa fides, nullúsne clientum
Permanet? infensi comites, odere propinqui.
Quid moror inuisam lucem? qua sede recondam
Naufragij fragmenta mei? quæue arua requiram.

In qui-

In quibus haud vnquam Stilicho nimiumq; potentis
Italiæ nostras nomen circunsonet aures?
Hæc memorans, instante fugam Stilichone tetendit,
Expertas horrens aquilas, comitatur euntem
Pallor, & atra fames, & saucia liuidus ora
Luctus, & inferno stridentes agmine morbi,
Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo, nigròque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens: & dira fugantibus herbis
Numina, terrificumque Iouem, Triuiámque precatus,
Trans caput auersis manibus iaculatur in austrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.
Acrior interea visendi principis ardor
Accendit cum plebe patres & sæpe negatum
Flagitat aduentum, nec tali publica vota
Consensu tradunt ataui caluisse per vrbem,
Dacia bellipotens quum fregerit Vlpius arma,
Atque indignantes in iura redegerit Arctos,
Quum cinxere faces Hypanim, miratáque leges
Romanum stupuit Mæotica terra tribunal.
Non tantis patriæ studijs ad templa vocatus
Clemens Marce redis, quum gentibus vndique cinctam
Exuit Hesperiam paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum: nam flammeus imber in hostem
Decidit: hunc dorso trepidum fumante ferebat
Ambustus sonipes, hic tabescente solutus
Subsedit galea, liquefactáque fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.
Tunc contenta polo mortalis nescia teli

Pugna fuit, Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armauere deos, ſeu quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marei mores potuere mereri.
Nunc quoque præſidium Latio non deeſſet olympi,
Deficeret ſi noſtra manus: ſed prouidus æther
Noluit humano titulos auferre labori,
Ne tibi iam, princeps, ſoceri ſudore paratam,
Quam meruit virtus ambirent fulmina laurum.
Iam toties miſſi proceres, reſponſa morandi
Rettulerant, donec differri longius vrbis
Communes non paſſa preces, penetralibus altis
Proſilijt vultúque deam confeſſa coruſco
Impulit ipſa ſuis cunctantem Roma querelis,
Diſſimulata [G] *diu triſtes in amore repulſas*
Veſtra parens Auguſte queror: quonam vſque tenebit
Prælatus, mea vota Ligur [H] *? vetitúmque propinqua*
Luce frui, ſpatijs decernens gaudia paruis
Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?
Nónne ſemel ſpreuiſſe ſat eſt? quum reddita bellis
Africa venturi ſpe luſit principis vrbem?
Nec duras tantis precibus permouimus aures?
Aſt ego frænabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos: & nominis arcum
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga, pugnæ monumenta dicabam,
Defenſam [I] *titulo Libyam teſtata perenni.*
Iámque parabantur pompæ ſimulacra futuræ,
Tarpeio ſpectanda Ioui, cælata metallo
Claſſis, vt auratos ſulcaret remige fluctus,
Vt Maſſyla tuos anteirent oppida currus,

Palladiáque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis, & in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes,
Ipse Iugurthinam subiturus carcere pœnam,
Præberet, fera colla iugo, vi captus & armis,
Nec Bocchi Syllæue dolis; sed prima remitto,
Nunc præsens etiam Getici me laurea belli
Declinare potest? sedésne capacior vlla
Tantæ laudis erit? tua te benefacta morantem
Conueniunt; meritísque suis obnoxia virtus,
Quod seruauit amat. Iam flauescentia centum
Messibus æstiuæ detondent Gargara falces:
Spectatósque iterum nulli celebrantia * *ludos*
Circunflexa rapit centenus secula consul.
His annis qui lustra mihi bisdena recensent,
Nostra ter Augustos intra pomœria vidi,
Temporibus varijs: eadem sed causa trophæi
Ciuilis dissensus erat: venere superbi,
Scilicet vt Latio respersos sanguine currus
Aspicerem, quisquamne piæ lætanda parenti
Natorum lamenta putat fauere tyrannis?
Sed nobis periere tamen: cùm Gallica vulgo
Prælia iactaret, tacuit Pharsalica Cæsar.
» *Namque inter socias acies, cognatáque signa,*
» *Vt vinci miserum, nunquam vicisse decorum.*
Restituat priscum per te iam gloria morem
Verior, & fructum synceræ laudis ab hoste,
Desuetum iam redde mihi, sumptísque furoris
Externi spolijs sontes absolue triumphos.
Quem precor ad finem laribus seiuncta potestas

Exulat? imperiumque suis à sedibus errat?
Cur mea quæ cunctis tribuere palatia nomen
Neglecto squalent senio? nec creditur orbis
Illic posse regi? medium non deserit vnquam
Cœli Phœbus iter, radijs tamen omnia lustrat.
Segnius an veteres Istrum, Rhenúmque tenebant,
Qui nostram coluere domum? leuiúsne timebant
Tigris, & Euphrates, cùm fœdera Medus, & Indus
Hinc peteret, pacémque mea speraret ab arce?
Hîc illi mansere viri, quos mutua virtus
Legit, & in nomen Romanis rebus adoptans:
Iudicio pulchram seriem, non sanguine duxit.
Hîc [L] *proles atauum deducens Ælia Neruam,*
Tranquillíque Pij bellatoréſque Seueri.
Hoc ciuis dignare forum, conspectáque dudum
Ora refer, pompam recolens sub mente priorem,
Quem tenero patris comitem susceperat æuo,
Nũnc duce cum socero iuuenem te Tybris adoret.
Orantem medio princeps sermone refouit:
Nunquam aliquid frustra per me voluisse dolebis,
O Dea, nec legum [M] *fas est ocurrere matri.*
Sed nec post Libyam, (falsis ne perge querelis
Incusare tuos) patriæ mandata vocantis
Spreuimus: aduectæ misso Stilichone curules,
Vt nostras tibi Roma vices pro principe consul
Impleret, generóque socer, vidistis in illo
Me quoque, sic credit pietas, nec sanguine solo,
Sed claris potius factis experta parentem,
Cuncta quidem centum nequeam perstringere linguis,
Quæ pro me mundóque gerit: sed ab omnibus vnum,

Si fama nondum patuit, te Roma docebo,
Subiectum nostris oculis, & cuius agendi
Spectator vel causa fui populator Achiuæ,
Bistoniæque plagæ, crebris successibus amens,
Et ruptas animus spirans immanibus Alpes,
Iam Ligurum trepidis admouerat agmina muris,
Tutior auxilio brumæ, quod gentibus illis
Frigore [N] *consuetis fauet inclementia cœli,*
Meque minabatur calcato obsidere vallo,
Spem vano terrore fouens, si fortè remotis
Præsidijs vrgente metu, qua vellet obirem
Conditione fidem, nec me timor impulit vllus;
Et duce venturo fretum, memoremque tuorum
Roma ducum, quibus haud vnquam vel morte parata
Fœdus lucis amor pepigit dispendia famæ.
Mox & per Latium stellarum more videbam
Barbaricos ardere focos, iam classica primos
Excierant vigiles, gelida cùm pulcher ab Arcto
Aduentat Stilicho: medius se clauserat hostis
Inter me & socerum, pontemque viamque tenebat
Addua quà scissas spumosior incitat vndas.
Quid faceret? differret iter? discrimina nullas
Nostra dabant adeunda moras, perrumperet agmen?
Sed paucis comitatus erat: nam plurima retrò
Dum nobis properat succurrere, liquerat arma
Extera, vel nostras acies, hîc ille locatus
Ancipiti longum socias, tardúmque putauit
Expectasse manus, & nostra pericula tendit
Posthabitis pulsare suis, mediumque per hostem
Flammatus virtute [o] *pia, propriæque salutis*

Immemor, & stricto prosternens obuia ferro,
Barbara fulmineo secuit tentoria cursu.
Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,
Quod iuncto fidens Ithaco patefacta Dolonis
Indicio, dapibúsque simul, religatáque somno
Thracia sopiti penetrauerit agmina Rhœsi,
Graiaque rettulerit captos ad castra iugales,
Quorum (si qua fides augentibus omnia Musis)
Impetus excessit Zephyros, candorque pruinas.
Ecce virum, taciti nulla qui fraude soporis
Ense palàm sibi pandit iter, remeátque cruentus,
Et Diomedæis tantum præclarior ausis,
Quantum lux tenebris, manifestáque prælia furtis.
Adde quòd & ripis steterat munitior hostis,
Et cui non vigilem fas est componere Rhœsum,
Thrax erat; hic Thracum domitor: non tela retardant;
Obice non hæsit fluuij. Sic ille minacem
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens
Traiecit clypeo Tybrim, quo texerat vrbem
Tarquinio mirante Cocles, medijsque superbus
Porsennam respexit aquis, celer Addua nostro
Sulcatur socero: sed cùm transnaret Hetruscis
Ille dabat tergum, Geticis hic pectora bellis.
Exere nunc doctos tantæ certamine laudis
Roma choros & quanta tuis facundia pollet
Ingenijs nostrum digno sonet ore parentem.
Dixit: & antiquæ muros egressa [p] *Rauennæ*
Signa mouet: iamque ora Padus portúsque relinquit
Flumineos, certis vbi legibus aduena Nereus
Æstuat, & pronas puppes nunc amne secundo,

Nunc redeunte vehit, nudataque littora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis.
Lætior hinc fano [a] recipit Fortuna vetusto,
Despiciturque vagus prærupta valle Metaurus.
Qua mons arte patens viuo se perforat arcu,
Admisitque viam sectæ per viscera rupis,
Exuperans delubra Iouis, saxóque minantes
Apenninigenis cultas pastoribus aras.
Quum & Clitumni [R] sacras victoribus undas,
Candida quæ Latijs præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit, nec te miracula fontis
Prætereunt, tacito passu quem si quis adiret,
Lentus erat: si voce gradum maiore citasset,
Commixtis feruebat aquis, cumque omnibus vna
Sic natura vadis similes vt corporis vmbras
Ostendant, hæc sola nouam iactantia sortem,
Humanos properant imitari flumina mores.
Celsa dehinc patulum prospectans Narnia [s] campum
Regali calcatur equo: rarique coloris
Non procul amnis abest, vrbi qui nominis autor
Ilice sub densa syluis arctatus opacis,
Inter vtrunque iugum tortis amfractibus albet.
Inde salutato libatis Tybride lymphis,
Excipiunt arcus, operosáque semita vastis
Molibus, & quicquid tantæ præmittitur vrbi.
Ac velut officijs trepidantibus ora puellæ
Spe propriore tori mater solertior ornat
Adueniente proco: vestésque & cingula comit
Sæpe manu, viridique angustat iaspide pectus,
Substringítque comam gemmis, & colla monili

Circuit, & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis, placitura tuis, insignior auctis
Collibus, & nota maior se Roma videndam
Obtulit, addebant pulchrum noua [t] mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum:
Profecítque opifex decori timor, & vice mira,
Quam pax intulerat, bello discussa senectus.
Erexit subitas turres, cinctósque coegit
Septem continuo montes iuuenescere muro.
Ipse fauens votis, solitóque decentior aer,
Quamuis assiduo noctem fœdauerat imbre,
Principis, & solis radijs detersa remouit
Nubila, nam pluuijs ideo turbauerat omnes
Antè dies, lunamque rudem madefecerat Auster,
Ut tibi seruatum scirent conuexa serenum
Omne, Palatino qua pons à colle recedit
Miluius, & quantum licuit consurgere tectis,
Vna replet turbæ facies: vndare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes,
Exultant iuuenes æquæui principis annis,
Temnunt prisca senes, & in hunc sibi prospera fata
Gratantur durasse diem, moderatáque laudant
Tempora, quòd clemens aditu, quo tempora solus
Romanos vetuit [v] currum præcedere patres.
Cùm tamen Eucherius, cui regius vndique sanguis
Atque Augusta soror, fratri præberet ouanti
Militis officium; sic illum dura parentis
Instituit pietas, in se vel pignora parci:
Quique [x] neget nato, procerum [y] quod præstet honori.
Hoc sibi cura senum, maturaque comprobat ætas,

Idque

Idque inter veteris speciem, praesentis & aulae
Iudicat hunc ciuem, dominos venisse priores.
Conspicuas tum flore genas, diademate crinem,
Membráque gemmato trabeae viridantia cinctu,
Et fortes humeros, & certatura Lyae
Inter Erythraeos surgentia colla Smaragdos
Mirari sine fine nurus, ignaráque virgo,
Cui simplex calet ore pudor, per singula cernens,
Nutricem consultat anum; quid fixa [z] draconum
Ora velint, ventis fluitent, an vera minentur
Sibila, suspensum rapturi faucibus hostem.
Vt chalybe indutos equites, & in aere latentes
Vidit cornipedes, quánam de gente rogabat
Ferrati venere viri: quae terra metallo
Nascentes informat equos? num Lemnius autor
Addidit hinnitum ferro, simulacraque bellis
Viua dedit? gaudet metuens; & pollice monstrat,
Quòd picturatas galeae Iunonia cristas
Ornet auis, vel quòd rigidos vibrata per armos
Rubra sub aurato crispentur serica dorso.
Tunc tibi magnorum mercem fortuna laborum
Persoluit, Stilicho, curru cùm vectus eodem
Vrbe triumphantem generum florente iuuenta
Conspiceres, illumque diem sub corde referres,
Quo tibi confusa dubijs formidine rebus
Infantem genitor moriens commisit alendum.
Virtutes variae fructus sensere receptos:
Depositum seruasse fides, constantia paruum
Profecisse orbi, pietas fouisse propinquum.

Hic est ille puer, qui nunc ad rostra Quirites
Euocat, & solio fultus genitoris eburno,
Gestarum patribus causas ex ordine rerum,
Euentusque refert: veterumque exempla sequutus,
Digerit imperij sub iudice facta Senatu.
Nil cumulat, verbisque nihil fiducia celat,
Fucati sermonis opem mens conscia laudis
Abnuit: agnoscunt proceres: habituque Gabino
Principis, & ducibus circumstipata togatis
Iure paludatæ iam curia militat aulæ.
Affuit ipsa suis ales Victoria [c] *templis*
Romanæ tutela togæ, quæ diuite penna
Patritij reuerenda fouet sacraria cœtus:
Castrorumque eadem comes indefessa tuorum,
Nunc tandem fruitur votis, atque omne futurum
Te Romæ, seseque tibi promittit in æuum.
Hinc te iam patrijs laribus via nomine vero
Sacra refert: flagrat studijs concordia vulgi,
Quam non illecebris dispersi colligis auri,
Nec tibi venales captant æraria plausus
» *Corruptura fidem: meritis offertur inemptus*
» *Pura mente fauor. nam munere charior omni*
» *Adstringit sua quemque salus. procul ambitus errat.*
» *Non quærit pretium, vitam qui debet amori.*
O quantum populo secreti numinis addit
Imperij præsens species, quantàmque rependit
Maiestas alterna vicem, cùm regia, circi,
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus:
Consensúque cauæ sublatus in æthera vallis

Plebis [D] adoratæ reboat fragor, vnaque totis
Intonat Augustum septenis arcibus Echo.
Nec solis hic cursus equis: assueta quadrigis
Cingunt arua tigres, subitaque aspectus arenæ
Diffundit [E] Libycos aliena valle cruores
Hic [F] & belligeros exercuit area lusus.
Armatos hic sæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfusósque recursus.
Et pulchras errorum acies iucundáque Martis
Cernimus, insonuit cum verbere signa magister,
Mutatos edunt pariter tunc pectora motus.
In latus illisis clypeis [G] aut rursus in altum
Vibratis; graue parma sonat, mucronis acutum
Murmur; & vmbonum pulsu modulante resultans,
Ferreus alterno concentus clauditur ense.
Vnà omnis submissa phalanx, tantæque salutant
Te princeps galeæ: partitis inde cateruis
In varios docto discurritur ordine gyros,
Quos neque semiferi Gortynia tecta iuuenci,
Flumina nec crebro vincant Mæandria flexu,
Discreto reuoluta gradu, torquentur in orbes
Agmina, perpetuísque immota cardine claustris
Janus bella premens, læta sub imagine pugnæ
Armorum innocuos paci largitur honores.
Jamque nouum fastis aperit felicibus annum,
Ore coronatus gemino, iam Tybris in vno
Et Bruti cernit trabeas, & sceptra Quirini.
Consule lætatur post plurima secula viso
Pallantæus apex; agnoscunt rostra curules

Auditas quondam proauis; desuetáque cingit
Regius auratis fora fascibus Vlpia lictor,
Et sextas Getica præuelans fronde secures
Colla triumphati proculcat Honorius Istri.
Exeat in populos cunctis illustrior annus
Natus fonte suo, quem non aliena per arua
Induit hospes honor, cuius cunabula fouit
Curia quem primi tandem videre Quirites,
Quem domitis auspex peperit victoria bellis.
Hunc & priuati titulis famulantibus anni,
Et quos armipotens genitor, Regesque priores
Diuersis gessere locis, ceu numen adorent.
Hunc & quinque tui, vel quos habiturus in Vrbe,
Post alios Auguste colant: licet vnus in omnes
Consul eas, magno sextus tamen ipse superbit
Nomine; præteritis melior venientibus autor.

FINIS

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN VI. CONSVLATVM HONORII AVGVSTI.

PRÆFATIO. Hanc præfationem quidam præposterè ingeniosi, quod etiam aduertit Parrhasius, aliò transtulerant, rati opinor, librum 3. Prof. hoc de se mereri cum etiã hic fiat aliqua Ætnæ mentio: sed næ illi frustrà sunt, nam de Honorio loquitur, cuius auspiciis Enceladus, id est, Alarichus paullo ante debellatus est. Hic vero Consulatus VI. Honorij cũ Aristeneto incidit in annum 404.

PERMVTAT. Hîc conuentio iuris gentium elucet. Permutatio equidem honestior est, & contractus innominatus, neque enim discerni potest vter emptor vter sit venditor. olim ait Paulus Iurisc. non fuere numi quarè & emptio & precium ignota erant. extat huius rei exemplum nobile ac festiuum de Græcis bibaculis il. n. nos ita vertimus: Vt quæ vina ferant Lemno venere carinæ Captat Achea manus natiuos læta capillos, Illi ere bi ferro quod a dhuc candescit ab igne, Pellibus hi, tauris alij, pars denique seruis.

INARIMES. Nunquam sane videram eiusmodi nominatiuum, non ideò tamen sequitur esse reijculum: quidam in vet. libri ora scripserat inarine premit hunc: ego tamen minimè probaui, donec se mihi offerret aliqua auctoritas, sed ecce commodùm Seruius qui IX. Æn. ira effert: Inarimes, mons fuit qui terræ motu diffusus alteram insulam fecit, quæ prochyta ab effusione dicta, sic etiam Leucate & Leucates: hunc vero locũ imitatur Sidonius: Enceladus Patri iacuit fratríque Tiphœus, Euboicam hic rupem sustinet, hic Siculam, vide quæ de hac voce notauimus in Proserpinam.

EN PRINCPS. Per Principem intellige Honorium Aug. qui Dei personam sustinet in terris: per deos intellige vi-

ros inlustres, clarissimos, spectabiles, perfectissimos vel potius purpureum Senatum.

a *FORTVNAE.* Varia olim epitheta Diis gentium adsignata sed Fortunam Reducem non legi nisi sub imperio Domitiani, Martialis: Hic vbi Fortunæ Reducis fulgentia latè Templa nitent, felix area nuper erat, sed & IuppiterRedux eidem: Dum noua Pannonici narratur gloria belli, Omnis & ad Reducem dum litat ara Iouem.

b *VRNA.* Luc.v. Decantátque tribus & vana versat in vrna. idem: nam quo melius Pharsalicus annus Consule notus erit? fingit solennia campus, Et non admissæ dirimit suffragia plebis.

c *ANNVS.* Ita v. cod. sed enim Cuiacius in ora libri quem contulit, se amnis reperisse adserit, quod fortè verum est, propter anni repetitionem, quæ proximè sequitur.

D *BABYLONIA* cura. Horatius Babylonios numeros eadem significatione dixit. Lucano Cura Assyria, est studium Astrorum quo gens Chaldaica primitùs effloruit. Cura Iouis de Bel. Get. nihil aliud est quam cura cæli, vel siderum.

E *CAELICOLAE.* Iulianus imp. ait deos in suprema cæli regione conuiuari & hunc versum addit: Οὔλυμπόν δ' ὅπι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί. Statius: At Iouis imperio rapidi super atria cæli Lectus concilio diuum conuenerat ordo.

F *DELPHIS.* Hîc notat Phœbum seu solem hyemalem qui medio cæli relicto ac parte orbis media Hyperboreis tractibus inlucet. Ouid. orbe In medio positi caruerunt præside Delphi.

G *GRYPHA.* Iugales tribuit soli pro soli ratione, quem locũ pulcre imitatur Sidonius.

H *VIVERE* fontes. eleganter Virg. donec me flumine viuo Abluero. vir sanè accuratus non potuit receptam hanc lectionem probare: eius vero coniectura longè resilit: sic numina fonti.

I *LAREM.* Satis constat Impp. habitasse in monte Palatino. Ouidius: Forsitan expectes an ad alta palatia missum Scandere te iubeam, cæsareámque domum.

K *TARPEIA.* Capitolium innuit, Iouis & deorum terrestre domicilium: Iouis autem delubra, ait ille, quantùm diuina terrenis præcellunt.

ᵗ *CÆLATAS.* De his foribus memorabile exemplum Zosimus protulit, vt erat ethnicus, in hanc sententiam: Fertur Stilicho arcana vindictæ non effugisse: cum enim is mādasset, vt fores Capitolij, quæ auri laminis erant obductę, nudarentur: Sinistrum illud elogium repertum est: Misero Regi seruantur: atque huic inscriptioni respondit euentus. nam dux ille regia affinitate conspicuus miserè obijt, cum teste Zos. noluerit, cum posset, præuenire Principem.

ᵘ *COLVMNIS.* Augustus victo Antonio & Cleopatra ex rostris nauium Ægypti quatuor columnas erexit quæ postea positæ in Capitolio à Domit. eas vidit Seruius.

ᵘ *PRIVATA.* Lat. Pacatus de eodem. Te omnibus principem, singulis exhibuisti senatorem, vt crebro ciuilique progressu non publica tantùm opera lustraueris, sed priuatas quoque ædes diuinis vestibus consecraris, remota custodia militari, tutior, publici amoris excubiis. Plin. Traianum ciuem vocat. Impp. in Nouel. se πολίτας dictitant. Iul. Imp. lib. XII. Cod. se numerat in ordine senatorum.

• *SOCIVM.* Mirus amor Theodosij qui filium suum pene infantem in partem, honoris adlexerit, ac legationem Persicā (de qua Niceph.) tali adsessore exceperit, idem affectus Valētiniano hæc verba elicuit, vbi suum filium Grat. iussisset tribunal ascendere: Accipite, milites, desiderium nostrum, reputātes quæ fieri charitatis sanciunt iura.

ᵖ *DITANDAS.* hic locus valdè, non tamen malè intricatus est, quinimò dignus cui sua lux & splendor accedat. Tecum, ait, imperator Theodosius congiarium populo dedit: quæ à iurisconsulto dicitur principalis liberalitas: tecum in Senatum consulari habitu insignis se contulit. hæc vero contigere sub annum 388. cum vix esset quadrimulus Honorius. sed est Mart. epigramma vbi hæc satis obscura: Et ditant latias tertia dona tribus. vnde quis colligat Senatum Domitiano Imp. in militiā profecto, sacris pro eius salute peractis, in Tribus Romanas aliquid misisse: sed Iunij codex habuit: Et libant latiæ tertia dona tribus: fides sit penes ipsum.

ᵠ *INOLEVIT.* Elegans verbum; neque dubito quin Ausonius in Paneg. dixerit: iam nubibus fumus inoleuerat, pro Inuoluerat: de sententia, Cuiacij.

ʳ *EVALVIT.* Et hoc minus vulgare; quo etiam vsus est,

sub finem huius Paneg. id est Potuit.

[s] *OPTARE*. Verbum satis delicatum, quo animi nostri desiderium potius quam electio videtur exprimi, quidam ab ὄπτω putant deduci, sed in iure promiscue ferè sumitur.

[t] *CONTINGAT* mea Roma. Quasi dicat veterem Româ esse noua Roma splendidiorem, ac potiorem, quæ sane prærogatiua vel inuito Constantino ei seruata est. In Nouellis Theod. iunioris qui Orientis Imperator: Vrbis Romæ, quam merito caput nostri Imperij veneramur in tantum nos cura non deserit, at vide Calcedonense Concilium. Constat sane Occidentale imperium præualuisse Orienti: nam Valentinianus adscito fratre Valente id retinuit, neque aliter egit Gratianus, idem paruulus hic sed argutulus princeps innuit: Eam primo sedes Apostolica illustrat, cui Impp. id honoris detulere vt respectu illius pontificatu maximo se abdicarint: quamuis enim Gratianus in antiquis inscr. eo titulo sit auctus: scimus tamen eum, vbi plenius à D. Ambrosio instructus fuit, hunc titulum respuisse: vnde illud apud Zosimum si Princeps non vult appellari Pontifex, breui fiet Pontifex, Maximus tyrannus scilicet eius interfector. Quanti vero fuerit momenti Damasi electio Ammianus docet, eique tribuit plus quam Regium apparatum: non tamẽ adeo vrbs illa veteri fermento potuit mundari, vt non aliqua sui parte Babylon dici tunc meruerit, cum aliàs Paradisi nomine posset indigitari: ni Symmachus, & maior numerus primatium ac Leontius Nouatianorum Episcopus inibi residens, obstitisset, hodie vero integra est & pura ab ista sentina hæreseos.

[v] *SERENA*. Hæc filia Honorij senioris fratris Theodosij, quam ipse cum sorore Thermantia adoptauit, ac dedit nuptum Stilichoni, profecta est Byzantio cum Honorio quem fouebat vt par erat: is verò ad patrem properabat vt imperium Occidentis, occiso Eugenio, pacatum sortiretur. Illa sanè multis animi & corporis dotibus insignis fuit, vt suo loco videtis sed parum fausti exitus. Mariam enim Aug. filiam adhuc tenellam sepelijt: alteram solio deiectam recepit. Maritum ac filium Eucherium violenta morte ademtos luxit miserabili nænia; dum ipsa feritate Placidiæ interiret, dicebatur enim Alarichus ea viua non solutur[us] obsidionem. At si Zosimo peruicaci hac in re credimus, Serenæ id merito contigit, quia Magnæ matris deum monile collo suo aptauerat, quo nomine Vestalis ei imprecata sit malum ineuitabile.

POL-

x *POLLENTINI.* De Pollentia supra dictum est Bel. Getico. ar Cassiod. ait V. Honorii Consulatu Stilichonem victum à Gothis & fugatum. vtrumque falsò.

y *VERONA.* Euganeorum vrbs auctore Plinio, eam Gallienus imperator suo nomine illustrari voluit atque opinor instaurauit, vt patet ex veteri inscriptione: Colonia Augusta Verona Noua Gallieniana Notandū est vero Claudianū de secunda clade Alarichi agere quæ nihilo minor Pollentina fuerit, vnde coniicias medio tempore fuisse aliquod pactum inter Honoriū & ipsum: vt nimirum in Gallias recederet, quo Geta se non obligatum ratus, progredi quàm regredi maluerit.

z *PACTA* mouet. Cuiacius Diu in eo quærendo fuit quid esset pactum.

a *DVPLICI* lucro. Freculphus è quodam vetustiore refert Arbogasten promotorem Eugenij fudisse decem millia Gothorum Theodosij, quos vtique perdidisse lucrum, & vinci vincere fuit.

b *ALANI.* Id est Sauli, de quo supra, qui & Saulis non Saulus dici videtur.

c *I POTIVS.* Supra in Eutr. Viue pudor fatis. Ouid. Viue precor: sic te melius quàm funere perdam.

d *OMNIBVS* exclusus. Nullæ vrbes accipiunt, nulla mœnia, deterior indies fit loco alieno, vnde nec mirum si quasi sedendo superati queat, ex sententia Liuij.

e *SVBIVGAT* animo. Polybius id etiam tradit, ac sent. nullnam esse firmam victoriam nisi animos quoque hostium deieceris.

f *CYBELEIA.* Scal semor lib. v. Poet. Hæc ait accedere ad lucem Virgilianam directis metaphoris.

g *SATIARE.* Cuiacius ex hoc loco libens ita emēdasset Horatij locum: Heu nimis longo satiare ludo, vel: Heu minus longo satiate ludo ex alio versu in Ruf. Numina Romanis nondū satiata ruinis, quasi dixerit Horatius: minus satiate, nulla sane gratia in illo sapphico vt effertur hodie, quam vnius litterulæ mutatio queat reddere.

h *MARCE.* M. Antoninus Imp. teste Xiphilino Quados

ope legionis ex euentu Κεραυνοβόλου, seu fulminatricis profligauit. hoc vero Claudianus non adserit magicis artibus effectum, sed ducis optimi pietate. Liuius, omnia prospera eueniunt colentibus deos, aduersa spernentibus, vide Del.

[i] *DISSIMVLATA* Diu. Hic versus aberat à vet. codice neque agnoscere potui.

[k] *LIGVR.* Rauennam intellige quam vult poeta sitam esse in Liguria, aut eius finibus (nisi Mediolanum velis) proximam cum Plinius in Boiis statuat. hanc vrbem Roma derelicta coluit Honorius, nec adduci potuit vllis precibus senatus & pop. Rom. vt eam reuiseret: quanuis, Gildone fuso, quinque annis ante speratus fuerit, ac ei triumphalis currus & Arcus Honorianus destinatus. Sane aut respectu sedis Apostolicæ ita se subduxit aut Stilichonis, ipsi alioqui addictissimi, causa. Is enim sua virtute militari, & specie verenda insigni popularitate mixta ciuium prope omnium mentes inretiuerat, adeò vt præ socero non magna esset generi maiestas, quod sanè mihi inijcit scrupulum de Stilichone, non quod viuo Honorio quidquam ausurus fuerit, sed quia nimiùm turgida vela non contrahebat, gliscente in dies auctoritate.

[l] *TITVLO.* Vide supra in Gild. vbi inscriptio de qua hîc agitur.

[m] *LVDOS.* Sæculares scilicet, de quibus Zosimus harum rerum scientissimus multa haud vulgaria, sed profanus est nimis cum ait Romanum imperium collapsum eo præcipuè quod Sacra illa sit desita, vide ipsius oracula, sed malim consulere Tertullianum, qui hæc etiam callebat mysteria.

[n] *ÆLIA* proles. designat Hadrianum laudatissimum imperatorem, sed & Flaccilla Theodosij vxor id nominis habuit.

[o] *LEGVM.* Ergo Roma legum mater, non Constantinopolis, quæ potius nouerca: vbi Tribunianus & consortes operum leges malè habitas quasi ieiunio & macie adflixere, quinimò Iustinianus ipse Theodosii magni legum vindicis statuam argenteam quasi deturbauit, vt suam in columna reponeret, quod tamen facinus Barbari postea, auctore Gyllio, vlti sunt; nam Iustiniani statua vna cum columna euersa est, vtque indigesta & mutila iuris arcana emisit, sic eius monumentum in particulas & frusta dissiliit.

[p] *FRIGORE.* Gens gentem præcedit in bello (ait Vegetius)

& plaga cæli non tantum ad robur corporum, ſed etiam animorum facit. vide Paneg. quæ dicta Impp. Diocl. & Maximiano.

q *VIRTVTE* pia. dicas hîc Claudianum bene ſentire de religione; nam Prudentius, de eodem, reſcribens, ait Honorium & Stilichonem Chriſtum coluiſſe additque: Huius adoratis altaribus & cruce fronti inſcripta cecinere tubæ.

r *RAVENNÆ*. Illic Honorius Romam peroſus habitauit. Zonaras: εἰς Ῥαβένναν μεταναστεύσας διεπέμψατο πρὸς Ἀλάριχον, ὥς λόγος, ἀξιῶν αὐτὸν κατὰ τῆς Ῥώμης στρατεύεσθαι. Qua in re ſibi defuiſſe ait, nam cum Alarichus ab eo, vt fertur, ſuſcitatus Romam diripuiſſet, quaſi communi ſenſu deſtitutus eſt, vtque nuntius dixit: Romam captam eſſe: reſpondit Roma hic modò fuit quomodo capta eſt. alebat vero gallinam magnam ſeu ſtruthiocamelum, aut meleagrida quã in cõtumeliam vrbis vocabat Romam.

s *FANO*. Ptolemæus habet Φᾶνον φορτοῦναι quod mireris, non procul ab eo Μέταυρος vmbriæ fluuius, vt Sidonius deſcribit cuius Epiſtola hæc omnia delibat, hîc vero via Flaminia deſignantur; quæ conſularis auctore Suetonio ad quam proculdubio tendit Honorius aut quà procedit.

t *CLITVMNVS* fluuius in Mæuania quæ pars vmbriæ, de quo Plin. Sec. in epiſtolis.

v *NARNIA*. Seruius 7. Æn. In via Flaminia eſt ciuitas Narnia in montibus poſita, quibus ſubeſt Nar fluuius qui Tiberino iungitur. notandum eſt vero in iſto tractu puluerem labente pluuia excitari vide Plin. lib. 31.

x *NOVA MOENIA*. Exſtat Romæ inſcriptio in hanc rem: S.P.Q.R. Impp. Cæſſ. D D. N N. Inuictiſſimis Principibus Arcadio & Honorio, victoribus ac triumfatoribus ſẽper Augg. Ob inſtauratos vrbis æternæ muros, portas, ac turres, egeſtis immenſis ruderibus ex ſuggeſtione v.c. & inluſtris militis & Mag. vtriuſque militiæ Fl. Stilichonis ad perpetuitatẽ nominis eorum ſimulachra conſtituit, curante Fl. Macrobio lõgimano v.c. Præfecto Vrbi. D. N. M. Q. eorum. Atque hic vides candorem ſimul & magnanimitatem Stilichonis, imò reuerentiam erga Honorium cui iam tum fortè male ſuſpectus erat ex delatione inuidorum, ſed hæc forte aſtu prouiſa ſunt.

y *VETVIT*. Adeò pulchrè educatus fuit à Stilichone Hono-

rius vt Senatui plurimum deferret, quod est inprimis laudabile aliàs nihil regium aut egregium de principe speraueris. Moris erat quidem vt Senatores & sanguis patricius imperatori triumphanti obuiam procederent (vt veteres Panegyrici docent) sed hunc honorem modestè ac generosè recusauit Honorius.

[z] *QVIQVE* neget nato. Quotquot fuere illa tempestate viri in rerum fastigijs constituti eos longè animi moderatione anteiuit Stilicho (vt ait Zosimus) licet enim vltimo Theodosij elogio vtriusque Imperij summa ei commissa fuerit, & annos XXIII. militare culmen obtinuerit, nunquam tamen numerata pecunia duces creauit, aut annonam in suum commodum vertere sustinuit, cúmque vnius filij pater esset, hanc ei metam posuit vt dignitatem Tribuni ac Notarij non transcenderet. Ad quam tamen peruenit poeta noster, sed Eucherium fuisse Primicerium Notarr. facile crediderim. Orosius verò auctor sui semper similis, longe aliter scribit: Nempe Stilichonem vt filium purpura indueret totius orbis sanguinem fudisse.

[A] *ROCERVM* quod. L. Pacatus: Cum plus ferè filios quã nosmetipsos diligamus: omne vicit exemplum qui amicos his prætulit quos sibi præferebat.

[B] *DRACONVM.* Signum est purpureum Draconis teste Ammiano hastæ aptatum. Idem de Constantio Imp. vrbem intrante: Dracones hastarum summitatibus gemmatis illigati, hi atu vasto perflatiles, vide reliqua. Sidonius pulchrè imitatur Claud. patulo mentitur hiactu Iratam pictura famem, pannóque furorem Aura facit. vide numisma Iuliani Imp. vbi Draconem in vexillo posuit, ad inuidiam Labari, seu Labori.

[C] *CHALYBE.* In hanc rem elegans Nazarius: Campum latè iacentem tantus miles oppleuerat, vt non improbaret fiduciã qui instructos videret, operimento ferri equi atque homines pariter obsepti, demissa lorica crurum tenus pendens, à noxa vulneris vindicabat, duplicabat armatura terrorem.

[D] *IVNONIA* auis. Pauo scilicet. In pictura Aquileiensi (ait Panegyristes) puella offert Constantino galeam auro gemmísque radiantem, & pennis pulchræ alitis eminentem, Polybio: Tres pennæ puniceæ ad cubiti longitudinem virum duplo maiorem hostique formidabilem reddunt.

[a] *VICTORIA.* Hinc patet Victoriam pro qua Symmachus, renitente B. Ambrosio non sublatam, aut postmodo repositam. Hanc primo Constantius euertit, sed ignorante Valentiniano seniore aut conniuente restituta est, postea Gratianus tolli decreuit: at eius frater Valentin. iunior gentiliũ precibus cõcessit. in hanc rem Cic. de Nat. deorũ: Res in qua vis inest maior aliqua sic appellatur, vt ea ipsa vis nominetur Deus, vt Fides, Mens, Concordia, Libertas, Victoria: quarum quia vis est tanta vt sine deo regi non possint, ipsa res deorum nomen obtinuit atque hæc sunt arcana theologiæ si fas dicere paganæ: vide Sym. sed elegans distichon satis ostendit quid potuerit magnus ille Ambrosius: Dicendi palmam victoria tollit amico, Transit ad Ambrosium plus valet ira deę.

[f] *PLEBIS* adoratæ. Claudius Cęsar (ait Suet.) spectacula edentes voce ac manu veneratus est. Otho apud Tacitum protendens manus adorat vulgum. Rex vero Franciæ, vt scribit Cedrenus, mense maio prodit in publicum, & coram tota gente præsidet; eam adorat, inque vicem adoratur ab ea verba eius: τὸν Ρῆγα Φραγκίας προσκύνειν καὶ ἀντιπροσκυνεῖσθαι, atque hæc olim, ad exorandam Nemesim, Romani imperatores.

[g] *LIBYCOS.* Cum Honorius, inquit Paulinus, Consulatu suo (non hoc tamen) munus libycarum ferarum ederet Comes Stilicho iussit Cresconium adduci. At Ambrosius altari adfixum cum suis circondedit, sed satellites præualuere.

[h] *HIC* & belligeros. Hîc varia spectaculorum, sed innocuorum, genera, cruenta sustulit Constantinus. Cod. lib. xi. Omnino inquit gladiatores esse prohibemus. Prudentius te precor Ausonij dux augustissime regni vt tam triste sacrum iubeas, vt cætera, tolli. Itaque Honorius etiam sustulit, vt & refert historia.

[i] *CLYPEIS.* De Hoplomacis, Pyrrhicariis & reliquis multi multa edisserunt. Iulius Cæs. Scaliger sæpè & diu coram Maximiliano I. iussu Bonifacii patrui, non sine stupore totius Germaniæ repræsentauit πανοπλίαν; de quo imperator; Hic puer aut thoracem pro pelle, aut pro cunis habuit, id vero scribit in lib. Poetices. Cæterum vera Clypei forma rotunda erat olim, hodíeque talis apud nos, ad instar τοῦ ζώου ἀσπίδος quæ cau-

dã, vt hic poeta loquitur, reducto ore vorat. Ariſtophanis interpres : Κυκλικαὶ γὰρ ἦσαν αἱ Ἀσπίδες τῶν παλαιῶν. In hac dictione duo magni & græca eruditione Iuriſconſulti ſe miro lapſu inſigniuere, vt me olim monuit ſidereus, imo oculus mũdi Cuiacius. Extat vero nobile epigramma ætate, ni fallor, Iuſtiniani Pandectis præfixum, verſibus latinis traductum vbi hæc. Οἷά τις Ἡρακλῆι πανάιολον Ἀσπίδα τεύξας. Alciatus: Tanquam aliquis varium componens Aſpida magno Alcidæ, hunc ſecutus Contius: Alcidæ haud melius varium quiſquam Aſpida magno Excudat, ſane dubitanter exprimunt Ἀσπίδα, eiuſque epithetum πανάιολον cuius terminatio non impedit quominus ſit generis feminini, cauſa incognita, quaſi capite minuũt. Heſiodus autem poœma edidit cuius inſcriptio: Ἀσπὶς Ἡρακλέους quam & σάκος πανάιολον vocat vnde ſine dubio hoc Epigr. colorem duxit, atque hæc poſteris inuidere nolui.

IN PANEGYRIN MANLII THEODORI CONSVLIS PROLOGVS.

[A] *AVdebísne precor doctæ subiecta cateruæ*
Inter tot proceres nostra Thalia loqui?
Nec te fama vetat vero quam celsius actam,
Vel seruasse labor, vel minuisse pudor?
An tibi continuis creuit fiducia castris,
Totáque iam vatis pectora miles [B] habet?
Lumina [C] Romani, maiestatémque Senatus,
Et quibus exultat [D] Gallia cerne viros.
Omnibus audimur terris, mundíque per aures
Ibimus; ah nimius Consulis vrget amor.
Iuppiter (vt perhibent) spatium cùm discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui,
Armigeros vtrinque duos æqualibus alis,
Misit ab eois occiduísque plagis.
Parnassus [E] geminos fertur iunxisse volatus,
Contulit alternas Pythius axis aues.
Princeps non aquilis terram cognoscere curat,
Certius in nobis æstimat imperium.
Hoc [F] ego concilio collectum metior orbem,
Hoc video cœtu quicquid vbique micat.

CL. CLAVDIANI IN CONSVLATVM MANLII THEODORI PAnegyris.

A

IPSA quidem virtus pretium sibi soláque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plausúue petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis, immotáque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.
Attamen inuitam blandè vestigat, & vltro
Ambit honor: docuit toties à rupe profectus
Lictor & in medijs consul quæsitus aratris.
Te quoque naturæ sacris, mundique vacantem,
Emeritum pridem, desudatísque remotum
Iudicijs eadem rursus complexa potestas
Euehit, & reducem notis imponit habenis.
Accedunt trabeæ, nil iam Theodore relictum,
Quo virtus animo crescat, vel splendor honore.
Culmen vtrunque tenes, talem te protinus anni
Formauere rudes, & dignum vita curuli

Taxit

Traxit iter, primæque senes cessere iuuentæ.
Iam tunc canicies animi, iam dulce loquendi
Pondus, & attonitas sermo qui duceret aures,
Mox vndare foro victrix opulentia linguæ.
Tutarique reos, ipsa hæc amplissima sedes.
Orantem stupuit, bis laudatura regentem.
Hinc te pars [H] *Libyæ moderantem iura probauit,*
Quæ nunc tota probat: longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ populúmque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.
Inde [I] *tibi Macetum tellus, & condita Pellæ*
Mœnia, quæ famulus quondam ditauit Hydaspes.
Tantáque commissæ reuocasti gaudia genti
Mitibus arbitrijs, quantùm bellante Philippo
Floruit, aut nigri cecidit quum regia Pori.
Sed non vlterius te præbuit vrbibus aula
Maluit esse suum, terris edicta daturus,
Supplicibus responsa venis: oracula [K] *regis*
Eloquio creuere tuo, nec dignius vnquam
Maiestas meminit sese Romana loquutam.
Hinc sacreæ [L] *mandantur opes, orbísque tributa*
Possessi quicquid fluuijs euoluitur auri,
Quicquid luce procul venas rimata sequaces
Addita pallentis fodit solertia [M] *Bessi.*
Ac velut excitus lentandis nauita tonsis
Præficitur lateri custos, hinc ardua proræ
Temperat, & fluctus tempestatésque futuras
Edocet, assiduo cùm Dorida vicerit vsu:
Iam clauum totámque subit torquere carinam.
Sic quum clara diu rerum documenta dedisses,

Non te parte sui, sed in omni corpore sumpsit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores: Hispana [n] tibi, Germanaque Tethys
Paruit, & nostro diducta Britannia mundo,
Diuersoque tuas coluerunt gurgite voces,
Lentus Arar [o], Rhodanúsque celer, & diues Iberus.
O quoties doluit Rhenus, quà barbarus ibat,
Quòd te non geminis frueretur iudice ripis.
Vnius sit cura viri, quodcunque rubescit
Occasu, quodcunque dies deuexior ambit.
Tum celer assiduos expleuit cursus honores.
Vna potestatum spatijs interfuit ætas,
Tótque gradus fati iuuenilibus intulit annis.
Postquam parta quies, & summum nacta cacumen
Iam secura petit priuatum gloria portum,
Ingenij redeunt fructûs, alijque labores,
Et vitæ pars nulla perit: quodcunque recedit
Litibus, incumbit studijs; animúsque vicissim
Aut curam imponit populis, aut otia Musis.
Omnia [p] Cecropiæ relegis secreta senectæ,
Discutiens, quid quisque nouum mandauerit æuo,
Quantaque diuersæ producant agmina sectæ.
Nanque alijs princeps rerum disponitur aër,
Hic confidit aquis, hic procreat omnia flammis,
Alter in Ætnæas casurus sponte fauillas
Dispergit, reuocatque Deum: rursúsque receptis
Nectit amicitijs quicquid discordia soluit.
Corporis hic damnat sensus, verúmque videri
Pernegat, his semper lapsuræ pondera terræ,
Conatur rapido cæli fulcire rotatu,

Accenditque diem prærupti turbine saxi.
Ille ferox, vnoque tegi non passus olympo,
Immensum per inane volat finémque perosus;
Parturit innumeros angusto pectore mundos.
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis.
Numina constituunt alij, casúsque relegant.
Graiorum obscuras Romanis floribus artes
Irradias, vicibus gratis formare loquentes
Suetus, & alterno verum contexere nodo.
Quicquid Socratico manauit ab ordine, quicquid
Docta Cleantææ sonuerunt atria turbæ,
Inuentum quodcunque tuo Chrysippe recessu,
Quicquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras, vno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & maior collectis viribus exit.
Ornantur veteres, & nobiliore magistro
In Latium spretis Academia migrat Athenis,
Vt tandem propius discat, quo fine beatum
Dirigitur, quæ norma boni, quis limes honesti,
Quænam membra sui virtus diuisa domandis
Obiectet vitijs, quæ pars iniusta recidat,
Quæ vincat ratione metus, quæ frænet amores,
At quoties elementa doces, sempérque fluentis
Materiæ causas, quæ vis animauerit astra,
Impleritque choros, quo viuat machina motu,
Sidera cur septem retro nitantur in ortus
Obluctata polo: varijsque meatibus idem
Arbiter, an geminæ conuertant æthera mentes:
Sitne color proprius rerum, lucísque repulsu
Eludant aciem: tumidos quæ luna recursus

Nutriat Oceani, quo fracta tonitrua vento,
Quis trahat imbriferas nubes, quî saxa creentur
Grandinis, vnde rigor niuibus, quæ flamma per auras
Excutiat rutilos tractus, aut fulmina velox
Torqueat, aut tristem figat crinita cometen.
Jam tibi compositam fundauerat anchora puppim,
Telluris iam certus eras, facunda placebant
Otia, nascentes ibant in sæcula libri:
Quum subito liquida cessantem vidit ab æthra
Justitia, & tanto viduatas iudice leges:
Continuo frontem limbo velata pudicam,
Deserit autumni portas, quà vergit in austrum
Signifer, & noctis reparant dispendia chelæ.
Pax auibus, quacunque volat, rabiémque frementes
Deposuere feræ; lætatur terra reuerso
Numine, quod prisci post tempora perdidit auri.
Illa per occultum Ligurum se mœnibus infert,
Et castos leuibus plantis ingressa penates,
Inuenit æthereos signantem in puluere cursus,
Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis:
Quæ moueant momenta polum, quàm certus in astris
Error, quis tenebras solis, causísque meantem
Defectum videat numerus, quæ linea Phœben
Damnet, & excluso pallentem fratre relinquat.
Vt procul aspexit fulgentia virginis ora,
Cognouitque deam, vultus veneratur amicos;
Occurrit, scriptæque notas confundit arenæ.
Tunc sic diua prior: Manli syncera bonorum
Congeries, in quo veteris vestigia recti,
Et ductos video mores meliore metallo;

Iam satis indultum studijs, Musæque tot annos
Eripuere mihi; pridem te iura reposcunt.
Aggredere, & nostro rursum te redde labori:
Nec tibi sufficiat transmissæ gloria vitæ:
Humanum curare genus, quis terminus vnquam
Præscripsit? nullas recipit prudentia metas.
Adde quòd hæc potuit multis contingere sedes,
Sed meritis tantum redeunt, actusque priores
Commendat repetitus honor, virtusque reducit,
Quos fortuna regit, melius, magnoque petendum
Credis, in abstrusa rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis, quàm qui responsa sequutus
Obruit Eoas classes, vrbesque carinis
Vexit, & arsuras Medo subduxit Athenas.
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus, & sexum leges vicere seueræ.
Ciuibus & vetitis ignauo credere muro,
Tutius obiecit nudam Lacedæmona bellis.
At non Pythagoræ monitus annique silentes,
Famosum Oebalij luxum pressere Tarenti.
Quis vero insignem tanto sub principe curam
Respuat? aut quando meritis maiora patebunt
Præmia? quis demens adeò, qui iungere sensus
Cum Stilichone neget? similem quæ pertulit ætas
Consilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret
Viuere sub [a] regno tali; succumberet aulæ
Fabricius; cuperent ipsi seruire Catones.
Nonne vides vt nostra soror clementia tristes
Obtundat gladios? fratres amplexa serenos

Assurgat Pietas? fractis vt lugeat armis
Perfidia? & laceris morientes crinibus hydri
Lambant inualido Furiarum vincla veneno?
Exultat cum Pace fides, iam sidera cunctæ
Liquimus, & placidas inter discurrimus vrbes.
Nobiscum Theodore redi. Subit ille loquentem
Talibus: agrestem dudum me diua reuerti
Cogis, & infectum longi rubigine ruris
Ad tua signa vocas: nunquam mihi cura tot annis
Altera, quàm duras sulcis mollire nouales,
Nosse soli vires, nemori quæ commoda rupes,
Quis felix oleæ tractus, quæ gleba faueret
Frugibus, aut quales tegeret vindemia colles.
Terribiles rursum lituos veteranus adibo?
Et desueta vetus tentabo cærula vector?
Collectamque diu, & certis vt cunque locatam
Sedibus, in dubium patiar deponere famam?
Nec me quid valeat natura fortior vsus
Præterit, aut quantum neglectæ defluat, arti.
Desidis aurigæ non audit verbera currus,
Nec manus agnoscit quem non exercuit arcum.
Esse sed iniustum fateor quodcunque negatur
Iustitiæ. Tu prima hominem syluestribus antris
Elicis, & fœdo detergis secula victu.
Te propter colimus leges, animósque ferarum
Exuimus: nitidis quisquis te sensibus hausit
Irruet intrepidus flammis, hyberna secabit
Æquora, confertos hostes superabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluuijs solabitur æstus.
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.

Sic fatus, tradente dea suscepit [R] habenas
Quattuor ingenti iuris temone refusas
Prima Padum, Tyberimque ligat, crebrísque micantem
Vrbibus Italiam: Lydos [S], Pœnósque secunda
Temperat: Illyrico se tertia porrigit orbi.
Vltima Sardiniam, [T] Cyrnon, trifidámque retentat
Sicaniam, & quicquid Tyrrhena funditur vnda,
Vel gemit Ionia, nec te tot culmina rerum,
Aut tantum turbauit onus; sed vt altus olympi
Vertex, qui spatio ventos hyeméśque relinquit,
Perpetuum nulla violatus nube serenum,
Celsior exurgit pluuijs, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.
Sic patiens animus per tanta negotia liber
Emergit, similisque sui, iustique tenorem
Flectere, non odium cogit, non gratia suadet
Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro
Commemoret? fuerint alijs hęc fortè decora,
Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.
Seruat inoffensam diuina [V] modestia vocem,
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor
Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas,
Nulláque mutati tempestas proditur oris.
Quinetiam sontes expulsa corrigis ira,
Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
Qui [X] fruitur pœna, ferus est, legúmque videtur
Vindictam præstare sibi: quum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ, dijs proximus ille est,

Quem ratio, non ira mouet: qui facta rependens
Consilio punire potest. mucrone cruento
Se iactent alij, studeant feritate timeri,
Adductóque hominum cumulent æraria censu.
Lene [y] fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
Vtilior, nullas confessus murmure vires.
Acrior at Rhodanus: tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia sæui
Gurgitis immensum deducit in ostia [z] Gangem.
Torrentes immane fremant, lapsisque minentur
Pontibus, inuoluant spumoso vertice syluas.
» *Pax maiora decet: peragit tranquilla potestas*
» *Quod violenta nequit: mandataque fortius vrget*
Imperiosa quies, idem prædurus iniquas
Accepisse preces: rursus quæ digna petitu
Largitor facilis: nec quæ comitatur honores
Ausa tuam leuiter tentare superbia mentem:
Frons priuata manet non se meruisse fatetur,
Qui creuisse putat, rigidi sed plena pudoris
Elucet grauitas fastu iucunda remoto.
Quæ non seditio? quæ non insania uulgi,
Te viso lenita cadat? quæ dissona ritu
Barbaries medij quam non reuerentia frangat?
Vel quis non sitiens sermonis mella politi,
Deserat Orpheos planda testudine cantus?
Qualem te legimus teneri primordia mundi
Scribentem aut partes animæ, per singula talem
Cernimus, & similes agnoscit pagina mores.
Nec dilata tuis Augusto iudice merces
Officijs, illúmque habitum, quo iungitur aulæ

Curia, qui socios proceres cum principe nectit,
Quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno,
Deposuitque suas te succedente curules.
Crescite virtutes, fœcundaque floreat ætas.
Ingenijs patuit campus, certúsque merenti
Stat fauor, ornatur proprijs industria donis.
Surgite sopitæ, quas obruit ambitus, artes
Nil licet inuidiæ. Stilicho dum prospicit orbi,
Sidereúsque gener, non hic violata curulis,
Turpia nom Latios incestant nomina fastos.
Fortibus hæc concessa viris, solísque gerenda
Patribus, & Romæ nunquam latura pudorem.
Nuntia votorum celeri iam fama volatu
Mouerat Aonios audito consule lucos:
Concinuit felix Helicon, fluxítque Aganippe
Largior, & docti riserunt floribus amnes.
Vranie redimita comas, qua sæpe magistra
Manlius igniferos radio descripserat axes,
Sic alias hortata deas: Patimúrne sorores
Optato procul esse die? nec limina nostri
Consulis, & semper dilectas visimus ædes?
Et fasces subijsse libet? miracula plebi
Colligite, & claris nomen celebrate theatris.
Tu Iouis æquorei submersam fluctibus aulam
Oratum volucres Erato iam perge quadrigas
A quibus haud vnquam palmam rapturus Arion.
Illustret circum sonipes, quicunque superbo
Perstrepit hinnitu Betim, qui splendida potat
Stagna Tagi, madidoque iubas aspergitur auro.
Calliope liquidas Alciden posce palæstras.

Cuncta Palæmonijs manus explorata coronis
Adsit, & Eleo pubes laudata Tonanti.
Tu iuga Taygeti, frondosaque Mænala Clio
I, Triuiæ supplex, non aspernata rogantem
Amphitheatrali faueat [c] *Latonia pompæ.*
Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, [D] *certóque premant venabula nisu:*
Ipsa truces fœtus, captiuáque ducat ab antris
Prodigia, & cædis sitientem deferat arcum.
Conueniant vrsi, magna quos mole ruentes
Torua Lycaonijs Helice miretur ab astris,
Perfossique ruant populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frenare Cybelle
Optat, & Herculei mallent fregisse lacerti.
Obuia fulminei properent ad vulnera pardi.
Semine permixto geniti, quum forte leænę
Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter.
Hi [E] *maculis patres referant, & robore matres.*
Quicquid monstriferis nutrit Gętulia campis,
Alpina quicquid tegitur niue, Gallica si quid
Sylua timet, iaceat: largo ditescat arena
Sanguine, consumant totos spectacula montes:
Nec molles egeant nota dulcedine [F] *ludi*
Qui lætis risum salibus mouisse facetus;
Qui [G] *nutu, manibúsque loquax? cui tibia flatu,*
Cui plectro pulsanda chelys; qui pulpita socco
Personat, aut altè graditur maiore cothurno,
Et qui magna leui detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderator ahenæ,
Intonat erranti digito, penitusque trabali

Vecte laborantes in carmina concitat [H] vndas.
Vel qui more auium sese iaculantur in auras,
Corporáque ædificant celeri [I] crescentia nexu,
Quorum compositam puer augmentatus in artem
Emicet, & vinctus planta vel cruribus hærens
Pendula [K] librato figat vestigia saltu.
Mobile ponderibus descendat pegma [L] reductis
Inque chori speciem spargentes ardua flammas
Scena rotet, varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus: pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.
Lasciui subito confligant æquore [M] lembi,
Stagnáque remigibus spument inuersa canoris.
Consul per populos, idem grauissimus autor
Eloquij, duplici vitta subnixus in æuum,
Procedat pariter libris fastísque legendus:
Accipiat patris exemplum, tribuátque nepoti
Filius: & cœptis ne desit fascibus hæres.
Decurrat trabeata domus, tradátque secures
Mutua posteritas, seruatoque ordine fati,
Manlia continuo numeretur consule proles.

FINIS.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN PANEGYRIN MAN. THEODORI.

a PRÆFATIO hæc videtur mihi omnium amœnissima, & quadam alacritate commendabilis; quia nimirum laudandus est vir multiplici & varia doctrina conspicuus,.

b *MILES.* Non solus militauit, Horatius, aut Naso & ante illos Ennius; sed etiam hic poëta, in comitatu Stilichonis qui alter Scipio.

c *LVMINA.* Ita vet. codex, aliàs Culmina satis benè sed lumen arrisit magis. Mamertinus in Genethliaco Maximiani Imp. de re simili: Ipsa gentium domina Roma Lumina senatus sui misit beatissimæ illi per eos dies Mediolanensium ciuitati, similitudinem maiestatis suæ libenter impertiens, vt ibi tunc sedes imperij esse videretur.

d *GALLIA.* Id est Mediolanum, quæ etiam à Gallis condita eam vero Maxim. Imp. Romæ videntur prætulisse. Ausonius & regio Herculij celebris sub honore lauacri. Ambrosius est hic porphyreticum labrum in vsum sepulchri (Valentiniani iun. scilicet) aptissimū.nā & Maximianus socius Diocl.ita humatus est. sunt & tabulæ porphyreticæ preciosissimæ quibus vestiebatur operculum, quo regales exuuiæ claudantur. Attila, vt refert Suidas, videns Mediolani. Impp. in aureis soliis sedentes, Scythas vero ad eorū pedes depictos: se in solio sedentem, Romanos verò imperatores saccos humeris ferentes, & ante pedes suos aurum effundentes pingi voluit.

e *PARNASVS.* Hic mons à Musis nobilitatus est in terræ medio, Statius medium cæli nuncupat, vbi Lutatius: vmbilicus terræ Parnasus. nam cum Iupiter mundi medium locum vellet agnoscere ab ortu ad occasum duas Aquilas dimisisse fer-

tur, vide reliqua, vnde Lucanus V. Hesperio tantùm quantum semotus eoo Cardine Parnassus, vide & Strabonem.

ı *HOC EGO*. Vides vt floruerit illo etiam æuo Mediolanũ non ita pridem Galliæ Regi subditum, vbi Parrhasius etiam Claud. hunc explicauit, sane hîc fere orbi comparatur. Ibîdem Augustinus nondum credo veræ pietatis cultor, Panegyrin in Bautonis consulatum recitauit Kal. Ian. Anno 385. in magno conuentu conspectúque hominum, vt ipse loquitur, fuit enim Rhetor eximius; de qua arte libellum edidit mirabilem.

ı *IPSA QVIDEM*. Hæc Paneg. recitata est anno 399. Eutropio & Theodoro conss. sed Eutropii nomen erasum est, μόνȣ Θεοδώρȣ γεγραμμένȣ. Vnde in Cod. Th. reperias: Theodoro v.c. Consule. Fuit autem vir ille in philosophia maxime versatus, & qui Geometriam & Astrologiam vel Vraniam, vt ait poeta, coluerit, vt patet ex quibusdam opusculis quæ olim vidimus in Bibliotheca Cuiacii: sed enim rebus gerendis minùs fuit idoneus vt ferè fit, quarè Claudianns in eum scripsit paulo post Epigramma. idem euenit B. Augustino, displicet, inquit, quod Manlio Theodoro, ad quem librum scripsi, quamuis docto & Christiano viro plus tribui quàm deberem, sed hoc anno oraculum quoddam seu figmentum gentile spaisum est vt ait Augustinus: Nullam fore religionem Christianam cum tamen eodem consulatu falsorum deorum templa Carthagine euersa sint à Comitibus Honorij.

h *PARS LIBYÆ*. Proconsulem Africæ puto intelligi, aut potius Vicarium Africæ virum spect. sub quo Consulares Bizacii & Numidię.

i *MACETVM*. Id est Macedonum nam & Μακέτα dicitur Macedonia Stephano, quæquidem fuit sub P. F. P. illyrici Orientalis, qualis fuit olim Theodorus. Stat. Quo Macetæ sua gæsa citent, non Magetæ.

k *ORACVLA*. Hîc designatur Quæstor vir inlustris, sub quo leges dictandæ & preces. Cassiodorus linguę principis vocem, & imaginem, thesaurum famę publicæ, armarium legum, magistrnm eloquentiæ adpellat, debuit vero scientia iuris esse instructus.

l *SACRÆ* opes. hæc dignitas Quæsturam sequitur in Notitia: est autem Comitiua sacrarum largitionum: subqua. Præfecti thesaurorum. Comites metallorum, & alii.

[m] *BESSI.* Lat. Pacatus eleganter vocat Beſſum quæſitorem, quòd aurum in terræ viſceribus exquirat.

[n] *HISPANA* tibi Germanáque. Præfecturam Præt. Galliarum accipio ſub qua Hiſpaniæ vii. Prouinciæ. Galliarum xvii. Prou. Britanniarum v. Pr. ſub Galliis vero Germania prima & ſecunda conſtituitur.

[o] *ARAR*, Rhodanus. Maximam Sequanorum, & Lugdunum intellige vrbes præſidatu illo tempore inſignes.

[p] *OMNIA.* Hic docetur Manlium fuiſſe ſed plus ſatis curioſum in diſceptatione philoſophica, de ſectis eiuſmodi vide Cic. & Sidonium huius noſtri æmulum, vanitas enim illa noſtram opellam non requirit.

[q] *SVB REGNO* tali. hic locus valdè anceps & lubricus, ô Claudiane: videris enim de tuo Stilichone plus nimio gloriari, ſed hæc ad laudem Honorii referas licet.

[r] *HABENAS.* Hic profectò exprimitur dignitas Præfecti Præt. Occidentis ſub quo Italia. Illyricum occidentale. Africa, id eſt eius ſeptem Prouinciæ, in queis fuit conſtitutus etiam Præf. Gildoniaci patrimonii.

[s] *LYDOS.* Satis conſtat quarè Lydius Tybris dicatur à Virg. cum non ſit in Lydia. Horatius: Non quia Mæcenas lydorum quidquid Etruſcos, vide reliqua.

CYRNON. Corſicam intelligit. Strabo, Κύρνος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖται Κόρσικα. Cæterum Corſica. Sicilia. Sardinia ſunt tres è xvii. Prouinciis Italiæ.

[v] *MODESTIA.* Hic locus valde notabilis, ſunt enim multi adeo ſtolidi vt ſi quibuſdam virtutibus excellere ſe ſentiant, id quaſi per compita velint publicari. Saltem ea vitia quibus non vrgeri ſe putant palam deprecantur, quod alienum eſt à modeſtia. ad hunc locum facit Ep. ii. Plin. Mitto, inquit, vt oculos animumque contineat, ſunt hæc magna, ſed in alio: in hoc vero minima, Si cum cæteris virtutibus comparentur.

[x] *QVI FRVITVR.* De hac feritate dictum eſt in Rufinum. Seneca, Ferina rabies eſt ſanguine & vulneribus gaudere. Ipſe Nero, ait Tacitus, ſubtraxit oculos, iuſſitque ſcelera, non ſpectauit.

y LENE fluit. Qua regione Nilus lenè fluat docet Plinius Hist. Curtius verò docet altissima quæque flumina minimo sono delabi.

z GANGEM. Flumen illud magno cum fragore ipsis statim montibus erumpit: dein vbi mollis contigit planities in quodam lacu hospitatur: inde lenis fluit. notum est illud: Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος de Euphrate.

A SONIPES. Ludos Circenses designat. In circo fuisse δώδεκα θύρας ait Cedrenus quæ referant τῶ ζωδιακῶ κύκλου οἴκους δώδεκα. additque per solum Terram vniuersam, per Euripum mare intelligi. Circus à Circe solis filia dicitur Tertulliano de spectaculis. Corippus. Ipse ingens Circus plenus seu Circulus anni. miluus eleganter dictus auis circanea, quia circitor est, & circat.

a ALCIDEN. Ouidius: Altera pars circi custode sub Hercule tuta est. huc pertinent etiam versus vulgatissimi Archiæ pœtæ.

c LATONIA. Mars & Diana vtriusque Ludi præsules auctore Tertull. cæterùm vide Cod. Th. De spectaculis.

d LIGENT. sic in manuscr. & excusis non legant. nam θηριόμαχοι, vel qui operas suas in id locarunt aut bestiarum iugulum petere, aut pectus venabulo fodere. apud Ouidium legi, Guttura ligare laqueo.

e MACVLIS. Leopardos innuit qui maculosi. vt & Lynx quæ Maroni dicitur maculosa. Iuuen. parcit Cognatis maculis similis fera.

f DVLCEDINE. Sic Mart. Nosses iocosæ dulce cum sacrum Floræ.

g QVI.QVI. QVI. Locutio elegans vt infrà in Nilo. Intelligit Mimos qui honestiore vocabulo Appollinis parasiti; Citharœdos, tibicines, Comicos, tragicos. Mimi autē fuere meo iudicio subtilissimi, qui gesticulatione manuū potuerint animi sensa exprimere, vnde & Arbiter dixit: manu puer loquaci

h VNDAS. Totus hic locus agit de organo hydraulico. Tertullianus de Anima: tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, vna moles erunt omnia: sic & spi-

ritus qui de tormento aquæ anhelat, non ideo ſeparabitur in partes, quia per partes adminiſtratur, ſubſtantia quidem ſolidus: opera verò diuiſus. vide plura apud Athenæum & Vitruuium. ſed Ammiani ſæculo Domus torrentes exundant vocali ſono, & perflatili cantu fidium reſultant, denique organa fabricantur hydraulica. Merulæ vero ſunt hydraularum ſpecies. huius rei experimentum admirabile viſitur in domo regia S. Germani ſeptimo ab vrbe lapide.

[i] *CRESCENTIA.* Tabulata in ſublime creſcentia refert Sen. in Ep.

[k] *PENDULA.* Id nos docuerint vel hodierni funambuli, meliùs, ac certiùs quàm verbis explicari queat.

[l] *PEGMA.* Eſt confixum ſeu confixilis machina Apuleio. Pegma vopiſcus memorat, cuius flammis ſcena conflagrauit.

[m] *LEMBI.* Subitam Naumachiam deſignat. Dio teſtatur Neronem belluis interfectis & venatione exhibita, ſubito aquam induxiſſe, vbi certamen nauale exhibuit. verum quid pluribus opus eſt? cum dè his ſpectaculis exſtent libri haud exilis operæ, quæ tamen Claudianus velut futuri prouidus quaſi manu in pugnum contracta, haud obſcure demonſtrat, vt inde libellus confici queat.

CL. CLAVDIANI
IN LAVDES STILICHONIS PANEGYRIS. I.

CONTINVANT superi pleno Romana fauore
Gaudia, successusque nouis successibus [A] augent.
Coniugij necdum festiuos regia cantus
Sopierat, cecinit fuso Gildone triũphos,
Et calidis thalami successit laurea sertis,
Sumeret vt pariter princeps noménque marit',
Victorisque decus. Libyæ post prælia crimen
Concidit Eoum, rursúsque Oriente subacto
Consule defensæ surgunt Stilichone secures.
Ordine vota meant. Equidem si carmen in vnum
Tantarum [B] sperem cumulos aduoluere rerum,
Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ.
Si partem tacuisse velim, quodcunque relinquam,
Maius erit; veteres actus, primámque iuuentam
Prosequar? ad sese mentem præsentia ducunt.
Narrem iustitiam? resplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis:

Quòd floret Latium, Latio quòd reddita seruit
Africa, vicinum quòd nescit Iberia Maurum,
Tuta quòd imbellem miratur Gallia Rhenum.
An gelidam Thracen, decertatósque labores,
Hebro teste canam? magnum mihi panditur æquor,
Ipsáque Pierios lassant procliuia currus
Laudibus innumeris: etenim mortalibus ex quò
» *Tellus cœpta coli, nunquam syncera bonorum*
» *Sors* [c] *vlli concessa viro: quem vultus honestat*
„ *Dedecorant mores, animus quem pulchrior ornat,*
» *Corpus destituit. Bellis* [D] *insignior ille,*
Sed pacem fœdat vitijs: in publica felix,
Sed priuata minus. partito singula quemque
Nobilitant; hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia iuris,
Hunc soboles, castique tori, sparguntur in omnes,
In [E] *te mixta fluunt, & quæ diuisa beatos*
Efficiunt, collecta tenes. Quid facta rauoluam,
Militiámque patris? cuius protendere famam,
Si nihil egißet clarum, nec fida [F] *Valenti*
Dextera duxißet rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilicho, mens ardua semper
A puero, tenerísque etiam fulgebat in annis.
Fortunæ maioris honos; erectus & acer,
Nil breue moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fastísque loqui iam digna futuris.
Iam tunc conspicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebátque ducem celsi nitor igneus oris,
Memborúmque modus, qualem nec carmina fingunt

Semideis, quacunque altè gradereris in vrbe,
Cedentes [G] *spatijs, aßurgentésque videbas,*
Quamuis miles adhuc, taciti suffragia vulgi
Iam tibi detulerant, quicquid mox reddidit aula.
Vix primæuus eras, pacis quum mitteris autor
Assyriæ: [H] *tanta fœdus cum gente ferire*
Commissum iuueni. Tigrim transgressus, & altum
Euphraten, Babylona petis; stupuere seueri
Parthorum proceres, & plebs pharetrata videndi
Flagrauit studio; [I] *defixæque hospite pulchro*
Persides, arcanum suspirauere calorem.
Thuris odoratæ cumulis, & messe Sabæa
Pacem conciliant aræ, penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque iuuencos
Chaldęo strauere Magi: rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretáque belli,
Et vaga testatur voluentem sidera [K] *Mithram.*
Si quando socijs tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones
Comminus, aut longè virga [L] *transfigere tigres?*
Flectenti faciles Medus tibi cessit habenas.
Torquebas refugum Parthis mirantibus arcum.
Nubilis interea maturæ virginis ætas
Vrgebat patrias suspenso principe curas:
Quem simul imperióque ducem, natæ que maritum
Prospiceret, dubius toto quærebat ab axe
Dignum coniugio generum, thalamísque Serenæ.
Iudicium virtutis erat, per castra, per vrbes,
Per populos animi cunctantis libra cucurrit.

Tu legeris; tantósque viros quos obtulit orbis,
Intra consilium vincis, sensúmque legentis:
Et gener Augustis olim socer ipse futurus
Accedis, radijs auri, Tyriáque superbit
Maiestate torus; comitata parentibus exit
Purpureis virgo: stabat pater inde trophæis
Inclytus: inde pium matris regina gerebat
Obsequium, grauibus subnectens flammea [M] gemmis.
Tunc & solis equos, tunc exultasse choreis
Astra ferunt, mellisque lacus, & flumina lactis
Erupisse solo, quum floribus [N] æquora vernis
Bosphorus indueret; roseisque euincta coronis
Certantes Asiæ tædas Europa leuaret.
Felix arbitrij princeps, qui congrua mundo
Iudicat, & primus sensit quod cernims omnes.
Talem quippe virum natis adiunxit, & aulæ,
Cui nec luxuries bello, nec blanda periclis
Otia, nec lucis fructus preciosior vnquam
Laude fuit. Quis enim Mysos [O] in plaustra feroces
Reppulit? aut sæua Promoti cæde [P] tumentes
Bastarnas vna potuit delere ruina?
Pallantis iugulum Turno moriente piauit
Æneas, tractúsque rotis vltricibus Hector
Irato vindicta fuit vel quæstus Achilli.
Tu neque vesano raptas venalia curru
Funera, nec vanam corpus meditaris in vnum
Sæuitiam, turmas equitum, peditumque cateruas,
Hostiles que globos tumulo prosternis amici:
Inferijs gens tota datur; nec Mulciber author

Mendacis clypei, fabricatáque vatibus arma
Conatus iuuere tuos, tot barbara solus
Millia, iampridem miseram vastantia Thracen
Finibus exiguæ vallis conclusa tenebas.
Nec te terrisonus stridor venientis Alani,
Nec vaga Chunorum feritas; non falce [R] Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.
Extinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret augustas occultus [S] proditor aures,
Obstrueretque moras, strictumque reconderet ensem,
Solueret obsessos, præberet fœdera captis.
[T] *Assiduus castris aderat, rarissimus vrbi,*
Si quando trepida princeps pietate vocaret;
Vixque salutatis laribus, vix coniuge visa,
Deterso necdum repetebat sanguine campum.
Nec fletit [V] Eucherij, dum carperet oscula saltem,
Per galeam: patris stimulos, ignésque mariti
Vincit cura ducis. Quoties sub pellibus egit
Ædonas hyemes, & tardi flabra Bootæ?
Sub diuo Riphæa tulit? quumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alij, tunc triste rigentem
Danubium calcabat eques, niuibusque profundum
Scandebat cristatus Athon, lateque corusco
Curuatus glacie syluas vmbone ruebat.
Nunc prope Cimmerij tendebat littora ponti,
Nunc dabat hybernum Rhodope nimbosa cubile.
Vos Hæmi gelidæ valles, quas sæpe cruentis
Stragibus æquauit Stilicho, vos Thracia testor
Flumina, quæ largo mutastis sanguine fluctus.

Dicite Bisaltæ, vel qui Pangæa iuuencis
Scinditis, offenso quantæ sub vomere putres
Dissiliant glebis galeæ, vel qualia rastris
Ossa peremptorum resonent immania regum.
Singula complecti cuperem, sed densior instat
Gestorum series, laudumque sequentibus vndis
Obruimur. Genitor cæsi post bella × tyranni
Iam tibi commissis conscenderat æthera terris.
Ancipites rerum ruituro culmine lapsus
Aequali ceruice subis. Sic Hercule quondam
Sustentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubijs titubauit signifer astris,
Perpetuaque senex subductus mole parumper
Obstupuit proprij spectator ponderis Atlas.
Nil ibi Barbariæ motus, nil turbida rupto
Ordine tentauit nouitas: tantóque remoto
Principe mutatas orbis non sensit habenas.
Nil inter geminas acies ceu libera frænis
Ausa manus: certè nec tantis dissona linguis
Turba, nec armorum cultu diuersior vnquam
Confluxit populus, totam pater vndique secum
Mouerat Auroram: mixtis hic Colchus Iberis,
Hic mitra velatus Arabs, hic crine decoro
Armenius, hic picta Saces, fucatáque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus,
Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
Oceani; ductor Stilicho tot gentibus vnus,
Quot vel progrediens, vel conspicit occiduus sol.
In quo tam vario vocum, generumque tumultu

Tanta quies, iuriſque [y] metus; ſeruator honeſti
Te moderante fuit; nullis vt vinea furtas,
Vt ſeges erepta fraudaret meſſe colonum:
Vt nihil aut ſæuum rabies, aut turpe libido
Suaderet: placidi ſeruirent legibus enſes.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Vtque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.
Denique felices aquilas [z] quocunque moueres,
Arebant tantis epoti millibus amnes.
Illyricum peteres, campi, montéſque latebant.
Vexillum nauale dares, ſub puppibus ibat
Ionium, nullis ſuccincta Ceraunia nimbis,
Nec iuga Leucates feriens ſpumantia fluctu
Deterrebat hyems, tu ſi glaciale iuberes
Veſtigare fretum, ſecuro milite ducti
Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi:
Si deſerta Noti, fontem ſi quærere Nili,
Æthiopum medios penetraſſent vela vapores.
Te memor Eurotas, te ruſtica muſa Lycæi,
Te paſtorali modulantur Mænala cantu
Partheniumque nemus, quod te pugnante reſurgens,
Ægra caput medijs erexit Græcia flammis.
Plurima Parrhaſius tunc inter corpora Ladon
Hæſit, & Alphæus Geticis anguſtus aceruis,
Tardior ad Siculos etiam nunc pergit amores.
Miramur rapidis hoſtem ſuccumbere bellis,
Quum ſolo terrore ruant non claſſica Francis
Intulimus, iacuere tamen: non Marte Sueuos
Contudimus, queis iura damus: quis credere poſſit

Ante tubam nobis audax Germania seruit.
Cedant Druse tui, cedant Traiane labores,
Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilicho, totidémque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis:
Quem ferro, alloquijs, quem vos cum milite, solus
Impiger à primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, & iuncta paludibus ora
Fulmineum perstrinxit iter: ducis impetus vndas
Vincebat celeres, & pax à fonte profecta
Cum Rheni crescebat aquis: ingentia quondam
Nomina, crinigero flauentes vertice reges,
Qui nec principibus donis precibusque vocati
Paruerant, iussi properant, segnique verentur
Offendisse mora, transuecti lintribus amnem,
Occursant vbicunque velis, nec fama fefellit
Iustitiæ, videre pium, videre fidelem.
Quem veniens timuit, rediens Germanus amauit.
Illi terribiles, quibus otia vendere semper
Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci,
Natis obsidibus pacem tam supplice vultu,
Captiuoque rogant, quàm si post terga reuincti,
Tarpeias pressis subeant ceruicibus arces.
Omne quod Oceanum, fontémque interiacet Istri,
Vnius incursu tremuit, sine cæde subactus
Seruitio Boreas, exarmatique Triones.
Tempore tam paruo, tot prælia sanguine nullo
Perficis, & luna nuper nascente profectus,
Ante redis quàm plena fuit, Rhenumque minacem

Cornibus

Cornibus infractis adeo mitescere cogis
Ut Salius iam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem curuent gladios, geminasque viator
Quum videat ripas, quæ sit Romana requirat.
Vt iam trans fluuium non indignante Cayco
Pascat Belga pecus: mediúmque ingressa per Albin,
Gallica Francorum montes armenta pererrent.
Ut procul Hercyniæ per vasta silentia syluæ,
Venari tutò liceat, lucosque vetusta
Religione truces, & robora [A] numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impune bipennes.
Vltro quinetiam deuota mente tuentur,
Victorique fauent; quoties sociare cateruas
Orauit, iungique tuis Alamania signis?
Nec doluit contempta tamen spretoque recessit
Auxilio, laudata fides, prouincia missos
Expellet citius fasces, quàm Francia [B] reges
Quos dederis feriat, nec iam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet, sub iudice nostro
Regia [C] Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomeres Sonnoque docent: quorum alter Hetruscum
Pertulit exilium; quum se promitteret alter
Exulis vltorem iacuit mucrone suorum:
Res auidi conscire nouas, odióque furentes
Pacis, & ingenio scelerúmque cupidine fratres.
Post domitas Arctos alio prorumpit ab axe
Tempestas, & ne qua tuis intacta trophæis
Pars foret, Australis sonuit tuba, mouerat omnes
Maurorum Gildo populos, quibus imminet Atlas

Et quos interior nimio plaga sole relegat.
Quos vagus humectat Cinyps, & proximus hortis
Hesperidum Triton, & Gir [D] *notissimus amnis*
Æthiopum, simili mentitus gurgite Nilum.
Venerat & paruis redimitus [E] *Nuba sagittis,*
Et velox Garamas: nec quamuis tristibus Hammon
Responsis, alacrem potuit Nasamona morari.
Stipantur Numidæ campis, stant puluere Syrtes
Getule, Pœnus iaculis obtexitur aer.
Hi virga moderantur equos, his fulua leones
Velamenta dabant, ignotarumque ferarum
Exuuiæ, vastis Meroe quas nutrit arenis.
Serpentum gestant patulos pro casside rictus.
Pendent vipereæ squamosa pelle pharetræ.
Non sic intremuit Simois, quum montibus Idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon.
Non Ganges, quum tela procul vibrantibus Indis
Immanis medium vectaret bellua Porum.
Porus Alexandro, Memnon prostratus Achilli
Gildo nempe tibi, nec solum feruidus Austrum,
Sed partes etiam Mauors agitabat Eoas.
Quamuis obstreperet pietas, his ille regendæ
Transtulerat nomen Libyæ, scelerique prophano
Fallax [F] *legitimam regni prætenderat vmbram.*
Surgebat varia geminum [G] *formidine bellum.*
Hoc armis, hoc triste dolis; hoc Africa sæuis
Cinxerat auxilijs, hoc coniuratus alebat
Insidijs Oriens; illinc edicta meabant
Corruptura duces, hinc frugibus atra negatis
Vrgebat, trepidamque fames obsederat vrbem.

Exitiale palàm Libycum; ciuile pudoris
Obtentu tacitum, tales vtrinque procellæ
Cùm fremerent, Latiumque alternis ictibus anceps
Imperium pulsaret hyems, nil fessa remisit
Officij virtus, contraque minantia fata
Peruigil, euentúsque sibi latura secundos,
Maior in aduersis micuit, velut arbiter alni,
Nubibus Ægæo quam turbine versat Orion,
Exiguo claui flexu declinat aquarum
Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina
Callidus, & pelagi cælique obnititur iræ.
Quid primum mirer Stilicho? quòd cautus ad omnes
Restiteris fraudes, vt te nec noxia furto
Littera, nec pretio manus inflammata lateret?
Quòd nihil in tanto rerum terrore locutus
Indignum Latio? responsa quòd ardua semper
Eois dederis? quæ mox effecta probasti
Securus; quamuis & opes, & rura tenerent,
Insignésque domos, leuis hæc iactura, nec vnquam
Publica priuatæ cesserunt commoda causæ.
Diuidis ingentes curas, teque omnibus vnum
Obijcis, inueniens animo quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu: dictare paratus,
Quæ scriptis peragenda forent, quæ brachia centum,
Quis Briareus alijs numero crescente lacertis,
Tot simul obiectis posset confligere rebus?
Euitare dolos? veteres firmare cohortes?
Explorare nouas? duplices disponere classes?
Quæ fruges, vel bella ferant, aulæque tumultum,

Et Romæ lenire famem? quot nube soporis
Immunes oculi, per tot discurrere partes?
Tot loca sufficerent, & tot longinqua tueri?
Argum fama canit centeno lumine cinctum,
Corporis excubijs vnam seruasse iuuencam.
Vnde tot alatæ segetes? quæ sylua carinas
Texuit? vnde rudis tanto tyrone iuuentus
Enituit? senioque iterum vernante resumpsit
Gallia bis fractas Alpino vulnere uires
Non ego delectu Tyrij, sed vomere Cadmi
Tam subitas acies concepto dente draconis
Exiluisse reor, Dircæis qualis in aruis
Messis, cum proprio mox bellatura colono,
Cognatos strinxit gladios, cúm semine iacto
Terrigenæ galea matrem nascente ferirent,
Armifer, & viridi floreret milite sulcus.
Hoc quoque non parua fas est cum laude relinqui,
Quòd non anté fretis exercitus astitit vltor,
Ordine quàm prisco censeret bella [x] *Senatus.*
Neglectum Stilicho iam tot per secula morem
Rettulit, vt ducibus mandarent prælia patres,
Decretoque togæ felix legionibus iret
Tessera. Romuleas leges redijsse fatemur,
Cum procerum iussis famulantia cernimus arma.
Tyrrhenum poteras cunctis transmittere signis,
Et ratibus Syrtes, Libyam complere maniplis.
Consilio stetit ira minor; ne territus ille
Te duce, suscepto Martis grauiore paratu,
Aut in arenosos æstus, Zonamque rubentem,

Tenderet aut ſolis fugiens tranſiret in ortus,
Miſſurúſue ſibi certæ ſolatia mortis
Oppida dirueret flammis. res mira relatu,
Ne timeare [L] times, & quem vindicta manebat,
Deſperare vetas. quantum fiducia nobis
Profuit hoſtilis? ſalua Carthaginis arces,
Illæſis Tyrij gaudent cultoribus agri,
Quos potuit vaſtare fuga. ſpe captus inani
Nec ſe ſurripuit pœnæ; noſtriſque pepercit
Demens qui numero tantum, non robore menſus
Romanos, rapidis ibat ceu protinus omnes
Calcaturus equis: & quòd iactare ſolebat
Solibus effœtos merſurus puluere Gallos
Sed didicit non Aethiopum geminata venenis
Vulnera, non fuſum crebris haſtilibus imbrem,
Non equitum nimbos Latijs obſiſtere pilis.
Sternitur ignauus Naſamon, nec ſpicula ſupplex
Intorquet Garamas, repetunt deſerta fugaces
Autololes, pauidus proiecit miſsile [M] Maſax:
Cornipedam Maurus nequicquam hortatur anhelum.
Prædonem lembo profugum, ventiſq; repulſum
Suſcepit merito fatalis Tabraca portu:
Expertum quod nulla tuis elementa paterent
Hoſtibus, & lætæ paſſurum iurgia plebis,
Fracturumq; reos humili ſub iudice vultus.
Nil tribuat fortuna ſibi, ſit proſpera ſemper
Jlla quidem: ſed non vni certamina pugnæ
Credidimus, totis nec conſtitit alea caſtris
Nutatura ſemel: ſi quid licuiſſet iniquis

Casibus, instabant aliæ post terga biremes.
Venturus dux maior erat, victoria nulla
Clarior, aut hominum votis optatior vnquam
Contigit. an quisquam Tigranen, armaque Ponti,
Vel Pyrrhum, Antiochiq; fugam, vel vincla Iugurthæ
Conferat, aut Persen, debellatumq; Philippum?
Hi propagandi ruerant pro limite regni,
Hic stabat Romana salus. ibi tempora tuto
Traxerunt dilata moras. hic vincere N tardè
Vinci penè fuit: discrimine Roma supremo
Inter supplicium populi deforme pependit.
Et tantum Libyam fructu maiore recepit,
Quam peperit; quantùm grauiorem amissa dolorem,
Quam necdum quęsita mouent. quis Punica gesta?
Quis vos Scipiadę? quis te iam Regule nosset?
Quis lentum caneret Fabium, si iure perempto
Insultaret atrox famula Carthagine Maurus?
Hæc omnes veterum reuocauit adorea laurus:
Restituit Stilicho cunctos tibi Roma triumphos.

FINIS.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN PANEG. I. STILICHONIS.

Vetus liber laudes Stilichonis in tres libros diuidit rectiſſimè : ſunt enim tres Panegyrici de vno eodémque Conſulatu , duæ priores inuitant Stilichonem qui ſpeciem recuſantis præ ſe ferebat , ſiue id innata ipſi modeſtia euenerit, ſiue metu inuidiæ : conſtat enim Olympium & Heraclianũ Principi Honorio ſatis credulo quædam detuliſſe, quæ hominem ſuſpectum reddiderint. Fuit autem Conſul anno 400. cum Aureliano, qui anno ſuperiore Præf. Præt. damnauit capitis exulem Eutropium.

[a] *CONIVGII.* Honorij nuptiæ celebratæ Anno 398. tunc Gildo fuſus eſt. Eutropius concidit anno ſequente.

[b] *TANTARVM.* Pacatus: Impedit turba delectum. Ouid. Quo ferar ignoro, copiáque ipſa nocet. vide Theocr. in encomio Ptol. regis.

[c] *SORS* vlli. hæc omnia ferè , Odyſſ. θ. Οὕτως οὐ πάντεσσι θεὸς χαρίεντα δίδωσιν, Ἀνδράσιν οὔτε φυὴν οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτ' ἀγορητύν. Vide plura ſuo loco.

[d] *BELLIS.* Plutarchus : ὁ μὲν πρὸς πολιτείαν, ὁ δὲ πρὸς πόλεμον εὐφυέστερος. Prop. Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus vtilis armis. Plinius Sec. Enituit aliquis in bello, obſoleuit in pace.

[e] *IN TE* mixta. Pacatus: Dixiſſe ſufficiat vnum illum diuinitùs extitiſſe in quo virtutes ſimul omnes vigerent, quæ ſingulæ in omnibus prædicantur.

[f] *VALENTI.* Hic imperator infelix fuit, quem tamen à ca-

lumnia belli vindicauit, vt patruum, Gratianus Imp.

[g] *ASSYRIÆ.* Totus hic locus à Sidonio transmouetur, vt manifesti etiam teneri queat: in Paneg Anthemij: Huic quondam iuueni reparatio credita pacis Assyriæ, vide reliqua.

[h] *CEDENTES,* Stat. Adsurgit honori Numinis & recto decedit limite cæli. Suet in Tit. Adsurgere & via decedere.

[i] *DEFIXÆ.* In iure legibus Defigere animos ad libidinem. Ouid. defigere votis.

[k] *MITHRAM.* Aiunt Romæ esse Mithræ simulachrum vbi stant vtrimque duo viri supra quos stellæ singulæ. Strabo de Persis, ἥλιον καλοῦσι Μίθρην. Curtius: solem Mithram & æternum inuocans ignem. Erat autem vultu leonis cum tiara, tauri reluctantis cornua comprimens ait Pausan. vnde statius: Torquentem cornua Mithram. Tertullianus ex eo probat Dæmonem tes sacramentorũ imitari: Tingit credentes, inquit, & delictorum expiationem de lauacro repromittit, signat in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem.

[l] *VIRGA* transfigere, in vet. codice reperi Virgatas figere tigres, id est maculosas, alioqui virga erit pro iaculo aut sagitta. Cæterùm, vt ait Xenophon, apud regem Persarum fuit παράδεισος μέγας ἀγρίων θηρῶν πλήρης, ἃ ἐκεῖνος ἐθήρευσε.

[m] *FLAMMEÆ.* Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus Flammeis. Lucanus: non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem Lutea demissos velarunt flammea vultus.

[n] *FLORIBVS.* Sidonius aliter: Hybernæ rubuere rosę, spretæque rigore Lilia permistis insultauere pruinis.

[o] *MYSOS* reppulit. Hic locus satis obscurus. constat enim Mysos fuisse subditos Orientis Imp. & miserè adflictos à Getis: quare Stilichonis virtute, hostium incursu & populatu liberati non possunt hostium numero haberi. sic igitur interpretari libet: Quis enim Mysos feroces idest animosos, repulit excitauit suo aduentu, In plaustra ·i·in Getas, quorum plaustra vagas rite trahunt domos, vt ait Horatius, vide Bel. Get. & lib. 2. in Ruf.

[p] *PROMOTI.* Sic. v. liber. alias Proponti. sed de hoc suprà. In eo verò teste Symmacho multa munera virtutum natura cõgesserat, ac nescias vtrum bona fortitudinis magis an mentis excellerent. primæ laudis stipulator fuit Princeps humani ge-

neris

neris Theodosius. quod verò, literas coluerit, indicio etiam Sym. cuius cum scripta desiderat respondet ille: Quid inter rauca cornua coruorum strepitus?

ª *CHVNORVM.* eos adgnoscit Auson. & Ammianus χῦνοι forte Ptolemæo.

ᵇ *FALCE.* Brodæus ensem falcatum vult intelligi: ego falcem barbaricam puto.

ᶜ *PRODITOR.* Rufinus. de quo supra Bel. Get. & alibi.

ᵈ *ASSIDVVS.* Quanto quis obsequio promptior, ait Tacitus, honoribus & opibus extollitur. ergo ad famam suam gestis exultare oportet, sed ad auctorem fortunam referre.

ᵉ *EVCHERII.* miserabilis hic fuit. nam, patre Stilichone occiso, Romam aufugit vbi ab Arsacio & Terentio Eunuchis (vt refert zos.) perquisitus violenta morte obijt.

ˣ *TYRANNI.* Eugenij scilicet qui verè scenicus rex. qualis antea Procopius in Oriente; & Maximus, qui corā Theodosio dicebat se tantum fuisse Procuratorem Imperij.

ʸ *IVRIS* metus. Extat titulus Dig. de Re militari quia non esse poterat de Iure militari. habent enim seorsim sua iura milites, suasque leges. qui, vt duri sunt, volunt coërceri nec venia aut misericordia indigent. vnde Lucanus: pœnaque redit placata iuuentus. Pescennius sanè fertur ob gallinam direptam decem milites securi percussisse. quod, opinor, non fecit secundum artem boni & æqui.

ᶻ *AQVILÆ.* Erant Legionum numina Tacito. signis verò militaribus familiarior argenti color, quàm auri.

ᴬ *ROBORA.* B. Martinus in Gallia etiam templum diruit, & Pinum fano proximam, monuitque nihil esse religionis in stipite, ait Seuerus. huc spectat Druidarum religio.

ᶜ *MARCOMERES.* Excusi codices habent Marcomanes, Sueuusque docent. vt supra Sueuus non Salius. sed vera lectio in textu. alij tamen manusc. præferunt Marcomer. Sonno etiam sed Cuiacij liber: Sopno.

ᴰ *FRANCIA.* Ergo Franci reges à Stilichone accipiunt. magnam verò curam inijciebant Romanis, licet parua manu. quos ni paulo ante Arbogastes itidem Francus sed patriæ hostis

diuersis prælijs debilitasset, non adeo facilè Rheni ripas deseruissent. Paulinus auctor est eundem aduersus gentem suam, Gratiano imperante, profectum multos fudisse, pace cum residuis facta. additque; Is cum in conuiuio regum gentis suæ rogaretur nossetnè Ambrosium: maximè, inquit. Inde tu nos aiunt, vicisti, qui ab illo diligeris. Certum est verò hanc gentem nobilissimam non solum Rheni ripam quæ nobis citerior occupasse verum ipsam Insulam quam sui diuortio Rhenus facit. At Constantius chlorus: Terram Batauiamà diuersis Francorũ regibus occupatam omni hoste purgauit, vt Paneg. ad Constãtinum, retulit.

[p] *GIR.* In opt. codicibus reperi hoc nomen, quod adgnoscit Ptolemæus. quarè nõ est quod coniecturis fides habeatur: forte idem est cum eo qui Niger aut Nigris dicitur, quem etiam Melonem aut Nilum credideris: sed ea est natura Nili quæ & Alpheo amni Elidis, qui occultas sub terra vias agit, & renascitur in diuerso tractu.

[q] *NVBA.* Sic vet. liber, alias Iuba perperam. Νῦβαι ἔθνος Λιβύης παρὰ Νείλῳ ait Suid.

[r] *FALLAX.* Hic notatur Gildo qui regnum Africæ præsumserit, quia sanè fuit locuples in illa regione, ita vt eius patrimonium Codice Th. sit nobilitatum: vbi etiam Gildo tyrannicæ præsumtionis sacramenta sectatus dicitur, vide Ep. B. Hieron.

[s] *GEMINVM.* Distinguit duo bella surgentia contra Occidentem: quorum alterum apertum fuit vt libycum: alterum vero tacitum vt Orientale: pudebat enim fratrem fratri ciuile bellum indicere.

[t] *OBLIQVANTE.* eleganter Cic. pro Balbo: Neque inconstantis putem sententiam tanquam aliquod nauigium in Reip. tempestate moderari. in huiusmodi dexteritate gens Batauua hodie magistra est, inde obliquare sinus dixit Poeta, vide & Paneg. vet.

[v] *CADMI.* Sidonius hęc bellè imitatus est. Virg. Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem Inuertere satis, immanis dentibus hydri, Nec galeis, densisque virum seges horruit hastis.

[x] *SENATVS.* Isidorus: Bellum iustum ex edicto geritur. At cauendum, ait ille, ne vim principatus resoluas omnia ad Senatum reuocando. Sed hoc de falso senatu intelligi debet,

aut verba sunt tyrannica, vt Cæsaris: Degenerem patiere togam regnúmque senatus? Rex Galliarum non indicit bellum nisi ex Senatus consulto.

t *NE TIMEARE.* Inde Sidonius de Rege Gothorum. Timet timeri, inquit. Tacitus plane ad rem: Nihil æque cauebatur quam ne bellum metu eluderet. Pacatus; Tuus exercitus nihil magis timebat, quàm timeri.

u *MAZAZ.* Ita vet. codex cum in aliis MAZAS: sic in manusc. Ausonij: Salaminius Æas, quod sane græcum est neque facile admiserim. Mazax autem vera lectio; neque mendosus est locus apud Suet. in Nerone: vbi cum Mazacum turba phalerata, atque cursorum iter faciebat Nero. qui locus multos miserè exercuit: vnde vero mihi suppetiæ? à Seneca, qui in epistolis: Omnes iam sic peregrinantur vt illos Numidarum præcedat equitatus, & agmen cursorum. apage ergo ista. Chiramaxia & Mazaces è Cappadocia, sunt enim Numidæ aut paulominus.

x *VINCERE* tardè. Liuius: Si tu occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paululùm fueris, nequicquam mox omissam querare.

CL. CLAVDIANI

PANEGYRIS SECVNDA IN LAVDES STILI-chonis.

HActenus [a] armatæ laudes, nunc qualibus vrbem
Moribus, & quanto frænet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, fastísque suum concesserit annum,
Mitior incipiat fidibus iam Musa remissis.
Principio magni custos clementia mundi
Quæ Iouis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolum. nam prima chaos clementia soluit,
Congeriem miserata rudem, vultuque sereno
Discussis tenebris in lucem sęcula fudit:
Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.
Hæc docet vt pœnis hominum, vel sanguine pasci
Turpe, ferumque putes: vt ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, vt non infensus alendis
Materiam præstes odijs, vt sontibus vltro

Ignouisse velis, deponas ocyus iram
Quàm moueas, precibus nunquam implacabilis obstes,
Obuia prosternas, prostrataque more leonum
Despicias; alacres ardent cùm sternere tauros,
Transiliunt prædas humiles; hac ipse magistra
Das veniam victis, hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia contentus solo terrore coërces;
Ætherei patris exemplo, qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru [B] *, Cyclopum: spicula differt*
In scopulos, & monstra maris: nostríque cruoris
Parcus, in Oetæis exercet fulmina syluis.
Huic diuæ germana Fides [C] *; eademque sororis*
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis
Inserit, hæc nullo docuit liuescere fuco:
Nunquam falsa loqui nunquam promissa morari:
Inuisos odisse [D] *palàm, non virus in alto*
Condere, non lætam speciem prætendere fraudi,
Sed certum, mentique parem componere vultum;
Occulto sæuire vetat, prodesse remittit.
Hæc & amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroque adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium, paruo strepitu nec vincula noxæ
Dissolui patitur, nec fastidire priorem
Allicitur, veniente nouo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterque minoris
Officij magnique memor, superare laborat.
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.
Hæc fouet absentes, hæc longè sola remotis
Consulit, hæc nullis auidam rumoribus [E] *aurem*

Pandit vt ignarum nunquam læsura clientem.
Insidiosa tuos alienent murmura sensus.
» Non viuis adnexus amor, meminisse sepultos
» Desinit, in prolem transcurrit gratia patrum.
Hac tu Theodosium, tenuit dum sceptra, colebas,
Hac etiam post fata colis, nec pignora curas
Plus tua quàm natos dederat quos ille monendos,
Tutandósque tibi, iustos nimiumque fideles
Fama putat, qui cùm possint commissa negare,
Maluerint nullo violati reddere quæstu.
At Stilicho non diuitias, aurique relictum
Pondus, sed geminos axes, tantumque reseruat
Depositum [F] *teneris, quantum sol igneus ambit.*
Quid non intrepidus credas, cui regia tuto
Creditur? hoc clypeo munitus Honorius altum
Non gemuit patrem, vitæque & lucis in ipso
Limine contemptus nunquam, dat iura subactis
Gentibus, & secum sentit creuisse triumphos.
Quem tu sic placida formas, sic mente seuera,
Vt neque desidiæ tradas, dum pronus ad omne
Quodlibet obsequeris: ne contrà nixus ouantem
Confringas animum seu cernas consona regno,
Ceu iuuenem doceas, moles quid publica poscat;
Ceu sanctum [G] *venerere senem, patrijsque gubernés*
Imperium monitis, dominum submissus adores,
Obsequio moderere ducem, pietate parentem.
Hinc fuit vt primos in coniuge disceret ignes,
Ordirique virum non luxuriante iuuenta,
Sed cum lege tori, casto cum fœdere vellet.
Principe tu felix genero, felicior ille

Te ſocero, fratrem leuior nec cura tuetur
Arcadium; nec ſi quid iners, aut impia turba
Prætendens proprio nomen regale furori
Audeat, adſcribis iuueni, diſcordia quippe
Cùm fremuit, nunquam Stilichonis canduit ira.
Sæpe laceſſitus probris, odijſque petitus,
Vt bello furias: vltum quas pertulit iret,
Illicito, cauſamque daret ciuilibus armis,
Cuius fulta fide medijs diſſenſibus aulæ
Intemeratorum ſtabat reuerentia fratrum.
Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aſpera, gemmataſque togas, viridéſque Smaragdis
Loricas, galeaſque renidentes Hyacinthis,
Geſtatóſque patri ſcapulis [H] *radiantibus enſes.*
Et vario lapidum diſtinctas igne coronas
Diuidis ex æquo, ne non auguſta ſupellex,
Ornatuſque pares geminis hæredibus eſſent.
Mittitur & miles: quamuis certamine partes
Iam tumeant; hoſtem muniri robore mauis,
Quam violare fidem: permittis iuſta petenti,
Idque negas ſolum, cuius mox ipſe repulſa
Gaudeat, & quicquid fuerat deforme mereri.
Omnes præterea puro quæ crimina pellunt
Ore Deæ iunxere choros, vnoque receptæ
Pectore, diuerſós tecum cinguntur in uſus.
» *Iuſtitia vtilibus rectum præponere ſuadet,*
» *Communeſque ſequi leges, iniuſtaque nunquam*
» *Largiri ſocijs. durum Patientia corpus*
» *Inſtruit, vt nulli cupiat ceſſiſſe labori.*
» *Temperies vt caſta petas. Prudentia ne quid*

Inconsultus agas. Constantia futile nequid,
Infirmumque geras, procul importuna fugantur
Numina, monstriferis quæ Tartarus edidit antris.
Ac primum scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Auaritiam, cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, & pretijs commercia poscit honorum,
Pulsa simul, nec te gurges corruptior æui
Traxit ad exemplum, quod iam firmauerat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat vsum.
Denique non diues sub te pro rure paterno,
Vel laribus pallet: non insidiator oberrat,
Facturus quemcunque reum: non obruta virtus
Pauperate latet: lectos ex omnibus oris
Euehis, & nunquam meriti ' cunabula quæris
Et qualis, non vnde satus, sub teste benigno
» *Viuitur; egregios inuitant præmia mores,*
» *Hinc priscæ redeunt artes, felicibus inde*
» *Ingenijs aperitur iter, despectaque* [k] *Musæ*
» *Colla leuant, opibusque fluens, & pauper eodem*
» *Nititur ad fructum studio; cúm cernat vterque*
» *Quòd nec inops iaceat probitas, nec inertia surgat*
» *Diuitijs, nec te iucunda fronte fefellit*
» *Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper*
» *Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus,*
» *Membraque Circæis effœminat acriùs herbis.*
» *Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla*
» *Interiùs, fucata genas, & amicta dolosis*
» *Illecebris, toruos auro circumlinit hydros:*

Illa

Jlla voluptatum multos innexuit hamis,
Te nunquam conata capit, non praua libido
Aduigilat ſtupris, non tempora ſomnus agendi
Fruſtratur, nullo cythara[L] *conuiuia cantu,*
Non pueri laſciua ſonant, quis cernere curis
Te vacuum potuit; quis tota mente remiſſum,
Aut indulgentem dapibus? ni cauſa iuberet
Lætitiæ; non indecores æraria laſſant
Expenſæ; paruo non inproba littera libro.
Abſentum condonat opes, à milite parcus
Diligeris, neque neglectas pace cohortes
Tum[M] *ditas. cùm bella fremunt, ſcis nulla placere*
Munera, quæ metuens illis, quos ſpreuerit offert
Serus, & incaſſum ſeruati prodigus auri.
Anteuenis tempus, non expectantibus vltrò
Munificus, menſæque adhibes, & nomine quenque
Compellas: clari ſub te quod geſſerat olim
Admonitor facti, figendáque ſenſibus addis
Verba, quibus magni geminatur gratia[N] *doni.*
Nec ſi quid tribuas, iactatum ſæpiùs idem
Exprobrare, ſoles; nec quos promoueris, alto
Turgidus alloqueris faſtu; nec proſpera flatus
Attollunt nimios: quin ipſa ſuperbia longè
Diſceſſit, vitium rebus ſolenne ſecundis,
Virtutumque ingrata comes; contingere paſſim,
Affarique licet: non inter pocula ſermo
Captatur, pura ſed libertate loquendi,
Seria quiſque iocis nulla formidine miſcet.
Quem videt Auguſti ſocerum, regnique parentem,
Miratur conniua parem, cùm tanta poteſtas

Ciuem lenis agat, te doctus prisca loquentem,
Te matura senex audit, te fortia miles,
Aspersis salibus, quibus haud Amphiona quisquam
Præferat, Aonios meditantem carmine muros,
Nec velit Orpheo migrantes pectine syluas,
Hinc amor, hinc veris, & non fallentibus omnes
Pro te solliciti votis; hinc nomen vbique
Plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris.
Quæ non incudes strreperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quænon fluerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas? quis deuius esset
Angulus aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent, talem ni semper honorem
Respueres. decus hoc rapiat, quem falsa timentum
Munera decipiunt, qui se diffidit amari:
Hic solus spreuisse potest, qui iure meretur,
Vndique legati properant, generíque sub ore
In tua centenas optant præconia voces.
Grates Gallus agit, quód milite tutus inérmi,
Et metuens hostile nihil, noua culmina totis
Ædificet ripis, & sæuum gentibus amnem
Tybridis in morem, domibus præuelet amœnis,
Hinc Pœni cumulant laudes, quòd rura tyranno
Libera possideant, hinc obsidione solutus
Pannonius, potorque Saui, qui clausa tot annis
Oppida, laxatis ausus iam pandere portis
Rursum cote nouat nigras rubigine falces,
Exesósque situ cogit splendere ligones,
Agnoscitque casas, & collibus oscula notis
Figit, & impresso glebis non cedit aratro:

Exectis inculta dabant quas secula syluis,
Restituit terras, & opacum vitibus Istrum
Conserit. & patrium vectigal soluere gaudet,
Immunis qui clade fuit, te sospite fas est
Vexatum laceri corpus iuuenescere regni.
Sub tot principibus quæcunque amisimus olim
Tu reddis: solo poterit Stilichone medente
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix:
Inque suos fines tandem redeunte colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.
Nec tamen humano cedit cæleste fauori
Iudicium: cingunt superi ° concordibus vnum
Præsidijs, hostesque tuos aut littore produnt,
Aut totum oppositi claudunt fugientibus æquor,
Aut in se vertunt furijs, aut militis ense
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu;
Insidias retegunt, & in ipsa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenera venantem nare molossi:
Ominibus ventura notant, aut alite monstrant,
Aut monitos certa dignantur imagine somnos.
Pro quibus innumera trabearum insignia terræ
Certatim petiere tibi: poscentibus ipse
Restiteras, & mens aliorum prona fauori,
Iudex dura sui facibus succensa pudoris,
Tarda verecundis excusat præmia causis.
Ergo auidæ, tantosque noui spe Consulis annos
Elusæ, dominæ pergunt ad limina Romæ:
Si minus annuerit precibus, vel cogere certè
Cunctantem, votoque moras auferre paratæ.
Conueniunt ad tecta deæ, quæ candida lucent

Monte Palatino, glaucis tum prima Mineruæ
Nexa comam folijs, fuluaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces:
Cuncta mihi semper Stilicho quæcunque poposci
Concessit, tantumque suos inuidit honores:
Augusti potuit soceri contemnere fasces
Jam negat & genero: si non vt ductor ab orbe
Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula
Exiguumne putat, quòd sic amplexus Iberam
Progeniem? nostros immoto iure nepotes
Sustinet; vt patrium commmendet purpura Betim?
Quòd pulchro Mariæ fœcundet germine regnum?
Quòd domui speratur auus? Tum flaua repexo
Gallia crine ferox, euinctaque torque decoro,
Binaque gesa tenens, animoso pectore fatur:
Qui mihi Germanos solus, Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen? quod iam numerare decebat..
Vsque adeone leuis pacati gloria Rheni?
Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro pictagenas, cuius vestigia verrit
Cærulus, oceanique æstum mentitur amictus,
Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilicho, totam quum Scotus Iernen
Mouit, & infestos spumauit remige Thetys.
Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubijs venturum Saxona ventis.
Tunc spicis, & dente comas illustris eburno,
Et calido rubicunda die, sic Africa fatur:

Sperabam nullas trabeis Gildone perempto
Nasci posse moras: etiam nunc ille repugnat?
Et tanto dubitat fasces præbere triumpho?
Qui mihi Maurorum penitus lacrymabile nomen
Ignorare dedit. Post hæc Oenotria lentis
Vitibus intorquens hederas, & palmite largo
Vina fluens: Si vos adeo Stilichone curules
Augeri flagratis, ait, quas sola iuuare
Fama potest: quanto me digniùs incitat ardor,
Vt præsente fruar: conscendentemque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem.
Talibus alternant studijs, Romamque precantes
Pro cunctis hortantur eat. Nec segniùs illa
Paruit officio, raptis sed protinus armis
Ocyor excusso per nubila sidere tendit:
Transuchitur Tuscos, Apenninusque volatu
Stringitur, Eridanus clypei iam fulgurat vmbra.
Constitit ante ducem, tetrica nec Pallade vultu
Deterior, nec Marte minor, tremit ore corusco
Iam domus, & summæ tangunt laquearia cristæ.
Tum prior attonitum gratis affata querelis:
Seruatas Stilicho per te venerande curules,
Ornatas necdum fateor, quid profuit anni
Seruilem pepulisse notam? defendis honorem,
Quem fugis & spernis, tanta quem mole tueris.
Respuis oblatum, pro quo labente restitis.
Quænam causa moræ? quonam cunctabere rursus
Ingenio? nullus Boreæ metus, omnis & Austri
Ora silet: cecidit Maurus, Germania cessit,
Et Ianum pax alta ligat, te consule necdum

Digna feror. titulúmne leuem, paruique nitoris
Credimus Augusti quo se decorare fatentur?
Sub iuga quo gentes captiuis regibus egi.
Non si prodigijs casus natura futuros
Signat, polluimur macula, quod rebus Eois
Omen erat, quanquam nullis mihi cognita rebus
Fabula; vix tanto risit de crimine rumor.
Opprobrijs stat nulla fides, nec littera venit
Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus
Est tua, quod nostros qui consulis omnia patres
De monstris taceas pellendus, denique nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cœtum,
Nec mea funestum versauit curia nomen,
Pars sceleris dubitasse fuit, quæcunque profana
Pagina de primo venisset limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis
Auribus Italiæ factorum exempla nocerent.
Publicus ille furor, quantum tua cura peregit
Secretum meruit: lætetur quisquis Eous
Scribere desierit, fastos portenta Gabinos
Ista latent, propriam labem tersisse laborent.
Cur ego quæ nunquam didici, sensiue creatum,
Gratulor exemptum? delicti pœnitet illos.
Nos nec credidimus, fuerit tamen omnibus vnum
Crimen, & ad nostras manauerit vsque secures:
Plus ideo sumenda tibi fastigia iuris;
Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
Semper erat, nullo sarciri consule damnum
Excepto Stilichone potest, bene præscia tempus
Mens tua distulerat: titulo tunc crescere posses.

Nunc per te titulus: consul succurre grauatis
Consulibus: quicunque fuit, quicunque futurus
Annum redde tuum, quem mox secura sequatur
Posteritas, nec iam doleat defensa vetustas
Sit trabeis vltor Stilicho, Brutusque repertor:
Libertas populi primo tunc consule Bruto
Reddita per fasces, hic fascibus expulit ipsis
Seruitium: instituit sublimem Brutus honorem,
Asseruit Stilicho, plus seruasse repertum,
Quàm quæsisse decus, quid tardius ore verendo
Annuis? insolitus frontem circunfluit ignis?
Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.
Hoc etiam, quamuis corrumpi munere nullo
Ipse queas, mirare libens, ac suscipe cinctus,
Quos tibi diuino mecum Tritonia duxit
Pectine: tincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, & eodem neuimus auro,
Aurea quo Lachesis sub te mihi secula texit.
Hic ego promissam sobolem, speratáque mundo
Pignora prælusi, veram mox ipse probabis
Me vatem, nostraque fidem venientia telæ
Fata dabunt, dixit. gremióque rigentia profert
Dona, graues auro trabeas; insigne Mineruæ
Spirat opus, rutilis hîc pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus: Lucina dolores
Solatur; residet fulgente puerpera lecto;
Sollicitæ iuxta pallescunt gaudia matris.
Susceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lauant teneros de stamine risus

Vagitusque audire putes, iam creuerat infans
Ore ferens patrem, Stilicho maturior æuo
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fumantem serica fræna
Purpureo primæ signatus flore iuuentæ
Eucherius flectebat equum, iaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua ceruos,
Aureus ipse ferit, Venus hîc inuecta columbis,
Tertia regali iungit connubia nexu,
Pennatique [R] nurum circunstipantur amores,
Progenitam Augustis, Augustorumque sororem.
Eucherius timido iam flammea sublevat ore
Virginis, arridet læto Thermantia [S] fratri.
Nam domus hæc vtroque petit diademata sexu,
Reginasque [T] parit, reginarumque maritos:
Talibus inuitat donis, dextræque regendum
Diua simul porrexit ebur; solennibus vrnam
Commouet auspicijs annique incœpta secundat.
Tunc habiles humeros armis, dea vestibus ambit
Romuleis: Latij sederunt pectore cultus,
Loricæque locum decuit toga, Talis ab istro
Vel Scythico victor rediens Gradiuus ab axe,
Deposito mitis clypeo, candentibus vrbem
Ingreditur trabeatus equis, spatiosa Quirinus
Fræna regit, currumque patris Bellona cruentum
Ditibus exuuijs tendens ad sidera quercum,
Præcedit: lictorque Metus cum fratre Pauore:
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velata galeas lauro: propiusque iugales.

Formido ingentem vibrat succincta securim.
Vidit vt optato se consule Roma potitam:
Nunc, ait Elysij lucos irrumpere campi
Nunc libet, vt tanti Curijs miracula voti
Fabritijsque feram, famæ qui vulnere nuper
Calcatam fleuere togam, iam prata choreis
Pulsent, nec rigidos pudeat lusisse Catones.
Audiat hoc senior Brutus, Pœnisque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quod libera damnis
Vnius auxilio fasces, Libyamque recepi.
Quod superest vnum precibus fortissime consul
Adde meis, vrbique tuum largire parumper
Quem rogat aduentum, quam tu belloque fameque
Depulsa terris iterum regnare dedisti.
Splendida suscipiant alium te rostra Camillum,
Vltorem videant, seruatoremque Quirites.
Et populus quem ductor amas, quibus Africa per te
Nec prius auditas Rhodanus iam donat aristas:
Vt mihi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas, messesque ferat nunc humidus Auster,
Nunc Aquilo; cunctis ditescant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi?
Fallax ô quoties rumor deludet amorem
Suspensum, veniens omni dum crederis hora?
Spectabunt cupidæ matres, spargentur & omnes
Flore viæ, superet quum Pythia limina consul
Arduus, antiqui species Romana senatus?
Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus
Ad cœlum, quoties vallis tibi Martia ducet

Nomen, Auentino Pallanteóque recessu:
Nunc te conspiciam castris permitte relictis,
Mox & cum genero trabeis visura secundis.
Hæc dum Roma refert, iam fama loquacibus alis
Peruolat oceanum, linguis & mille citatos
Festinare iubet proceres; nullisque senectus,
Non iter, hybernis obstant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti pridem, clarique vetustis
Fascibus adsocij properant, & vindicis annum.
Sic vbi fœcunda reparauit morte iuuentam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Vnguibus ossa pijs, Niliq; ad littora tandem
Vnicus extremo Phœnix procedit ab Euro,
Conueniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Vt solis mirentur auem: procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama busti.
Nec minor in cælo chorus est. Exultat vterque
Theudosius [v], *diuiq;* [x] *tui sol ipse quadrigis*
Vere coronatis, dignum tibi præparat annum.
Est ignota [y] *procul, nostræque imperuia menti*
Vix adeunda deis, annorum squalida mater,
Immensi spelunca æui, quæ tempora vasto
Suppeditat, reuocátq; sinu: complectitur antrum
Omnia qui placido consumit numine serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.
Vestibuli custos vultu longæua decoro,
Ante fores Natura sedet, cunctisque volantes
Dependent membris animæ: mansura verendus

Scribit iura senex, numeros qui diuidit astris,
Et cursus, stabilesque moras, quibus omnia viuunt,
Ac pereunt: fixis cum legibus ille recenset,
Incertum quid Martis iter, certúmque Tonantis
Proficiat mundo: quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni: quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius erret.
Illius vt Phœbus ad limen constitit antri,
Occurrit Natura potens, seniorque superbis
Caniciem inclinat radijs: tunc sponte reclusos
Laxauit postes Adamas, penetrale profundum
Panditur, & sedes, æuique arcana patescunt.
Hîc habitant variæ facies; distincta metallo
Secula certa locis; illic glomerantur ahena,
Hic ferrata rigent; illic argentea candent
Eximia regione domus; contingere terris
Difficilis stabat rutili grex aureus anni:
Quorum præcipuum pretioso corpore Titan
Signandum Stilichone legit, tunc imperat omnes
Pone sequi, dictisque simul compellat euntes:
En cui distulimus melioris secla metalli
Consul adest, ite optati mortalibus anni,
Ducite virtutes hominum, florescite rursus
Ingenijs, hilares Baccho, frugumque feraces.
Non inter geminos Anguis glaciale Triones
Sibilet, immodico nec frigore sæuiat Vrsa:
Non toruo fremat igne Leo, nec brachia Cancri
Vrat atrox æstas, madidæ nec prodigus vrnæ
Semina prærupto dissoluat Aquarius imbre.

Phryxaeus roseo producat fertile cornu
Ver Aries, pingues nec grandine tundat oliuas
Scorpius; Autumni maturet gramina Virgo.
Lenior & grauidis allatret Syrius vuis.
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallemque suam, quam flammeus ambit
Riuus, & irriguis largum iubar ingerit herbis
Quas Solis pascuntur equi: flagrantibus inde
Caesariem sertis, & lutea lora, iubasque
Subligat alipedum: gelidas hinc Lucifer ornat
Hinc Aurora comas, iuxtaque arridet habenis
Aureus, & nomen praetendit consulis Annus;
Inque nouos iterum reuoluto cardine cursus
Scribunt aethereis Stilichonem sidera fastis.

ST. CLAVERII.
ANNOTATIONES IN PANEG. II. STILICHONIS.

ª *HACTENVS.* Sunt qui libenter hæc superioribus annecterent sed Ouidius ita omninò vsus est in duobus libris de Rem. Amoris. nam libri 2. Initium tale est: Hactenus inuidiæ respondimus. Apud Statium tamen diuisio non est, sed minore spacio excurso: Hactenus arma chelys. in omnibus Alma perperam meo iudicio.

ᵇ *TONITRV.* Pulchrè Statius de Domitiano: Venturi fulminis ictus Horrentem, tonitru tantùm, tenuique procella Contentus monuisse fuit.

ᶜ *FIDES.* etiam perfidis præstanda auctore B. Ambrosio.

ᵈ *ODISSE.* præstat renuntiare amicitiam more maiorum, & exemplo Germanici vt est apud Suet. Honestius vero est offendere quam odisse, clanculum scilicet. vide Tacitum.

ᵉ *RVMORIBVS.* Mæcenas apud Dionem. οὐ χρὴ πᾶσι τοῖς λεγομένοις πιστεύειν. nam quis innocens erit si accusasse sufficiet ait ille apud Am.

ᶠ *DEPOSITVM.* At verò aliud quidam Græculi & Hispani tradidere, asserentes Stilichonem inhiasse purpuræ. Deuterius tamen, auctore zosimo, & alij quæstioni subiecti nihil de Stilichonis coniuratione, quæ obijciebatur, confessi verberibus ad necem cæsi sunt: atque in hanc rem B. Ambrosius: Fides dicitur quæ vel mortua sonum reddit. ac si non sine graui scelere minorum iura temerantur, quanto magis in filijs Imperatoris: hæc sanè dixit coram Stilichone quasi præceptum.

ᵍ *SANCTVM* senem. B. Ambrosium intellige qui magno affectu prosecutus est Stilichonem. sanè si diutiùs post mortem Theodosij vixisset, mutuas tradidisset operas cum Stilichone, in fouendo ac regendo Honorio. sed maturiùs decessit. vnde

Stilicho dixisse fertur (ait Paulinus) tanto viro recedente de corpore, interitum imminere Italiæ. obiit vero ante bellum Gildon. quod fuit triennio post mortem Theodosij. Hîc sanè perspicio magnum Stilichonem quasi pædagogum principis egisse quod munus, χαλὸν ἔργον καὶ λαμπρὸν ἔχειν ait Plutarchus, quamuis aliter sentiant parasiti ac tenebriones.

[u] *CAPVLIS.* Sic opt. liber, quod rectum puto: non enim hic de Scapulis Theodosij, sed de ensibus quorum capuli fuerint gemmis radiantes, ac preciosi, quinetiam digni qui in diuisionem hæreditatis venirent.

[i] *MERITI* cunabula. hæc mutare non sustinui, quamuis liber quidã: meritũ, nunquã cunabula. Cuiacius vero è vet. cod. Meritum, non quæ cunabula, sed recepta lectio magis poetica minúsque sapit coniecturam. Ergo meriti id est eius qui meritus est honoris gradum. Sic in laud. Serm. Sæpe duces meritis bello tribuere coronas, & paulo post: vt semper merito, vel meriti id est virtutis. Ausonius de Seuero Imp. Punica origo illi sed qui virtute probaret non obstare locum cum valet ingenium.

[x] *MVSÆ* Collaleuant. Henricus tertius Galliæ Sarmatiæque Rex, circa annum 1580. cum suis lectoribus salarium amplius annuiset hunc meruit Anagr. Erexi artes huius secli, quas alam Regali vena. scitum est vero seclum ex vet. inscrip.

[L] *CITHARÆ.* Sid. de Theodorico: Nullus inter cœnam lyristes, illic nec organa hydraulica sonant.

[m] *TVM DITAS.* At nemesis voluit, vt Heliocrates quidam cæso Stilichone, omnium facultates quos ille euexerat ex mandato principis publicaret, vide Zos.

[n] *GRATIA DONI.* Symmachus ad Stilichonem: Nihil ad integrandas hominum fortunas virtutibus tuis promtius; nouos beneficiorum gradus inuenis; incõstantem putas amorem qui incrementum non capit; tu instrumentum boni sæculi; tuæ familiæ debetur quidquid singuli sumus.

[o] *SVPERI.* Cic. Sunt quibus etiam venti tempestatésque obsecundent. de insomnio Ammianus: Id agit Benignitas numinis aut meritum hominum, aut affectio syncera qua diuinitas tangitur ad prodenda ea quæ ipsis impendeant. Hom. ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

[r] *MARIÆ* partus. At Maria Aug. sine prole obiit, vnde illud vaticinium perit.

[s] *FVLGENTE* lecto. Auro vel argento scilicet, sic apud Iulianum imp. Iouis lectum videmus chiasmo figuratum, hoc modo:

ἀργύρου ✕ στιλπνοτέρα
χρυσίου ✕ λευκοτέρα

hoc est Argento lucidiorem Auro candidiorem, de hac figura iam diximus.

[t] *NVRVM.* Placidiam innuit quæ filia Theodosii magni ex Galla sorore Valentiniani Iun. satis verò apparet Claudianum eam quasi destinare Eucherio.

[u] *REGINAS.* Sic olim Regum filiæ apud nos. Seruius in illud: inscripti nomina Regum: Non quoniam ipsi reges inquit, sed quia regum filii.

[x] *THERMANTIA.* Stilichonis filia minor natu quæ sorore defuncta nupsit Honorio, integro adhuc & casto, vt aiunt, quantum ad illam.

[y] *THEVDOSIVS.* Anthologiæ 3. θεῖον Ἰωάννου τὸν πάνυ θευδόσιον. Sic Theudoricus apud Sid.

[z] *DIVI.* Deum honor, ait Tacitus non ante principi habetur quàm agere inter homines desierit. Tertull. Maledictum est ante apotheosin Deum Cæsarem nuncupare.

[a] *EST IGNOTA.* Hîc aliquid Hieroglyphicum. & sanè Orus Apollo, arcana Ægyptiæ gentis adprimè doctus, libellum scripsit vbi Serpens eiusmodi pingitur subtili & pulchro indicio apud Virg. Serpens. Septem ingens gyros septena volumina versat quod septennium designat; vbi Seruius: Annus, inquit, secundùm Ægyptios ante inuentas litteras indicabatur picto dracone caudam suam mordente: & hic poeta fuit Ægyptius.

IN PANEGYRIN TERTIAM PRÆFATIO.

MAior [A] Scipiades, Italis qui solus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non sine Pierijs exercuit artibus arma,
Semper erat vatum maxima cura duci.
» *Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas:*
» *Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.*
Ergo seu patrijs primæuus manibus vltor,
Subderet Hispanum legibus oceanum,
Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires,
Inferret Libyco signa tremenda mari:
Hærebat doctus lateri, castrísque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.
Illi post lituos pedites fauere canenti,
Laudauitque noua cæde cruentus eques.
Quumque triumpharet gemina [B] Carthagine [C] victor;
Hanc vindex patris, vicerat hanc patriæ;
Quum longi Libyam tandem post funera belli
Ante suas mœstam cogeret ire rotas,
Aduexit reduces secum victoria Musas,
Et sertum vati Martia laurus erat.
Noster Scipiades Stilicho: quo concidit alter
Annibal, antiquo sæuior Annibale.
Te mihi post quintos [D] annorum Roma recursus
Reddidit, & votis iussit adesse suis.

CL.

CL. CLAVDIANI IN LAVDES STILICHONIS PANEGYRIS TERTIA.

QVEM [1] *populi plausu, procerum quem voce petebas,*
Aspice Roma virum. iam tempora desine longe
Dinumerare via, visoque assurgere semper
Puluere, non dubijs vltra torquebere votis.
Totus adest oculis, aderat qui mentibus olim,
Spe maior, fama melior, venerare curulem,
Quæ tibi restituit fasces: complectere dextram,
Sub iuga quæ Pœnos iterum Romana redegit.
Excipe magnanimum pectus, quo fræna reguntur
Imperij, cuius libratur sensibus orbis.
Os sacrum quod in ære colis, miraris in auro,
Cerne libens hic est pro te bellator vbique
Defensor Libyæ, Rheni pacator & Istri.
Ostentare suos prisco si more labores,
Et gentes cuperet vulgo monstrare subactas,
Certarent vtroque pares à cardine laurus.
Hæc Alamannorum spolijs, Australibus illa
Ditior exuuijs: illinc flauente Sicambri

Ddd

Ordinibus: lætatur eques, plauditque senator,
Votáque pa.ritio certant plebeia fauori.
O felix, seruata vocat quem Roma [r] parentem,
O mundi communis amor, cui militat omnis
Gallia, quem regum thalamis Hispania nectit.
Cuius & aduentum crebris petiere Quirites
Vocibus, & meruit, genero præstante, senatus.
Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non fessis optantur flamina nautis,
Ut tuus aspectus populo, quæ numine tanto
Littora fatidicas attollunt Delia lauros,
Venturi quoties affulsit Apollinis arcus?
Quæ sic aurifero Pactoli fonte tumescit
Lidya, quum domitis apparuit Euius Indis?
Nonne vides & plebe vias, & tecta latere
Matribus, híc, Stilicho cunctis inopina reluxit
Te victore salus: septem circunspice montes,
Qui solis radios auri fulgore lacessunt,
Indutosque arcus spolijs, æquatáque templa
Nubibus, & quicquid tanti struxere triumphi.
Quantum profueris, quantam seruaueris vrbem,
Attonitis metire oculis, hæc fabula certè
Cuncta forent, si Pœnus adhuc incumberet Austro.
Mos erat in veterum castris, vt tempora quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste,
Casurum potuit morti subducere ciuem.
At tibi quæ poterit pro tantis ciuica reddi
Mœnibus? aut quantæ pensabunt facta coronæ?
Non solum populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis, sed quò iucundior esset

Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ
Pondus, & amissas vires, & regna recepit.
Jam non prætumidi supplex Orientis ademptam
Legatis poscit Libyam, famulosue precatur
(Dictu turpe) suos, sed robore freta Gabino
Te duce Romana tandem se vindicat ira.
Ipsa iubet signis, bellaturoque togatus
Imperat, & spectant Aquilæ decreta senatus.
Ipsa tibi trabeas vltro dedit, ipsa curulem
Obtulit hęc vltro fastos ornare coëgit.
Nil perdit decoris prisci, nec libera quæris
Sęcula, quum donet fasces, quum prælia mandet.
Seque etiam creuisse videt, quis Gallica rura?
Quis meminit Latio Senonum seruisse ligones?
Aut quibus exemplis fœcunda Tybris ab Arcto
Vexit Lingonico sudatas vomere messes?
Auxilium non illa seges modo præbuit vrbi,
Sed fuit indicio, quantum tibi Roma liceret;
Ammonuit [c] dominæ gentes, instarque trophæi
Rettulit ignotum gelidis vectigal ab oris,
Hoc quoque maiestas augescit plena Quirini,
Rectores Libyæ populo quòd iudice pallent
Et post emeritas moderator quisque secures
Discrimen lathale subit: quòd Pœnus arator
Intulerit, madidus quantum transmiserit Auster.
Ardua qui late terris responsa dedere,
Hinc trepidant humiles: tremuit quos Africa nuper,
Cernunt rostra reos, cani virtutibus æui
Materiem pandit Stilicho, populúmque vetusti
Culminis immemorem. dominandi rursus in vsum

Excitat, vt magnos calcet metuendus honores:
Pendat iustitia crimen, pietate remittat
Errorem; purosque probet, damnetque nocentes,
Et patrias iterum clemens exerceat artes.
» *Fallitur, egregio quisquis sub principe credit*
» *Seruitium, nunquam libertas gratior extat,*
» *Quam sub rege pio; quos præficit ipse regendis*
» *Rebus, ad arbitrium plebis, patrumque reducit,*
» *Conceditque libens; meritis seu præmia poscant*
» *Seu punire velint: posito iam purpura fastu,*
» *De se iudicium non indignatur haberi:*
Sic docuit regnare socer, sic casta iuuentæ
Fræna dedit, teneros his moribus imbuit annos:
Verior Augusti genitor; fiducia belli,
Pacis consilium; per quem squalore remoto
Pristina Romuleis infloruit artibus ætas:
Per quem fracta diu, translataque pene potestas
Non, oblita sui, seruilibus exulat aruis:
In proprium seducta larem victricia reddit
Fata solo; fruiturque iterum quibus hæserat olim
Auspicijs, capitique errantia membra reponit.
Proxime dis consul, tantæ qui prospicis vrbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris.
Quæ septem scopulis zonas [H] *imitatur olympi,*
Armorum, legumque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula [I] *iuris.*
Hæc est exiguis quæ finibus orta, tetendit

In geminos axes, paruaque à sede profecta
Dispersit cum sole manus: hæc obuia fatis
Innumeras vno gereret cùm tempore pugnas:
Hispanas caperet, Siculas submitteret vrbes,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,
Nunquam succubuit damnis, & tetrrita nullo
Vulnere, post Cannas maior, Trebiamque fremebat.
Et quum iam premerent flammæ, murumque feriret
Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos,
Nec stetit Oceano, remísque ingressa profundum,
Vincendos alio quæsiuit in orbe Britannos.
Hæc est in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fouit,
Matris, non dominæ ritu: ciuesque vocauit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patrijs regionibus vtitur hospes,
Quod sedem mutare licet, quod cernere Thulen,
Rursus & horrendos quondam penetrare recessus.
Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod cuncti gens vna sumus, nec terminus vnquam
Romanæ ditionis erit, nam cætera regna
Luxuries vitijs, odijsque superbia vertit.
Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit, sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses:
Subiecit, Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis hæc augurijs firmata Sibyllæ,
*Hæc sacris animata Numæ est: hinc fulmina * vibrat*
Iuppiter: hanc tota Tritonia Gorgone velat

Arcanas huc Vesta faces, huc Orgia secum
Transtulit, & Phrygios genitrix turrita leones.
Huc depulsurus morbos Epidaurius hospes
Reptauit placido tractu, vectumque per vndas
Insulae Paeonium texit Tyberina draconem.
Hanc tu cum superis Stilicho praeclare tueris:
Protegis hanc clypeo, matrem regumque ducumque
Praecipueque tuam dedit haec exordia lucis
Eucherio: puerumque ferens hic regia mater
Augusto monstrauit auo: laetatus at ille
Sustulit in Tyria reptantem veste nepotem,
Romaque venturi gaudebat praescia fati,
Quod te iam toto meruisset pignore ciuem.
Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Nesciat, hunc credas populum, si voluere priscos
Annales libeat, quoties hinc praelia sumpsit
Pro socijs, quoties dono concessit amicis
Regibus, Ausonio quaesitas sanguine terras
Publica sed nunquam tanto se gratia fudit
Assensu (quis enim princeps haec omnibus egit
Obsequijs?) sese dominum patremque vocari,
Quod tibi continuis resonant conuexa diebus.
Macte nouis consul titulis, Mauortia plebes
Te dominum Bruto non indignante fatetur.
Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta
Libertas Romana pati, Stilichonis amori
Detulit, exultant auidi quocunque decorus
Conspiciare loco, nomenque ad sidera tollunt;
Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu:
Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,

Seu celebres ludos, solio seu fultus eburno
Cingas iure forum denso seu turbine vulgi
Circunfusa tuæ conscendant rostra secures.
Quæ vero procerum voces quàm certa fuere
Gaudia? cum totis exurgens ardua pennis
Ipsa duci sacras Victoria panderet ædes,
Et palma uiridi gaudens, & amicta trophæis
Custos imperij virgo, quæ sola mederis
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem!
Seu tibi Dictææ placuerunt astra coronæ,
Seu magis æstiuo sedes vicina Leoni,
Seu sceptrum sublime Iouis, seu Palladis ambis
Ægida, seu fessi mulces suspiria Martis,
Adsis perpetuum Latio, votísque senatus
Annue diua tui: Stilicho tua sæpius ornet
Limina, teque simul rediens in castra reducat.
Hunc bellis comitare fauens: hunc redde togatum
Consilijs: semper placidis te moribus egit,
Seruauitque piam victis, nec polluit vnquam
Laurum sæuitia; ciuem nec fronte superba
Despicit, aut trepidam vexat [L] *legionibus vrbem.*
Sed verus patriæ consul, cessantibus armis
Contentus lictore [M] *venit, nec inutile quærit*
Ferri præsidium, solo munitus amore:
Magnarum nec parcus opum, geminare profundas
Distulit impensas, & post miracula castris
Edita, vel genero Romæ maiora reseruat.
Auratos Rhodijs imbres, nascente Minerua
Indulsisse Iouem perhibent, Bacchoque paternum
Iam pulsante femur, mutatus palluit Hermus

In precium

In precium; votique famem passurus auari
Ditabat rutilo quicquid Mida tangeret auro:
Fabula, seu verum canitur, tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midæ, pluuiasque Tonantis
Obscurat veteres, obscurabitque futuros
Par donis armisque manus, si solueret ignis
Quas dedit immanes vili pro pondere massas,
Argenti potuere lacus & flumina fundi.
Nec tibi, quæ pariter syluis dominaris & astris,
Exiguam Stilicho mouit Latonia curam,
Tu quoque nobilibus spectacula nostra laboras
Illustrare feris, summoque in vertice rupis
Alpinæ socias, arcu cessante pudicas,
Et pharetratarum comitum inuiolabile cogis
Concilium: veniunt humeros & brachia nudæ,
Armatæque manus iaculis, & terga sagittis
Incomptæ, pulchræque tamen: sudoribus ora
Puluerulenta rubent, sexum nec cruda fatetur
Virginitas: sine lege comæ, duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant, præcedit amicas
Flaua Leontodame [N], sequitur nutrita Lycæo
Nebrophone, telisque domat quæ Mænala Thero,
Ignea Cretæa properat Britomartis ab Ida,
Et cursu Zephyris nunquam cessura Lycaste:
Iungunt se geminæ, metuenda feris Hecaërge,
Et soror, optatum numen venantibus Opis,
Progenies Scythiæ, diuas nemorumque potentes
Fecit Hyperboreis Delos prælata pruinis.
Hæ septem venere duces, exercitus alter
Nympharum incedunt, acies formosa Dianæ

Centũm Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem casto genuit quas flumine Ladon:
Quas vbi collectas vidit, sic Delia cœpit:
O sociæ, mecum thalami quæ iura perosæ,
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Cernitis vt Latio superi communibus ornent
Hunc annum studijs quantos Neptunus equorum
Donet ab orbe greges, laudi quàm nulla canendæ
Fratris plectra vacent: nostram quoque sentiat idem,
Quam meritis debemus opem, non spicula poscit
Iste labor, maneant clausis nunc sicca pharetris,
Omnis & à solitis noster venatibus arcus
Temperet, in solam cruor hic seruetur arenam.
Retibus & claustris dilata morte tenendæ,
Ducendæque feræ, cupidas arcete sagittas,
Consulis in plausum casuris parcite monstris.
Acceleret diuisa manus, mihi cursus anhelas
Tenditur ad Syrtes, mecum Dictæa Lycaste,
Et comes Opis eat. steriles iuuat ire per æstus.
Nanque feras alijs tellus Maurusia donum
Præbuit: huic soli debet ceu victa tributum.
Dum nos horribiles Libyæ scrutamur alumnos
Europæ vos interea perquirite saltus,
Et scopulos, posita ludat formidine pastor,
Securísque canat Stilichonem fistula syluis.
Parent ° numinibus montes, vt legibus vrbes.
Dixit, & extemplo frondosa fertur ab Alpe
Trans pelagus, cerui currum subiere iugales,
Quos decus esse deæ primi sub lumine cœli
Roscida fœcundis concepit Luna ' cauernis:

Par nitor intactis niuibus, frons discolor auro
Germinat, & spatio summas æquantia fagos
Cornua ramoso surgunt procera metallo.
Opis frana tenet, fert retia rara Lycaste,
Auratasque plagas, immortalesque Molossi
Latrantes medijs circum iuga nubibus ibant.
Quinque aliæ paribus (Phœbe sic iusserat) armis,
Diuersa regione ruunt, ducítque cohortem
Quæque suam: variæ formis, & gente sequuntur
Ingenioque canes: illa grauioribus aptæ
Morsibus, hæ pedibus celeres, hæ nare sagaces,
Hirsutæque fremunt Cressæ, tenuesque Lacænæ,
Magnaque taurorum fractura colla Britannæ
Dalmatiæ lucos, abruptaque brachia Pindi
Sparsa comam Britomartis agit, tu Gallica cingis
Lustra Leontodame, Germanorumque paludes
Eruis, & si quis defensus arundine Rheni
Vastus aper nimio dentes curuauerat æuo.
Nubiferas Alpes, Apenninique recessus,
Garganique niues Hecaërge prompta fatigat.
Speluncas canibus Thero rimatur Iberas,
Informesque cauis vrsos detrudit ab antris,
Quorum sæpe Tagus manantes sanguine rictus
Non satiauit aquis, & quos iam frigore segnes
Pyrenea tegit latebrosis frondibus ilex.
Cyrnæis Siculisque iugis venata virago,
Nebrophone ceruos, aliasque in vincula cogit
Non sæuas pecudes, sed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum quodcunque tremendum
Dentibus, aut insigne iubis, aut nobile cornu,

Aut rigidum setis capitur, decus omne, timorque
Syluarum; non cauta latent, non mole resistunt
Fortia, non volucri fugiunt pernicia cursu:
Hæc laqueis innexa gemunt, & clausa feruntur
Ilignis domibus: fabri nec tigna polire
Sufficiunt: rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes caueæ [a]: ratibus pars ibat onustis
Per freta vel fluuios, exanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat nauita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plaustra vias, montani plena triumphi:
Et fera solicitis vehitur captiua iuuencis,
Explebat quibus antè famem: quotiesque reflexi
Conspexere boues, pauidi temone recedunt.

Iamque pererratis Libyæ flagrantibus oris,
Legerat eximios Phœbi germana leones,
Hesperidas qui sæpe fugant, ventoque citatis
Terrificant Atlanta iubis, armentaque longe
Vastant Æthiopum, quorumque impune fragosa
Murmura pastores nunquam excepere per auras.
Non illos tædæ ardentes, non strata supernè
Lapsuro virgulta solo, non vocibus hœdi
Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit:
Vltrò se voluere capi, gaudentque videri
Tantæ præda Deæ, respirant pascua tandem,
Agricolæ reserant iam tuta mapalia Mauri,
Tum virides pardos, & cætera colligit Austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen,

Per proceres & vulgus eant. stupor omnibus Indis
Plurimus: ereptis elephas inglorius errat
Dentibus: insidit nigra ceruice gementum,
Et fixum Dea quassat ebur, penitusque cruentis
Stirpibus auulsis patulos exarmat hiatus.
Ipsos quinetiam nobis miracula vellet
Ducere, sed pigra cunctari mole veretur.
Tyrrhenas fœtus Libycos [R] *amplexa per vndas.*
Classica turba sonat, caudamque à puppe retorquens
In proram iacet vsque leo, vix subleuat vnum
Tarda ratis, fremitus stagnis auditur in imis.
Cunctáque prosiliunt cete, [S] *terrenáque Nereus*
Confert monstra suis, sed non æquare fatetur.
Æquora sic victor quoties per rubra Lyæus
Nauigat, intorquet clauum Silenus, & acres
Insudant [T] *tonsis Satyri, taurináque pulsu*
Baccharum [V] *pronos inuitant tympana remos:*
Transtra ligant hederæ, malum circunflua vestit
Pampinus, antennis illabitur ebria serpens,
Perque mero madidos currunt, [X] *saliuntque rudentes*
Lynces, & [Y] *insolitæ mirantur carbasa tigres.*

FINIS.

Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ
Pondus, & amissas vires, & regna recepit.
Jam non prætumidi supplex Orientis ademptam
Legatis poscit Libyam, famulosue precatur
(Dicta turpe) suos, sed robore freta Gabino
Te duce Romana tandem se vindicat ira.
Ipsa iubet signis, bellaturoque togatus
Jmperat, & spectant Aquilæ decreta senatus.
Ipsa tibi trabeas vltro dedit, ipsa curulem
Obtulit hęc vltro fastos ornare coëgit.
Nil perdit decoris prisci, nec libera quærit
Sęcula, quum donet fasces, quum prælia mandet.
Seque etiam creuisse videt, quis Gallica rura?
Quis meminit Latio Senonum seruisse ligones?
Aut quibus exemplis fœcunda Tybris ab Arcto
Vexit Lingonico sudatas vomere messes?
Auxilium non illa seges modo præbuit vrbi,
Sed fuit indicio, quantum tibi Roma liceret;
Ammonuit ᶜ dominæ gentes, instarque trophæi
Rettulit ignotum gelidis vectigal ab oris,
Hoc quoque maiestas augescit plena Quirini,
Rectores Libyæ populo quòd iudice pallent
Et post emeritas moderator quisque secures
Discrimen lethale subit: quòd Pœnus arator
Jntulerit, madidus quantum transmiserit Auster.
Ardua qui late terris responsa dedere,
Hinc trepidant humiles: tremuit quos Africa nuper,
Cernunt rostra reos, cani virtutibus æui
Materiem pandit Stilicho, populúmque vetusti
Culminis immemorem. dominandi rursus in vsum

Excitat, vt magnos calcet metuendus honores:
Pendat iustitia crimen, pietate remittat
Errorem; purosque probet, damnetque nocentes,
Et patrias iterum clemens exerceat artes.
» *Fallitur, egregio quisquis sub principe credit*
» *Seruitium, nunquam libertas gratior extat,*
» *Quam sub rege pio; quos præficit ipse regendis*
» *Rebus, ad arbitrium plebis, patrumque reducit,*
» *Conceditque libens; meritis seu præmia poscant*
» *Seu punire velint: posito iam purpura fastu,*
» *De se iudicium non indignatur haberi:*
Sic docuit regnare socer, sic casta iuuentæ
Fræna dedit, teneros his moribus imbuit annos:
Verior Augusti genitor; fiducia belli,
Pacis consilium; per quem squalore remoto
Pristina Romuleis infloruit artibus ætas:
Per quem fracta diu, translataque pene potestas
Non, oblita sui, seruilibus exulat aruis:
In proprium seducta larem victricia reddit
Fata solo; fruiturque iterum quibus hæserat olim
Auspicijs, capitique errantia membra reponit.
Proxime dis consul, tantæ qui prospicis vrbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris.
Quæ septem scopulis zonas [H] *imitatur olympi,*
Armorum, legumque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula [I] *iuris.*
Hæc est exiguis quæ finibus orta, tetendit

Arcanas huc Vesta faces, huc Orgia secum
Transtulit, & Phrygios genitrix turrita leones.
Huc depulsurus morbos Epidaurius hospes
Reptauit placido tractu, vectumque per vndas
Insule Pæonium texit Tyberina draconem.
Hanc tu cum superis Stilicho præclare tueris:
Protegis hanc clypeo, matrem regumque ducumque
Præcipueque tuam dedit hæc exordia lucis
Eucherio: puerumque ferens hîc regia mater
Augusto monstrauit auo: lætatus at ille
Sustulit in Tyria reptantem veste nepotem,
Romaque venturi gaudebat præscia fati,
Quod te iam toto meruisset pignore ciuem.
Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Nesciat, hunc credas populum, si voluere priscos
Annales libeat, quoties hinc prælia sumpsit
Pro socijs, quoties dono concessit amicis
Regibus, Ausonio quæsitas sanguine terras
Publica sed nunquam tanto se gratia fudit
Assensu (quis enim princeps hæc omnibus egit
Obsequijs?) sese dominum patremque vocari,
Quod tibi continuis resonant conuexa diebus.
Macte nouis consul titulis, Mauortia plebes
Te dominum Bruto non indignante fatetur.
Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta
Libertas Romana pati, Stilichonis amori
Detulit, exultant auidi quocunque decorus
Conspiciare loco, nomenque ad sidera tollunt;
Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu:
Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,

Seu celebres ludos, solio seu fultus eburno
Cingas iure forum denso seu turbine vulgi
Circunfusa tuæ conscendant rostra secures.
Quæ vero procerum voces quàm certa fuere
Gaudia? cum totis exurgens ardua pennis
Ipsa duci sacras Victoria panderet ædes,
Et palma uiridi gaudens, & amicta trophæis
Custos imperij virgo, quæ sola mederis
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem!
Seu tibi Dictææ placuerunt astra coronæ,
Seu magis æstiuo sedes vicina Leoni,
Seu sceptrum sublime Iouis, seu Palladis ambis
Ægida, seu fessi mulces suspiria Martis,
Adsis perpetuum Latio, votísque senatus
Annue diua tui: Stilicho tua sæpius ornet
Limina, teque simul rediens in castra reducat.
Hunc bellis comitare fauens: hunc redde togatum
Consilijs: semper placidus te moribus egit,
Seruauitque piam victis, nec polluit vnquam
Laurum sæuitia; ciuem nec fronte superba
Despicit, aut trepidam vexat [L] *legionibus vrbem.*
Sed verus patriæ consul, cessantibus armis
Contentus lictore [M] *venit, nec inutile quærit*
Ferri præsidium, solo munitus amore:
Magnarum nec parcus opum, geminare profundas
Distulit impensas, & post miracula castris
Edita, vel genero Romæ maiora reseruat.
Auratos Rhodijs imbres, nascente Minerua
Indulsisse Iouem perhibent, Bacchoque paternum
Iam pulsante femur, mutatus palluit Hermus

In precium

In precium; votique famem passurus auari
Ditabat rutilo quicquid Mida tangeret auro:
Fabula, seu verum canitur, tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midæ, pluuiasque Tonantis
Obscurat veteres, obscurabitque futuros
Par donis armisque manus, si solueret ignis
Quas dedit immanes vili pro pondere massas,
Argenti potuere lacus & flumina fundi.
Nec tibi, quæ pariter syluis dominaris & astris,
Exiguam Stilicho mouit Latonia curam,
Tu quoque nobilibus spectacula nostra laboras
Illustrare feris, summoque in vertice rupis
Alpinæ socias, arcu cessante pudicas,
Et pharetratarum comitum inuiolabile cogis
Concilium: veniunt humeros & brachia nudæ,
Armatæque manus iaculis, & terga sagittis
Incomptæ, pulchræque tamen: sudoribus ora
Puluerulenta rubent, sexum nec cruda fatetur
Virginitas: sine lege comæ, duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant, præcedit amicas
Flaua Leontodame [N] *, sequitur nutrita Lycæo*
Nebrophone, telísque domat quæ Mænala Thero,
Ignea Cretæa properat Britomartis ab Ida,
Et cursu Zephyris nunquam cessura Lycaste:
Iungunt se geminæ, metuenda feris Hecaërge,
Et soror, optatum numen venantibus Opis,
Progenies Scythiæ, diuas nemorumque potentes
Fecit Hyperboreis Delos prælata pruinis.
Hæ septem venere duces, exercitus alter
Nympharum incedunt, acies formosa Dianæ

Centùm Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem casto genuit quas flumine Ladon:
Quas vbi collectas vidit, sic Delia cœpit:
O sociæ, mecum thalami quæ iura perosæ,
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Cernitis vt Latio superi communibus ornent
Hunc annum studijs quantos Neptunus equorum
Donet ab orbe greges, laudi quàm nulla canendæ
Fratris plectra vacent: nostram quoque sentiat idem,
Quam meritis debemus opem, non spicula poscit
Iste labor, maneant clausis nunc sicca pharetris,
Omnis & à solitis noster venatibus arcus
Temperet, in solam cruor hic seruetur arenam.
Retibus & claustris dilata morte tenendæ,
Ducendæque feræ, cupidas arcete sagittas,
Consulis in plausum casuris parcite monstris.
Acceleret diuisa manus, mihi cursus anhelas
Tenditur ad Syrtes, mecum Dictæa Lycaste,
Et comes Opis eat. steriles iuuat ire per æstus.
Nanque feras alijs tellus Maurusia donum
Præbuit: huic soli debet ceu victa tributum.
Dum nos horribiles Libyæ scrutamur alumnos
Europæ vos interea perquirite saltus,
Et scopulos, posita ludat formidine pastor,
Securísque canat Stilichonem fistula syluis.
Parent ° numinibus montes, vt legibus vrbes.
Dixit, & extemplo frondosa fertur ab Alpe
Trans pelagus, cerui currum subiere iugales,
Quos decus esse deæ primi sub lumine cœli
Roscida fœcundis concepit Luna^r cauernis:

Par nitor intactis niuibus, frons discolor auro
Germinat, & spatio summas æquantia fagos
Cornua ramoso surgunt procera metallo.
Opis fræna tenet, fert retia rara Lycaste,
Auratasque plagas, immortalesque Molossi
Latrantes mediis circum iuga nubibus ibant.
Quinque aliæ paribus (Phœbe sic iusserat) armis,
Diuersa regione ruunt, ducítque cohortem
Quæque suam: variæ formis, & gente sequuntur
Ingenioque canes: illa grauioribus aptæ
Morsibus, hæ pedibus celeres, hæ nare sagaces,
Hirsutæque fremunt Cressæ, tenuesque Lacænæ,
Magnaque taurorum fractura colla Britannæ
Dalmatiæ lucos, abruptaque brachia Pindi
Sparsa comam Britomartis agit, tu Gallica cingis
Lustra Leontodame, Germanorumque paludes
Eruis, & si quis defensus arundine Rheni
Vastus aper nimio dentes curuauerat æuo.
Nubiferas Alpes, Apenninique recessus,
Garganique niues Hecaërge prompta fatigat.
Speluncas canibus Thero rimatur Iberas,
Informesque cauis vrsos detrudit ab antris,
Quorum sæpe Tagus manantes sanguine rictus
Non satiauit aquis, & quos iam frigore segnes
Pyrenea tegit latebrosis frondibus ilex.
Cyrnæis Siculisque iugis venata virago,
Nebrophone ceruos, aliasque in vincula cogit
Non sæuas pecudes, sed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum quodcunque tremendum
Dentibus, aut insigne iubis, aut nobile cornu,

Aut rigidum ſetis capitur, decus omne, timorque
Syluarum; non cauta latent, non mole reſiſtunt
Fortia, non volucri fugiunt pernicia curſu:
Hæc laqueis innexa gemunt, & clauſa feruntur
Ilignis domibus: fabri nec tigna polire
Sufficiunt: rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes caueæ : ratibus pars ibat onuſtis
Per freta vel fluuios, exanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat nauita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plauſtra vias, montani plena triumphi:
Et fera ſolicitis vehitur captiua iuuencis,
Explebat quibus antè famem: quotieſque reflexi
Conſpexere boues, pauidi temone recedunt.
Iamque pererratis Libyæ flagrantibus oris,
Legerat eximios Phœbi germana leones,
Heſperidas qui ſæpe fugant, ventoque citatis
Terrificant Atlanta iubis, armentaque longe
Vaſtant Æthiopum, quorumque impune fragoſa
Murmura paſtores nunquam excepere per auras.
Non illos tædę ardentes, non ſtrata supernè
Lapſuro virgulta ſolo, non vocibus hœdi
Pendentis ſtimulata fames, non foſſa fefellit:
Vltrò ſe voluerę capi, gaudentque videri
Tanta præda Deæ, reſpirant paſcua tandem,
Agricolæ reſerant iam tuta mapalia Mauri,
Tum virides pardos, & cætera colligit Auſtri
Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,
Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inſcripti rutilum cælato conſule nomen,

Per proceres & vulgus eant. stupor omnibus Indis
Plurimus: ereptis elephas inglorius errat
Dentibus: insidit nigra ceruice gementum,
Et fixum Dea quassat ebur, penitusque cruentis
Stirpibus auulsis patulos exarmat hiatus.
Ipsos quinetiam nobis miracula vellet
Ducere, sed pigra cunctari mole veretur.
Tyrrhenas *fœtus Libycos* [R] *amplexa per vndas.*
Classica turba sonat, caudamque à puppe retorquens
In proram iacet vsque leo, vix subleuat vnum
Tarda ratis, fremitus stagnis auditur in imis.
Cunctáque prosiliunt cete, [S] *terrenáque Nereus*
Confert monstra suis, sed non æquare fatetur.
Æquora sic victor quoties per rubra Lyæus
Nauigat, intorquet clauum Silenus, & acres
Insudant [T] *tonsis Satyri, taurináque pulsu*
Baccharum [V] *pronos inuitant tympana remos:*
Transtra ligant hederæ, malum circunflua vestit
Pampinus, antennis illabitur ebria serpens,
Perque mero madidos currunt, [X] *saliuntque rudentes*
Lynces, & [Y] *insolitæ mirantur carbasa tigres.*

FINIS.

S T. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN PANEGYRIN III.

STILICHONIS.

Hic ſanè primus, vt antea dicere non ſum veritus, Conſulatus Stilichonis, quē honeſtè deprecabatur, quamuis Roma inſtaret eius videndi cupida poſt fuſum Gildonem; libenter ſane in locum Eutropij ipſum ſuffectura fuit, ſed finem anni conſultius expectauit Stilicho.

ᵃ *GEMINA* Carthagine. Fuit enim Carthago in Africa, & Noua Carthago in Hiſpania, vtraque Scipionis virtute debellata.

ᵇ *VICTOR*, Ita vet. codex non victa.

ᶜ *QVINTOS*. Ex his colligitur Claudianum à conſulatu Olybrij & Probini, ſeu mauis à morte Theodoſij qui obiit Mediolani, ibidem conſediſſe, ac recitaſſe Panegyres in tertium & quartum Honorii conſ. & poſtremo Theodori Paneg. Ne quis vero fallatur ſecundus Stilichonis conſulatus, qui cum Anthemio, fuit quadriennio poſt hunc, qui quidem ſecutus eſt Honorii VI. Conſ. anno 405.

ᵈ *QVEM POPVLI*. Senatus populúſque Romanus in votis habuit aduentum Stilichonis Conſulis renuntiati: At Rutilius poſtea de hoc viro inluſtri & de Nerone: Hic immortalē mortalem perculit ille, Hic mundi matrem perculit ille ſuam.

ᵉ *PARENTEM*. Symmachus eundem Stil. Publicum parentem nuncupat, neque renuit Ambroſius.

ᶠ *AMMONVIT*. Seu mauis Admonuit. In vet. codice

reperi Ammonis domitæ gentes, quod satis probabile, sed minus verum. Tacitus enim: Ne Parthi quidem sæpius Admonuere; quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas: vt enim obiurgare, sic & admonere verbum est efficax, & elegantiæ reconditæ. Domina autem hîc est Roma. Gentes verò Germani hactenus inuicti.

ᵍ *ZONAS.* Fuit etiam Romæ Septizonium index forte septem planetarum. Moles scilicet quadrata quæ septem cingulis, id est columnarum ordinibus ambitur.

ʰ *CVNABVLA* iuris. Theophilus τῶν νόμων προοίμια dixit non adeo pulchrè. Berytus olim id regni obtinuit, vt ait Eunapius de Anatolio qui: Πατρίδα ἔχων τὴν Βηρυτὸν ἣ τοῖς τοιούτοις παιδεύμασι μήτηρ. Quæ laus censetur maxima. at bonus Anacreon: τί μοι τοὺς νόμους διδάσκεις?

ⁱ *HINC FVLMINA.* Hic locus mihi se obtulit commodum, explicat enim Statii mentem Theb. 8. Nec fragor Ausoniæ tantus cum Iuppiter omni Arce tonat: vbi magnus Scaliger legi volebat cum Vesulus alta Arce tonat. quis vero nescit illud Ouidij? Ad penetrale Numæ Capitolinumque Tonantem, vt alia omittam.

ᵏ *VEXAT* legionibus vrbem. At Rutilius postea contrarium cecinit. Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat Et captiua priùs quam caperetur, erat. quod aliter explicat Prudentius.

ˡ *LICTORE.* Olim teste Liuio, fores à lictore percutiebantur consule ipso domum redeunte. Martialis dixit domum Silij poetæ consularis nobili virga sonuisse.

ᵐ *LEONTODAME.* Hæc sunt Nympharum nomina, apud Ouid. Canibus adsignantur. Hecaerge vero legendum infra, non Erymante aut Vnerce: nam ita Callimachus. Homero etiam, ἑκάεργος Ἀπόλλων.

ⁿ *PARENT* numinibus. Hunc versum non habuit v. cod. & vero nihil sapit.

ᵒ *LVNA.* Vide quæ diximus in Proserp. de lunari globo, & quæ in Præf. lib. 2. eiusdem operis.

ᵖ *CAVEÆ.* Caligula quosdam bestiarum more caueis coercuit: quem hac in parte Ludouícus vndecimus voluit imitari, sed blandiori custodia. Symmachus de canibus scoticis sibi gra-

tulatus, ait Scoticos canes prælusionis die ita Roma mirata est vt ferreis caueis putaret aduectos.

q *AMPLEXA.* Aliàs Adnixa. Hoc est: Nautæ magna vi & contentione remigantes, & adnixi, vt helciarios decet, suum celeuma ingeminant, sed prior lectio vet. codice & omnibus quos viderim, excusis nititur estque plana, nam & complecti idem est quod cõprehendere, quinimo versus inde plenior est.

r *TERRENA.* Ita opt. cod. aliàs Tyrrhena nullo sensu, id est terrena monstra superant monstra maris.

s *ADSVDANT.* Hoc verbum reperi in Manuscr. quod prætuli τῷ insudant, quamuis & hoc non displiceat nimis.

t *PRONOS.* Ita vet. cod. aliàs Bromios. Silius. Fertur prona ratis, ventos impellere credas.

v *SALIVNT.* Quod & alij notarunt etiam in vet. cod. non soluunt. Stat. vda mero lambunt retinacula tigres.

x *INSOLITÆ.* Insolitas habuit, v. cod. quæ si vera est Carbasa in anima tigres sibi hactenus incognitas mirantur, vt in in Phœnice fortè dixit Mirata lumina. His uero tribus Panegyricis satis supérque laudatur Stilicho vir magnus sed parum felici exitu. Nam olympius, teste Zosimo, specie religionis valde formidabilis eum Honorio malignè detulit: aiebat enim in Orientem nulla alia de causa iter suscipere nisi vt Theodosio iuniore interfecto filium suum Eucherium diademate insigniret. Interim Stilicho concilium vocat vbi duces primi ordinis senserunt Principem, quando erat male affectus & aliquid moliturus contra Stilichonem & socios, è medio tollendum esse. At Stilicho nullius culpæ erga Principem, vt aiebat, conscius, cum non sibi diffideret, satellitum suorum cladem Sari opera editam illico persensit, quare tentorio suo elapsus Rauennam abiit, & prout res se tulit intempesta nocte Ecclesiam intrat, quem Episcopus non dimisit priusquam videret Honorij litteras quibus nihil capitale statueretur, sed vbi Stilicho egressus est, alteras litteras ostendere quibus tristis continebatur sententia. Itaque Stilicho ad mortem ducitur: cumque ipsius serui ac domestici eum periculo vellent eripere Stilicho minis & auctoritate sua impediit, exemplo Cæsaris qui cum videretur sibi vixisse ad gloriam non inuitus sensit Kalendas Martias.

Claudiani

CL. CLAVDIANI
PANEGYRIS IN OLYBRIVM ET PROBINVM CONSS.

SOL qui flammiferis mundum complexus habenis,
Voluis inexhausto redeuntia sæcula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato surgant temone iugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.
Iam noua germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, lætique petant exordia menses.
Scis genus Anicium,[B] *nec te latuere parentes*
Anniadæ:[C] *nam sæpe soles ductoribus illis*
Instaurare vias, & cursibus addere nomen.
His neque per dubium pendet fortuna pauorem,
Nec nouit mutare vices, sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcunque requires
Hac de stirpe virum, certum est de consule nasci.
Per[D] *fasces numerantur aui, semperque renata*
Nobilitate virent; & prolem fata sequuntur

tulatus, ait Scoticos canes prælusionis die ita Roma mirata est vt ferreis caueis putaret aduectos.

[a] *AMPLEXA*. Aliàs Adnixa. Hoc est: Nautæ magna vi & contentione remigantes, & adnixi, vt helciarios decet, suum celeuma ingeminant, sed prior lectio vet. codice & omnibus quos viderim, excusis nititur estque plana, nam & complecti idem est quod cõprehendere, quinimo versus inde plenior est.

[t] *TERRENA*. Ita opt. cod. aliàs Tyrrhena nullo sensu, id est terrena monstra superant monstra maris.

[s] *ADSVDANT*. Hoc verbum reperi in Manuscr. quod prætuli τῷ insudant, quamuis & hoc non displiceat nimis.

[t] *PRONOS*. Ita vet. cod. aliàs Bromios. Silius. Fertur prona ratis, ventos impellere credas.

[v] *SALIVNT*. Quod & alij notarunt etiam in vet. cod. non soluunt. Stat. vda mero lambunt retinacula tigres.

[x] *INSOLITÆ*. Insolitas habuit, v. cod. quæ si vera est Carbasa in anima tigres sibi hactenus incognitas mirantur, vt in in Phœnice fortè dixit Mirata lumina. His uero tribus Panegyricis satis supérque laudatur Stilicho vir magnus sed parum felici exitu. Nam olympius, teste Zosimo, specie religionis valde formidabilis eum Honorio malignè detulit: aiebat enim in Orientem nulla alia de causa iter suscipere nisi vt Theodosio iuniore interfecto filium suum Eucherium diademate insigniret. Interim Stilicho concilium vocat vbi duces primi ordinis senserunt Principem, quando erat male affectus & aliquid moliturus contra Stilichonem & socios, è medio tollendum esse. At Stilicho nullius culpæ erga Principem, vt aiebat, conscius, cum non sibi diffideret, satellitum suorum cladem Sari opera editam illico persensit, quare tentorio suo elapsus Rauennam abiit, & prout res se tulit intempesta nocte Ecclesiam intrat, quem Episcopus non dimisit priusquam videret Honorij litteras quibus nihil capitale statueretur, sed vbi Stilicho egressus est, alteras litteras ostendere quibus tristis continebatur sententia. Itaque Stilicho ad mortem ducitur: cumque ipsius serui ac domestici cum periculo vellent eripere Stilicho minis & auctoritate sua impediit, exemplo Cæsaris qui cum videretur sibi vixisse ad gloriam non inuitus sensit Kalendas Martias.

CL. CLAVDIANI
PANEGYRIS IN OLYBRIVM ET PROBINVM CONSS.

A SOL qui flammiferis mundum complexus habenis,
Voluis inexhausto redeuntia sæcula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato surgant temone iugales,
Efflantes roseum frænis spumantibus ignem.
Iam noua germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, lætique petant exordia menses.
Scis genus Anicium,[B] nec te latuere parentes
Anniadæ:[C] nam sæpe soles ductoribus illis
Instaurare vias, & cursibus addere nomen.
His neque per dubium pendet fortuna pauorem,
Nec nouit mutare vices, sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcunque requires
Hac de stirpe virum, certum est de consule nasci.
Per[D] fasces numerantur aui, semperque renata
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur

Continuum simili seruantia lege tenorem:
Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se iactare parem: sed prima sede relicta
Anicijs de iure licet certare secundo.
Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton;
Sidereæ cedunt acies, cum fratre retuso,
Æmulus aduersis flagrauerit ignibus orbis.
Tunc iubar Arcturi languet, tunc fulua Leonis
Ira perit, Plaustro iam rara intermicat Arctos
Indignata tegi: iam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.
Quem prius aggrediar? veteris quis fata Probini
Nesciat? aut nimias laudes ignoret Olybri?
Viuit adhuc, completque vagis sermonibus aures
Gloria fusa Probi [E], *quam nec ventura silebunt*
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.
Illum fama vehit trans æquora transque remotas
Tethyos ambages, Atlanteosque recessus.
Audijt & gelido si quem Mæotia pascit
Sub Ioue, vel calido si quis coniunctus in axe
Nascentem te Nile bibit virtutibus ille
Fortunam domuit, nunquamque leuantibus altè
Intumuit rebus, sed mens circunflua [F] *luxu*
Nouerat intactum vitio seruare vigorem.
Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, sed largior imbre
Sueuerat innumeras hominun ditare cateruas.
Quippe velut denso [G] *currentia munera nimbo,*
Cernere semper erat, populis vndare [H] *penates,*

Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Praeceps illa manus fluuios superabat Iberos,
Aurea dona vomens sic [I] quis tellure reuulsa
Sollicitis fodiens miretur [K] collibus aurum:
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere [L] decus, quanto pretiosa metalli
Hermi ripa micat, quantas per Lidya culta
Despumat rutilas diues Pactolus arenas.
Non mihi centenis resonent si vocibus ora,
Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta [M] Probi narrare queam: quot in ordine gentes
Rexerit, ad summi quoties fastigia iuris
Venerit, Italiæ latè cùm frena teneret,
Illyricosque sinus, & quos arat Africa campos.
Sed nati vicere patrem, solique merentur
Victores audire Probi: non contigit illi
Talis honor, prima cum parte viresceret æui,
Non consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
Cura diu maiora petens, non anxia mentem
Spes agit, & longo tendit præcordia voto.
Cœpistis quo finis erat, primordia vestra
Vix pauci meruere fines: metasque tenetis
Ante, genas dulces quam flos iuuenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas.
Tu precor ignarum doceas Parnasia vatem,
Quis Deus ambobus tanti sit muneris autor.
Postquam fulmineis impellens viribus hostem
Belliger Augustus trepidas laxauerat Alpes,
Roma Probo cupiens dignas persoluere grates,
Sedula pro natis dominum flexura rogando

Iure parat: famuli currum iunxere volantem.
Impetus, horribilisque Metus, qui semper agentes
Prælia cum fremitu Romam comitantur anhelo,
Siue petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen
Hic ligat axe rotas, hic sub iuga ferrea mittit
Cornipedes, rigidisque docet seruire lupatis.
Ipsa triumphatis quæ possidet æthera regnis
Assilit, innuptæ ritus imitata Mineruæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere cultu,
Colla nec ornatu patitur mollire retorto,
Dextrum nuda latus, niueos exerta lacertos,
Audacem retegit mammam, laxumque coërcens
Mordet gemma sinum, nodus qui subleuat ensem
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherque seuero
Armatur terrore pudor, galeæque minaci
Flaua cruentarum prætenditur vmbra iubarum:
Et formidato clypeus Titana *lacessit*
Lumine, *quem tota variarat Mulciber arte:*
Hic patrius Mauortis amor, fœtusque notantur
Romulei: post amnis inest, & bellua nutrix:
Electro Tyberis, pueri formantur in auro:
Fingunt æra lupam, Mauors adamante coruscat.
Iam simul emissis rapido velocior Euro
Fertur equis, strident Zephyri, cursuque rotarum
Saucia diuiduis clarescunt nubila sulcis:
Nec traxere moras, sed lapsu protinus vno
Quem poscunt tetigere locum, quâ fine sub vno
Angustant aditum curuis anfractibus Alpes,
Claustraque congestis scopulis durissima tendunt

Non alia reseranda manu, sed peruia tantum
Augusto geminísque fidem mentita tyrannis.
Semirutæ turres, auulsaque mœnia fumant.
Crescunt in cumulum strages, vallemque profundam
Æquauere iugis, stagnant immersa cruore
Corpora truduntur permixto funere manes.
Haud procul exacto lætus certamine victor
Cespite gramineo consederat, arbore fultus
Acclines humeros: dominum gauisa coronat
Terra suum, surguntque toris maioribus herbæ.
Sudor adhuc per membra calet; crebroque recurrit
Halitus, & placidi radiant in casside vultus.
Qualis [N] *læthifera populatus cæde Gelonos*
Procubat horrendus Getico Gradiuus in aruo.
Exuuias Bellona leuat, bellique tepentes
Puluere soluit equos: immensaque cornus in hastam
Porrigitur, tremulisque ferit splendoribus Hebrum.
Vt stetit ante ducem discussas Roma per auras,
Conscia tunc sonuit rupes, & inhorruit acri
Maiestate nemus, prior hic, O numen amicum
Dux ait, & legum genitrix, longeque regendo
Circumfusa polo, consors adiuncta [o] Tonanti,
Dic agedum quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cœlúmque tuum? dic maxima rerum;
Non ego vel Libycos cessem tolerare labores,
Sarmaticosue pati medio sub frigore Coros,
Si tu Roma velis, pro te quascunque per oras
Ibimus, & nulla sub tempestate timentes,
Solstitio Meroën, bruma tentabimus Istrum.
Tum *regina refert: Non me latet inclite rector,*

Quòd tua pro Latio victricia castra laborent.
Nec quòd seruitium rursus furiæque rebelles,
Edomitæ paribus sub te cecidere triumphis.
Sed precor hoc donum cum libertate recenti
Adijcias, si vera manet reuerentia nostri.
Sunt mihi pubentes alto de semine fratres
Pignora chara Probi, festa quos luce creatos
Ipsa meo foui gremio, cunabula paruis
Ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum
Solueret, & magnos præferrent sidera partus.
His ego non Decios pulchros, fortésue Metellos
Prætulerim: non qui Pœnum domuere ferocem
Scipiadas, Gallisque genus fatale Camillos.
Pierijs pollent studijs, multoque redundant
Eloquio, nec desidijs dapibúsue paratis
Indulgere iuuat, nec tanta licentia vitę
Abripit, vt mores ætas lasciua relaxet:
Sed grauibus curis animum sortita senilem,
Ignea longęuo frænatur corde iuuentus.
Illis quam propriam ducunt ab origine sortem,
Oramus prębere velis, annique futurum
Deuoueas venientis iter. non improba posco,
Non insueta dabis, domus hęc de more requirit.
Annue, sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhenus per vtrunque latus: Medisque subactis,
Nostra Semiramiæ timeant insignia turres.
Sic fluat attonitus Romana per oppida Ganges,
Ductor ad hęc: optata iubes, vltroque volentem
Diua rogas, non hæc precibus tentanda fuissent.
Vsque adeòne meam condunt obliuia mentem,

Vt pigeat meminisse Probi? quo iudice totam
Vidimus Hesperiam fessásque resurgere gentes.
Antè dabunt hyemes Nilum, per flumina damæ
Errabunt, glacieque niger damnabitur Jndus.
Antè Thyestæis iterum conterrita mensis
Jntercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quàm Probus à nostro possit discedere sensu.
Dixerat, & velox iam nuntius aduolat vrbem.
Extemplò strepuere chori, colléſque canoris
Plausibus impulsi septena voce resultant.
Lætatur veneranda parens, & pollice docto
Iam parat auratas trabeas, currusque micantes
Stamine, quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera syluæ:
Et longum tenues tractus producit in aurum,
Filáque concreto cogit squalere metallo.
Qualis purpureas præbebat candida vestes
Numinibus Latona suis, cùm sacra redirent
Ad loca nutricis iam non errantia Deli;
Illa feros saltus, & desolata relinquens
Mænala, lassato centum venatibus arcu,
Phœbus adhuc nigris rorantia tela venenis
Extincto Pythone ferens: tunc insula notos
Lambit amica pedes, ridetque Ægæus alumnis
Lenior, & blando testatur gaudia fluctu.
Sic° Proba præcipuo natos exornat amictu:
Quæ decorat mundum, cuius Romana potestas
Fœtibus augetur. credas ex æthere lapsam
Stare pudicitiam, vel sacro thure vocatam
Iunonem, Inachijs oculos aduertere templis.

Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Graia vetustas:
Coniuge digna Probo : nam tantum cœtibus extat
Fœmineis, quantum supereminet ille maritos:
Ceu [R] sibi certantes[S] sexus quid posset vterque
Hunc legere thorum (taceat Nereïda nuptam
Pelion) [T] ô duplici [V] fœcundam consule matrem,
Felicemque vterum, qui nomina parturit annis
Vt sceptrum gessere manu, membrisque rigentes
Aptauere togas, signum dat summus hiulca
Nube pater, gratamque facem per inane rotantes
Prospera vibrati tenuerunt omina nimbi.
Accepit sonitus curuis Tyberinus in antris,
Ima valle sedens, arrectis que auribus hæsit.
Vnde repentinus populi fragor? ilicet, herbis
Pallentes thalamos, & structa cubilia musco
Deserit [X] atque domum Nymphis commendat herilem.
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cæruleisque infecta notis, reddentia patrem
Oceanum : crispo densantur gramine colla,
Vertice luxuriat toto crinalis arundo:
Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam
Æstiuo candore mori, sed viuida frondet
Æquæuum complexa caput : taurina leuantur
Cornua, temporibus raucos sudantia riuos.
Distillant per pectus aquæ, frons hispida manat
Imbribus, in liquidos fontes se barba repectit,
Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor,
Ilia [Y] percurrens vitreas sub gurgite telas.
Est in Romuleo procumbens insula [Z] Tybri,

Quà

Quà medius geminas interfluit alueus vrbes
Discretas subeunte freto: pariterque minantes,
Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripæ.
Hic stetit, & subitum prospexit ab aggere votum:
Vnanimes fratres iunctos stipante Senatu
Ire forum, strictasque procul radiare secures,
Atque vno bijuges tolli de limine fasces.
Obstupuit visu, suspensaque gaudia vocem
Oppressam tenuere diu, mox inchoat ore:
Respice, si tales iactas aluisse fluentis
Eurota Spartane tuis, quid protulit æquum
Falsus olor? valido quamuis decernere cæstu
Norint, & ratibus sæuas arcere procellas.
En noua Ledæis soboles fulgentior astris.
Ecce mei ciues, quorum iam signifer optat
Aduentum, stellisque parat conuexa futuris.
Iam per noctiuagos dominetur Olybrius axes,
Pro Polluce rubens, pro Castore flamma Probini.
Ipsi vela regent, ipsis donantibus auras
Nauita tranquillo moderabitur æquore pinum.
Nunc pateras libare deis, nunc soluere multo
Nectare corda libet: niueos iam pandite cœtus
Naiades, & totum violis prætexite fontem.
Mella ferant syluæ iam profluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis, iam sponte per agros
Sudent irriguæ spirantia balsama venæ.
Currat qui sociæ roget in conuiuia mensæ
Indigenas fluuios, Italis quicunque suberrant
Montibus, Alpinasque bibunt de more pruinas;
Vulturnusqe rapax, & Nar vitiatus odoro

Sulfure, tardatusque suis erroribus Vfens:
Et Phaëthontaa perpessus damna ruina
Eridanus, flauaque tenens querceta Marica
Lyris, & Oebalia qui temperat arua Galesus,
Semper honoratus nostris celebrabitur vndis
Iste dies, semper dapibus recoletur opimis.
Sic ait, & nympha patris pracepta secuta
Tecta parant epulis, ostroque infecta corusco
Humida gemmiferis illuxit regia mensis.
O bene signatum fraterno nomine tempus,
O consanguineis fœlix autoribus Annus;
Incipe quadrifidum Phœbi torquere laborem.
Prima tibi procedat hyems, non frigore torpens,
Non canas vestita niues, non aspera ventis.
Sed trepido calefacta Noto, ver inde serenum
Protinus, & liquidi clementior aura fauoni
Pratis te croceis pingat: te messibus æstas
Induat, autumnúsque madentibus imbuat vuis.
Omni nobilior lustro, tibi gloria soli
Contigit: exactum nunquam memorata per æuum
Germanos habuisse duces: te cuncta loquetur
Tellus, te varijs scribent in floribus Horæ,
Longaque perpetui ducent in secula fasti.

FINIS.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN PANEG. OLYBRII ET PROBINI CONSS.

Hæc Panegyris videtur primus esse fœtus Claudiani: ait enim ad Probinum: Romanos bibimus primò te Consule fontes: sed facile credo multa opuscula eidem meditata, & composita prius quam auderet hoc carmen publice recitare. Hic vero Consulatus contigit anno 395. de quo alibi, vide & Sym. Ep. lib. v. Cæterum Proba, teste B. Hieron. trium liberorum fuit mater Olybrij Probini & Probi ordinariorum Conss. Idem scribit hunc Olybrium fuisse Consulem in pueritia. ergo vterque impubes, fauore Probi, consulatum Theodosio Imp. meruerunt.

GENVS ANICIVM. Alia est prosodiæ ratio apud Ausonium & Prudentium, cui se non adstrinxit hic poeta, inlustris Anicii sanguinis genus B. Hieronymo, & clara Proborum nomina. est & vrbs Aruerniç quç Anicium, vetus inscriptio: Sexto Petronio Probo Anicianæ domus culmini, aliàs in textu Auchenium vel Anthemium, & malè: infra etiam vet. liber habuit Aniciis. Fuit & Fl. Anicius Maximus P. F. Aug. post Marcianum.

ANNIADÆ. In v. cod. ita scriptum est, sed Ausonii vetus liber de Probo: Stirpis nouator Amniæ, & vetus marmor habet: Amnios de eadem gente. at fuit nomen Annii olim celebratum, & exstat Annii Paulini monumenrum insigne, quem suspicor affinem huic domui: sed lapis antiquus ideone arguetur falsi? forte sculptoris vitium est, aut eius qui descripsit. Prudentius: Anniadum soboles, & femina clara Proborum.

[a] *PER FASCES.* Ab initio Principatus Constantini magni Probi stemma effloruit, eoque 4. Consule fuit Probianus vel Probinus Proconf. Africæ, dein Crispo consule Probianus, sub Constantio Olybrius Proconf. Africæ dein P. F. vrbi. exin Probus Præf. Præt. postea consul cum Gratiano postea Olybrius consul cum Ausonio. Is vero Probus longo tempore domum sua luce clarauit, donec Olybrius & Probinus fierent cōsules.

[b] *PROBI.* Idem Probus vt patet ex vet. inscriptione fuit Proconsul Africæ, Præf. Præt. Illyrici, Africæ, Galliarum. Consul ordinarius Consulum pater, de quo Prudentius: Fertur enim ante alios generosus Anicius orbis Instaurasse caput: aliàs vrbis: contra veritatem: nam Ouid. Roma triumphati dum caput orbis erit, vt obiter hoc indicem.

[f] *CIRCVMFLVA* luxu. Talis ille, sed vafer, Crispi nepos apud Tacitum, per cultum & mundicias luxu proprior, vigore animi par erat ingentibus negotiis, eoque acrior quo somnum & inertiam magis ostentabat. multi vero, Seneca teste, per ornamenta feriuntur: atque de hoc Probo quædam sinistra apud Am. Mar.

[g] *DENSO* nimbo. Sic in v. cod. eleganter & præclara allusione ad missilia & Sparsiones, vir doctus libenter ex L. Carrione legisset Densos nimbos, sed causam non video mutationis quāuis Martialis dicat Et Cilices nimbis hîc maduere suis. & quod magis ad rem: Nunc veniunt subitis lassiua numismata nimbis.

[h] *VNDARE.* Eleganter ex Virg. vomit ædibus vndam. ex eo dicuntur vomitoria, vnde populus emittitur. Marcellinus: in Amphitheatrali curriculo vndatim coëunte plebe.

[i] *SIC QVIS.* vetus hæc est lectio, alias si quis non bene.

[k] *MIRETVR.* Sic in opt. cod. alij. Miratur & Rimatur idē poeta de aurifodinis: venas rimata latentes solertia, quod videtur fulcire aliam lectionem.

[l] *EFFLVXERE* decus. supra dixit: Vina fluens. Manilius dixit Eminere vndas. Horatius Rectum euaganti frena licentiæ.

[m] *ACTA PROBI.* Legi nuper in Ecclesiastica viri inlustriss. historia Epitaphium huius Probi quod Maff. Vegius ab interitu vindicauit diruente Nic. v. P. M. vbi hęc inter cætera: Primus

eras, nullique patrũ virtute secũdus NUNC renouatus habes perpetuã requiẽ. Erat & eodẽ in tẽplo seu mausoleo Proba eius vxor sepulta quibus hæc etiam posita sunt: Sublimes quisquis tumuli miraberis arces, Dices quantus erat qui Probus hîc situs est. Cõsulibus proauis, soceri sque, & consule maior Quod geminas cõsul reddidit ipse domos. Præfectus quarto in toto dilectus in orbe, Sed fama emensus quidquid in orbe hominum est. Solamen tanti coniux tamen optima luctus Hoc Proba sortita est, iungat vtvrna pares, vide reliqua.

ª *QUALIS.* Hæc comparatio in laudem Theodosij adhuc viuentis, recenti victoria de Eugenio.

ᵇ *ADIUNCTA* Tonanti: Roma scilicet cui pulcherrimũ templum extructum fuit in monte Palatino, è regione capitolij.

ᶜ *CENTUM* venatibus. ita vet. liber, alij: Cretam ineptè certis non malè. Sed quia diuersi sunt venatus, & totidem quot ferarum genera, vet. lectionem admisi. Ouid. Mille feras Syluis Phœbe venata redibat. Scimus verò certam sagittam dici eleganter à lyrico: sed quia lassatum arcum dicit Cl. ei centum conuenire arbitror.

ᵈ *SIC PROBA.* Hæc fuit doctissima, & quæ præcipuo amictu filios exornauerit, id est virtute & doctrina velut altera Cornelia, de cuius laude multa B. Hieron. composuit autem Centones qui sub Falconiæ nomine prodierunt. at vet. inscriptio: Aniciæ Faltomæ Probæ fidei & nobilitatis antiquæ, ornamento Anicianæ domus, familiæ seruandæ ac DOCENDÆ, castitatis exemplo, Consulum proli consulum matri.

ᵉ *CEU* sibi certantes, hi quatuor versus aberant à quodam manuscr. idque ante me notauit Del. sed in alio sic se habent: Ceu sibi certantes sexus quid posset vterque Hunc legere thorum (taceat Nereida nuptam Pelion) ô duplici fœcundam consule matrem, Felicemque vterum qui nomina parturit annis: quæ τοῦ ποιητοῦ γνήσια esse non dubito agnoui enim multa huic loco adfinia in Claud. erant vero hęc in excusis corruptissima, quod impulit fortè virum doctum vt respueret.

ᶠ *CERTANTES* sexus, his vero accinit locus in laudibus Serenæ vbi domus Theodosij dicitur; Gemino certatim splendida sexu.

[r] *PELION.* In mõte Pelio celebratæ sunt nuptiæ Pelei & Thetidis quam Nereida vocat Claud. ex Ouidio in Metamorphosi. Papinius: dum Pelea duce maritat Pelion, vide Præf. in Nup. Honorij.

[v] *O DVPLICI.* Talis exclamatio in laud. Serenæ: ô maxima rerum gloria.

[x] *DESERIT*; atque domum. Sic habet vet. liber. Alii: Deserit; ac nymphis dominam commendat herilem: quod sane videtur minus concinnum: licet constet de Ilia, quæ vxor Tiberini.

[y] *ILIA* percurrens. alii codd. habent illi, at Sidonius imitator: Pectus palla tegit quam neuerat Ilia coniux. Ouidius lib. 3. Amorũ Supposuisse manus ad pectora lubricus amnis Dicitur, & socij iura dedisse thori: inde ab Horatio dicitur vxorius quod templa vestæ, vbi antea resedit illa, prope inundaret.

[z] *INSVLA.* Hæc primum nasci cæpit pulsis Tarquiniis auctore Dionys. Hal. fuit Æsculapio sacra: teste Ouid. Accepit Phœbo nymphâque Coronide natum Insula diuidua quam premit amnis aqua. ibi adhuc visitur (ait Leander) nauis è lapide tasio cuius vno in latere serpens in honorem Epidaurij, atque hæc insula ad formam nauis redacta fuit, vide Ouid. met.

[a] *HORÆ.* de ijs deabus infra dicturi sumus. Cæterum notabis multas extare leges in Cod. Th. Olybrio & Probino cõss. lib. 15. quæ tyrannicis temporibus medelam adhibent: sed Eugenii fuit illa tyrannis, neque dubium glossema in lege 10. vbi malè nominatur Maximus: vide Historiam.

CL. CLAVDIANI

LAVS SERENÆ REGINÆ, VXORIS STILIchonis.

DIC mihi Calliope, tanto cur tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?
Vile putas donum solitam consurgere gemmis,
Aut rubro radiare mari, si floribus ornes
Reginæ regina comam? sed floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius vrit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes.
Fons Aganippea Permessius educat vnda,
Vnde piæ pascuntur apes, & prata legentes
Transmittunt sæclis Heliconia mella futuris.
Dignius haud vates alios exercuit vnum
Fœmineæ virtutis opus: quòd sponte redempto
Casta maritali successit Thessala fato,
Inque suos migrare virum non abnuit annos;
Hoc Graij memorant: Latijs mouet ora Camœnis
Præscia fatorum Tanaquil, rediensque per vndas

Clælia Tybrinas, & eodem flumine ducens
Claudia virgineo cunctantem crine Cybellen.
Anne aliud toto molitur carminis actu
Mæonij mens alta senis? quod stagna Charybdis
Armauit, quod Scylla canes, quod pocula Circe,
Antiphatæ vitata fames, surdoque carina
Remige Sirenum cantus transuecta tenaces:
Lumine fraudatus Cyclops, contempta Calypso,
Penelope [b] decus ausa suum, cui tanta paratur
Scena pudicitiæ; terræ pelagique labores,
Et sæui totidem bellis quot fluctibus anni
Coniugij docuere fidem, sit Claudia felix
Teste dea, castosque probet sub numine mores,
Absoluens puppisque moras, crimenque pudoris.
Penelope trahat arte procos, fallatque furentes
Stamine nocturnæ relegens solertia telæ:
Non tamen audebunt titulis certare Serenæ.
Quod si nobilitas, cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causæ,
Quis venerabilior sanguis? quæ maior origo
Quam regalis erit? non te priuata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Angustis laribus, patruo te principe celsam
Bellipotens illustrat auus, qui signa Britanno
Intulit Oceano Getulaque reppulit arma.
Claram Scipiadum taceat Cornelia gentem,
Séque minus iactet Libycis dotata trophæis:
Cardine tu gemino laurus prætendis auitas:
Inde Caledoniis, Australibus inde parentum
Cingeris excubijs: necdum moderamina mundi

Sumpserat

Sumpserat illa domus, cum te Lucina beatis
Adderet astrorum radijs: ô maxima rerum
Gloria, post genitam didicit [c] *regnare Serenam.*
Quid dignum memorare tuis Hispania [D] *terris*
Vox humana valet? primo lauat æquore solem
India, tu fessos exacta luce iugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu
Diues equis, frugum facilis, pretiosa metallis
Principibus fœcunda pijs: tibi secula debent
Traianum: series his fontibus Ælia fluxit.
Hinc senior pater, hinc iuuenum diademata fratrum.
Nanque aliæ gentes quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vsus
Imperij: Phariæ segetes, & Punica messis
Castrorum deuota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis sudant equitatibus alæ.
Sola nouum Latijs vectigal Iberia rebus
Contulit, Augustos: fruges, æraria, miles
Vndique conueniunt, totóque ex orbe leguntur:
Hæc generat qui cuncta regant: nec laude virorum
Censeri contenta fuit, nisi matribus æque
Vinceret, & gemino certatim splendida sexu,
Flaccillam, Mariamque daret, pulchramque Serenam.
Te nascente ferunt, per pinguia culta tumentem
Diuitijs vndasse Tagum, Callecia risit
Floribus; & roseis formosus Duria ripis,
Vellere purpureo passim mutauit ouile.
Cantaber Oceanus uicino littore gemmas
Expuit, effossis nec pallidus Astur oberrat

Montibus, oblatum sacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit, Pyreneisque sub antris
Ignea fulmineis legere Ceraunia [E] *nymphæ.*
Quæque rebellantes vndas, æstumque secutæ,
In refluos venere palam Nereides amnes,
Confessæ plausu dominam, cecinere futuris
Auspicium thalamis, alio tum paruus in axe
Crescebat Stilicho, votique ignarus agebat
Debita cui longe coniunx, penitusque remoto
Orbe parabatur, tanti concordia fati.
Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.
Vbera prima dabant gremijs [F] *redolentibus Horæ*
Trinaque te nudis innectens Gratia membris
Afflauit, docuitque loqui quodcunque per herbam
Reptares, fluxere rosæ, candentia nasci
Lilia: si placido cessissent lumina somno,
Purpura fulgebat violæ factura cubile
Gramineum, vernatque tori regalis imago.
Omina non audet genitrix tam magna fateri.
Successusque suos, arcani conscia voti,
Spe trepidante tegit, gestabat Honorius arcto
Te pater amplexu: quoties ad limina princeps
Theudosius, priuatus adhuc, fraterna veniret,
Oscula libabat, teque in sua tecta ferebat.
Lætior in matrem teneris conuersa querelis:
Quis me de proprijs auferre penatibus, inquit,
Imperat? hic semper præsagia luserat error
Et dedit augurium regnis infantia linguæ.
Defuncto genitore tuo sublimis adoptat

Te patruus, magnique animo solatia luctus
Restituens, propius quàm si genuisset amauit
Defuncti fratris sobolem. nec charior olim
Mutua Ledæos deuinxit cura Lacones.
Addidit & proprio germana vocabula nato,
Quaque datur fratris speciem sibi reddit adempti.
Denique cùm rerum summas electus habenas
Susciperet, non antè suis intendit amorem
Pignoribus, quàm te pariter fidámque sororem
Littus ad Eoum terris acciret Iberis.

Deseritur iam ripa Tagi, *Zephyrique relictis*
Sedibus, Auroræ famulas properatur in vrbes.
Incedunt geminæ proles fraterna puellæ:
Inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
Expertes thalami, quarum Cythereïa necdum
Sub iuga ceruices niueas Hymenæus adegit.
Vtraque luminibus timidum micat, vtraque pulchras
Excitat ore faces. qualis Latonia virgo,
Et solo Ioue nata soror, cùm forte reuisunt
Æquorei sortem patrui, spumantia cedunt
Æquora, castarum gressus venerata dearum.
Non ludit Galatea procax, non improbus audet
Tangere Cymothoën Triton, totoque seueros
Inducit mores pelago pudor, ipsaque Proteus
Arcet ab amplexu turpi Neptunia monstra.

Tales sceptriferi visuræ tecta parentis,
Limen Honoriades penetrant regale sorores:
Ambas ille quidem patrio complexus amore,
Sed merito pietas in te procliuior ibat:

Et quoties rerum moles vt publica cogit
Tristior, aut ira tumidus flagrante rediret,
Cum patrem nati fugerent, atque ipsa timeret,
Commotum Flaccilla virum, tu sola frementem
Frangere, tu blando poteras sermone mederi:
Alloquijs hic stare tuis; secreta, fidelis,
Prisca puellares reuerentia transilit annos.
Non talem Triuiæ confert laudator [H] *Homerus*
Alcinoo genitam, quæ dum per littora vestes
Explicat, & famulas exercet læta choreas,
Auratam iaculata pilam [I] *post naufraga somni*
Otia, progressum folijs expauit [K] *Vlyssem.*
Pierius labor, & veterum tibi carmina vatum
Ludus erant: quos Smyrna dedit, quos Mantua [L] *libros*
Percurrens, damnas Helenam, nec parcis Elisæ.
» *Nobiliora tenent animos exempla pudicos.*
Laodamia sequens remeantem rursus ad vmbras
Phylaciden, & prona ruens Cappaneia coniux
Communes ardente viro mixtura fauillas;
Et grauis incumbens casto Lucretia ferro,
Vulnere quæ proprio facinus testata tyranni,
Armauit patriæ iustos in bella dolores,
Exule Tarquinio, memorandaque concidit vno
Vlta pudicitiam, libertatemque cruore.
Talia facta libens non tu virtute minore,
Sed fato meliore legis, iam nubilis ætas
Principe sollicito votis erexerat aulam
Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
Antiquos loquitur Musarum pagina reges,

Quod dura sub lege procos certare iuberent,
Empturos thalamum dubij discrimine lethi,
Et sua crudeles gauderent pignora mortis
Ambitione peti, curru Pisæa marino
Fugit tela Pelops: nam prouidus obice regis
Prodidit Oenomai deceptus Mirtylus axem.
Hippomanes trepidus cursu, ferroque secutam
Aurato volucrem flexit Schœneida pomo.
Herculeas vidit fluuio luctante palæstras
Mœnibus ex altis Calydon, pretiumque laboris
Deianira fuit, cum pectore victor anhelo
Alcides fremeret, retroque Achelous abiret
Decolor: attonitæ stringebant vulnera nymphæ,
Saucia truncato pallebant flumina cornu.
Te non Hesperidum pomis, non amne subacto,
Non socerum fallente rota, sed iudice dignus
Augusto, varijs Stilicho spectatus in armis.
Accipit, & regni dotes virtute parauit.
Sæpe duces meritis bello tribuere coronas:
Hunc cingit muralis honos, hunc ciuica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.
Solus militiæ mira mercede Iugalem
Promeruit Stilicho, socero referente, coronam.
Agnouit patrui similem Thermantia curam,
Nupsit & illa duci, sed longe fata sororis
Inferiora tuis: alio tibi numine tædas
Accendit Romana salus, magnisque coronis
Coniugium fit cura tuum: delectus equorum,
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastæ

Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt.
Primus [N] *honor, gemino mox idem germine* [o] *duxit*
Agmina, commissósque labor sic gessit honores,
Vt semper merito princeps cum magna dedisset,
Deberet maiora tamen, si bellica nubes
Ingrueret, quamuis annis, & iure minori
Cedere grandæuos equitum, peditumque magistros
Aspiceres, totumque palam committere Martem.
Nec gradus, ætatisque pudor senioribus obstat.
Ne iuueni parere velint, Ceu flumine molli
Tranquillísque fretis clauum sibi quisque regendum
Vendicat: incumbat si turbidus Auster, & vnda
Pulset vtrunque latus: posito certamine nautæ
Contenti meliore manu, seseque pauere
Confessi, finem studijs fecere procellæ.
Haud aliter Stilicho, fremuit cùm Thracia belli
Tempestas, cunctis pariter cedentibus, vnus
Eligitur ductor: suffragia quippe peregit
Iudex vera timor; victus ratione salutis
Ambitus, & pulsus tacuit formidine liuor.
Quis tibi tunc per mēbra tremor? quātæque cadebant
Vbertim lacrymæ? quum sæua vocantibus arma
Iam lituis, madido respectans limina vultu
Optares reducem, galeæque inserta minaci
Oscula cristati raperes festina mariti?
Gaudia quæ rursus, quum post victricia tandem
Classica, sidereas ferratum pectus in vlnas
Exciperes? castæ tuto per dulcia noctis
Otia, pugnarum seriem narrare iuberes?

Non illo nitidos, vnquam bellante capillos
Comere, non solitos gemmatum sumere cultus,
Numinibus votisque vacas & supplice crine
Verris humum teritur *neglecta gratia formæ*
Cum proprio reditura viro: nec deside cura
Segnis marcet amor. laudem prudentia belli
Fœminea pro parte subit, dum gentibus ille
Confligit, vigili tu prospicis ommia sensu,
Ne quid in absentem virtutibus obuia semper
Audeat inuidiæ rabies, neu rumor iniquus,
Ne qua procul positis furto subsederit armis
Calliditas nocitura domi. tu sedula quondam
Rufino meditante nefas, quum quæreret artes
In ducis exitium, coniuratosque foueret
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis tremebunda virum, scriptisque monebas.

FINIS.

ANNOTATIONES IN LAVDEM SERENÆ REGINÆ VXORIS STILICHONIS.

A *DIC* mihi. hic versus aliter se habet in vet. cod. quod & notauit Cuiacius. nempe, Dic mea Calliope cur tantum in tépora differs. quod ille vir non probabat, et merito, de Serena verò supra dictum est.

B *PENELOPE* decus ausa suum. Ita vet. liber quod latinum est nam Virg. Ausi omnes immane nefas. In alijs tamen: Decus atque suum, quod ne plane reijciam facit illud Statij de Plutone: suáque, & quæ desuper vrget Nutabat tellus.

C *DIDICIT*. Indicat Theodosium paulo post natam Serenam ad imperij gubernacula accitum esse.

D *HISPANIA*. Eius sane laus perpetua quod bonos principes mundo præbuerit, quales fuere Traianus, Hadrianus, Theodosius, vide quæso Lat. Pacatum vbi multa in laudem Hispaniæ

E *CERAVNIA*. Plinius: est inter candidas gemmas quæ & Ceraunia vocatur, fulgorem siderum rapiens. Suidas gemmas fulguris recenset inter quas ἀργῆτες. Sidonius verò habet Fulminis lapidem.

F *GREMIIS* redolentibus Horæ. ita vet. lib. cum in aliis Auræ quod absurdum. Horæ enim sunt deæ floreæ. Orpheo, εἰαριναὶ καὶ πολυάνθεμοι. Sunt vero Iouis ac Themidis filiæ.

G *COMMOTVM*. Supra diximus de ira Theodosii quam hic locus quasi diducto velo aperit, alias tamen à Cedreno dicitur χαριεὶς τὴν ὁμιλίαν, τὸν τρόπον δὲ χαριέστατος.

H *HOMERVS*. Platoni, Ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν. Themistius vocat, προπάτορα τῶν πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων apud Gyl. inter statuas quæ Byzantij fuere à

Zeuxippo

Zeuxippo effingitur: mente congesta, manibus sub imum pectus coniunctis, barba demissa, capillo raro, facie tetrica; huic vero nasus mediocris: oculi cæcum præ se ferunt.

ⁱ *PILAM.* Homerus de Nausicaa: σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' ἀμφίπολον βασίλεια.

ᵏ *EXPAVIT.* Hoc verbum nisi adhibito in consilium Homero haud quiuis percipiat. Odyss. ζ. Ὣς εἰπὼν θάμνων ὑπεδύσετο δῖος Ὀδυσσεύς deinde. Οἴη δ' Ἀλκινόου θυγάτηρ μένε τῇ γὰρ Ἀθήνη θάρσος ἐνὶ φρεσὶ θῆκε, καὶ ἐκ δέος εἵλετο γυίων. Ergo Nausicaa primo aspectu pauit vt puella, sed Palladis ope, pauore statim defuncta est, & quod vno hoc verbo dixeris eleganter expauit. Statius, reuerentia cessit Sanguinis & veros germanæ expauit amores. Cæterùm Anagr. Susannæ Cuiaciæ huc pertinet: A cunis Nausicaa; cuius laudes apud Hom. & hunc nostrum videre est.

ˡ *MANTVA.* Serena fuit igitur vtriusque linguæ perita. At priuatę mulieri hæc minus conueniant, vt iuuenalis & Mart. retulere. Cæterum legimus apud Velleium: Principes carminum Virgilius, Rabiriúsque.

ᵐ *CORONIS.* Id est Magnis regibus vel ducibus potius, qui te ambibant, sed non adepti sunt coronam iugalem.

ⁿ *PRIMVS HONOR.* Oportet Stilichonem fuisse magni precij & equitandi peritia valde commendatum qui id honoris apud Theodosium obtinuerit: nam Imp. Valentinianus, apud Ammianum, fertur Valentem fratrem Stabulo suo præfecisse: hic verò Comes stabuli sacri designatur Stil. vt patet ex antiquo marmore à nobis citato.

ᵒ *GERMINE.* In vno cod. scriptum erat culmine sed Germen dictio floridior est, magisque poetica, eam mutare nolui quia in omnibus aliis exemp. inueni, alioqui scimus magistrum equitum signare in Cod. Iust. militare culmen; idemque dici posse de magistro peditum quæ duæ dignitates in vnum Stilichonem ceu duo germina coaluere.

ᵖ *TERITVR.* Ita v. liber, quod & manu sua firmauit Cuiacius. alij: Tegitur: quod sane sub frigidum. hic verò aduerte veras laudes matronę alicuius, viro absente, vide Ouid. in epist. Laodamiæ. Cæterum videntur deesse quædam huic encomio sed credo sponte omissa, ne inuidiam irritaret.

CL. CLAVDIANI
LAVDES HERCVLIS.

PIERIVM columen, cuius Parnassia magno
Numine templa sonant, læto precor huc age Phœbe
Tecum iunge choro penetralia sancta sororum,
Et noua Castalios latices per rura petentem
Hippocrenæum victorem sistere fontem
Me fac namque tuam non nunc nouus aduena turbam
Ingredior: laurosque gerens, & florea sertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum,
Testor adhuc, veteres quamuis desuetus honores:
Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi post viscera numen,
Semper ob immensos inuicti roboris æstus.
Nec nasci potuisse vacat: nam lucis in ipsis
Inclite principijs, tardo vix editus ortu
Fecisti de patre fidem. Sed cur mihi lentis
Ludis adhuc Cyrrhæa modis? tenerúmque resultans
Luxuriante leues impellis pollice chordas?
Pone habitum quo mollis amas & frondis amatæ

Linque nemus, mollique exutus tempora lauro,
Populea mecum carmen luctare sub umbra.
Iam graue plus etiam, quàm ventris, tempora vellent.
Alcmenam tendebat onus: sed regia Iuno
Impedit, & partus prohibet, nascique vetabat,
» *Vt metus ipse Deum monstret? nec viuida cœli*
» *Semina mortales norunt sentire latebras,*
Nec possunt sufferre moras. Datur inde nouercæ
Materies, grauibúsque odijs augmenta ministrat,
Quod vinci cœpisse pudet: mox improba binos
In tua membra iubet, dum nasceris, ire [B] *dracones.*
Incumbunt celeres illi, squamosáque iussus
Armat colla furor: nec quamuis maxima tractu
Tardantur spiris, sequitur pars cætera pectus,
Tristis tartarea vibratur sibilus aura,
Morte rubent oculi, trifidisque horrentia linguis
Ora sonant, nigrúmque fremens leuat ira venenum.
Quid nunc inuictus fraudes innectere fatis
Cœlicolum regina iuuat? cur obijcis angues?
Cur paruo geminos? an ne vnum posse necari
Iam strato Pythone times? licet omnia mundi
Monstra voces, ipsámque armes serpentibus Hydram,
Defendet natura Deum, patremque probabit,
Quòd non vis constare, Iouem, iámque irrita tetri
Iussa parant implere angues, miseróque furore
In sua fata tument. Cernit tua membra petentes,
Horrescitque parens, numenque ignara creasse
Mortali pietate timet. Nil sancta superbæ
Pellicis insidias cœlo modo freta tremiscas,
Néue hæc monstra tibi faciant Alcmena pauorem,

Sic mater potes esse Dei: iam tolle serenum
Læta animum, tantóque libens hæc aspice vultu,
Vt deceat genuisse Iouem: depone timorem
Indignum partu, natumque exemplar habeto,
Cui metuis, nil ipse timet: nam numine recto
Ridebas tu diue truces, animósque superbos
De genitore tenes, votisque aptissimus orbis
Gaudebas tantam iam tum meruisse nouercam,
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et quamuis teneris? cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens pransos tellure dracones.
Efferat æthereum quantum volet orbis in axem
Latoidas, verosque probet sua fabula diuos,
Quod Delo iam stare licet. non æqua laborum
Gloria, nec parili serpentes sorte necarunt:
Illi vnum ferro, geminos hic inermis & vnus.
His cœptis non vlla parat cunabula partus
Diua tibi, sed cûm totis iam bruma rigeret
Imbribus, & solidis hærerent flumina lymphis,
Nudum prægelidis durando firmat in vndis,
Vtque rudis primo tentasti robore gressus,
Frondosæ deserta vagus penetralia syluæ
Secura iam matre petis, telisque tremendis
Ludis, & aerias, adducto deijcis arcu,
Aut funda violenter aues, noctemque sub astris
Exigis, & puram fractis bibis amnibus vndam.
Immanem interea Nemeæ per lustra leonem,
Ipsa Chimerea cretum de gente nouerca
In tua depastis armabat vota iuuencis:
Augebatque fero vires, rabiemque iuuabat,

Naturam minus esse putans. Heu quanta virorum
Funera, quam multos strauit cum dentibus apros.
Non illum magnæ viduatis mœnibus [c] *vrbes*
Armorum fregere minis, Martique domando
Assuetas morsu fudit grauiore cateruas.
Hunc grauis Euristheus) nam te quocunque leuares
Imperium duri voluit sufferre tyranni,
Sic mundo fortuna fauens) hunc sternere letho
Imperat. At nullum virtus reticenda per æuum,
Dignaque sidereos post membra intrare recessus,
Posse mori, quàm vile putat: namque impiger vltro
Vadis, & immensæ scrutatus deuia syluæ,
In noua sanguineos animasti [D] *vulnera rictus;*
Admonita feritate, iuba visuque cruentus,
Excußis mouet arma toris, dubiumque residens
Infremit. Inuadis trepidum, solisque lacertis
Grandia corripiens eluso guttura morsu
Imbellem fractis prosternis faucibus hostem.
Tunc & flauicomis radiantia tergora villis
Ceu spolium fuso victor rapis. Emicat omnis
In laudes mox turba tuas, longoque relicta
Currit in arua metu; iuuat ire & libera rura
Defensosque videre locos. syluamque iuuencis
Iam facilem, & nullis resonantes fletibus agros.
Mænalium petis inde nemus, fletamque colonis
Arcadiam, & steriles raro iam robore syluas.
Nanque hic immensa membrorum mole cruentus
Indomitus regnabat aper, soloque tremendus
Corpore, lunatis fundebat dentibus ornos,
Sternebatque suos lugentia rura colonos.

Horrebant trifidis nigrantia corpora setis,
Duratosque armos scopulis, totosque per artus
Difficilis potuisse mori. Non spicula in illum,
Nodosumue rapis grauidato pondere robur:
Armati viduatur honos, nec vulnera virtus
Extemplo tibi facta timet, iamque arripis vltro
Spumantem cogisque diem sufferre tuendo,
Atque supinato mirantem lumine vinci,
Argoloci uictor portas sub tecta Tyranni.
Fama volans toto victorem sparserat orbe,
Auxiliumque Dei poscebat Creta cruento
Victa malo. Taurus medio nam sidere Lunæ
Progenitus, Dictæa Iouis possederat arua:
Fulmen ab ore venit, flammisque furentibus ardet
Spiritus, & terram non cæli flamma perurit,
Sed flatus monstri; dextro iam Siria cesset
Sidere, solque licet glaciali frigore victus
Abstrusum mundo claudat iubar, aurea condens
Lumina, & ignifluo stupefactus in orbe tepescat,
Aestus habet Cretam; pereunt syluæque lacusque,
Graminaque, & fontes sacri, montesque perurit
Flamma ferox; Idam superis spectantibus ignis
Dissipat, & magno cunabula grata Tonanti
Igne sua monstrum (si fas est dicere) vincit.
Tandem fama celer Dictea ad littora mgnum
Duxerat Alciden, cùm Taurum dira minantem
Accipit, & sæuum cornu, flammasque vomentem
Corripit, atque artus constringens fortibus vlnis,
Ignifluos flatus animamque in pectore clausit.

FINIS.

ANNOTATIONES IN LAVDES HERCVLIS.

[a] *MIERIVM.* Hoc poemation è vet. manuscr. multis locis emendamus, sed in eo legendo parum voluptatis percepimus: non quod nimium displiceat: nihil enim gratius nobis contingat quam ea quæ venam Claudiani sapiant. verum facile deprehendimus hæc seni vel ægro, vel curis adflicto excidisse: nam ex veteri etiam græca historia liquet eum à Theodosii magni imperio ad vsque Attilam vixisse; non sine miseria opinor, propter casum Stilichonis, vnde illa: Testor adhuc veteres quãuis desuetus honores. In his tamen apparet pulchra aquilæ, senectus aut equi.

[b] *DRACONES.* Ex Theocrito: vbi, δύω πολυμήχανος Ἥρη Κυανέαις φρίσσοντας ὑπὸ σπείρῃσι δράκοντας. Sane vidi infantulum qui in sole blandùm lusitans serpentem mihi formidabilem & miræ magnitudinis nutricula absente contrectaret, ac tum minùs mirari cæpi Herculis audaciam.

[c] *MOENIBVS.* Indicat populum effusum extra portas vrbium: aliàs Montibus, quod non planè spreueris, quia syluosi montes arboribus viduari poeticè dicuntur, apud Horatium: Et foliis viduantur orni.

[d] *ANIMASTI.* Alii codices: Armantem vulnera. Sed magis est vt conferas ab initio ad finem totum hoc opusculum cum aliis editionibus: nos enim iam allò vocamur. scias vero Nasonem de Maleagro aprum animante: Hostemque irritat ad iram.

[e] *ARGOLICI.* Seuerus in vita Martini, ex Statio: Grandæuumque suem mirantibus intulit Argis: quem versum ideo scholasticum vocat quod illo sæculo in scholis legebatur Papinius: apud quem tamen clamantibus Argis, reperias.

CL. CLAVDIANI
FESCENNINI METRO LYRICO IN NVPTIIS HOnorij aug. & Mariæ.

PRINCEPS corusco sidere pulchrior
Parthis sagittas tendere certior,
Eques Gelonis imperiosior,
Quæ digna mẽtis laus erit arduæ?
Quæ digna formę laus erit igneæ?
Te Leda mallet, quàm dare Castorem:
Præfert Achilli te proprio Thetis:
Victum fatetur Delos Apollinem:
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu quum per altas impiger ilices
Præda citatum cornipedem reges,
Ludentque ventis instabiles comæ, (.·.)
Telis iacebunt sponte tuis feræ:
Gaudensque sacris vulneribus leo,
Admittet hastam morte superbior.
Venus reuersum spernit Adonidem,

Damnat

Damnat reductum Cynthia Virbium.
Quum, post labores, sub platani voles
Virentis vmbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere Sirium,
Et membra somno fessa resolueris,
O quantus vret tum Dryades calor
Quot æstuantes ancipiti gradu
Furtiua carpent oscula Naiades (.·.)
Quis vero acerbis horridior Scythis?
Quis belluarum corde furentior?
Qui cum micantem te propè viderit,
Non optet vltro seruitium pati?
Quis non catenas arripiat libens?
Colloque poscat vincula libero?
Tu si niualis per iuga Caucasi
Sæuas petisses pulcher Amazonas (.·.)
Peltata pugnas desereret cohors,
Sexu recepto: patris & immemor
Inter frementes Hippolyte tubas
Strictam securim languida poneret,
Et seminudo pectore cingulum
Forti negatum solueret Herculi,
Bellumque solus conficeret decor. (.·.)
Beata quæ te mox faciet virum,
Primísque sese iunget amoribus.

AGe cuncta nuptiali
Redimita vere tellus
Celebra toros heriles,

Omne nemus cum fluuijs,
Omne canat profundum, (∴)

Ligures fauete campi,
Veneti fauete montes,
Subitísque se rosetis
Vestiat Alpinus apex,
Et rubeant pruinæ, (∴)

Athesis strepat choreis
Calamísque flexuosus
Leue [D] *Mincius susurret,*
Et Padus electriferis
Admoduletur alnis: (∴)

Epulísque [E] *iam repleto*
Resonet Quirite Tybris,
Dominique læta votis
Aurea septemgeminas
Roma coronet arces. (∴)

Procul audiant Iberi
Fuit [F] *vnde semen aulæ:*
Vbi plena laurearum
Imperio fœta domus,
Vix numerat triumphos. (∴)

Habet hinc patrem maritus,
Habet hinc puella matrem.
Geminaque parte ductum
Cæsareum [G] *fœmineo*
Stemma recurrit ortu. (∴)

Decorent vireta Betim,

Tagus intumescat auro,
Generisque procreator
Sub vitreis Oceanus
Luxurietur vndis. (·.·)

Oriensque regna fratrum
Simul Occidensque plaudat.
Placidæ ferantur [H] *vrbes,*
Quæque nouo, quæque nitent
Deficiente Phœbo (·.·)

Aquiloniæ procellæ
Rapidi tacete Cori,
Taceat sonorus Auster.
Solus ouantem Zephyrus
Per dominetur annum.

FINIS.

ANNOTATIONES IN FESCENNINOS NVPTIARVM HONORII IMP.

Hic titulus erat in veteri cod. ſed epithalamij nomen eidem fere verſuum generi à Catullo tribui videtur: nõ tamen à fide antiqua recedere potuimus: illa enim ætate Auſonius centones eiuſdem fere argumenti ſcripſit in nuptiis Gratiani, & ipſe Valentinianus Imp. vnde idem poeta: Feſcenninos amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere inſtituto ludus admittit.

[a] PRINCEPS. In his nihil præter hæc duo; TV CVM. Pro Tum, & VOLES pro Cubes.

[b] *AGE* cuncta. Titulum epithalamii non vidimus in v. codice ideóque omiſſus eſt, quod vero Del. notat ex vicetina editione vt minime culpo, ita & minimè ſequor, quia ſcimus poetas leges carminum pro arbitrio condidiſſe, & hoc licitum, id ſatis probat Auſonius, capella & Sen. Bœtius, & alij: itaque ab antiqui exempli fide quam ſequuntur excuſi nolui recedere, quanuis non neſciam apud Seruium eiuſmodi verſum repręſętari: Dulciſonæ Pierides, verſifici fauete. Hi vero verſiculi reſtituuntur ex manuſcr.

[c] *LEVE* Mincius ſuſurret. vbi antea lene, magno lapſu in tenui re. Virg. ſępe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.

[d] *QVIRITE*. Aliàs Quirine nullo ſenſu. Perſius: vna Quiritem vertigo facit.

[e] *LFVIT*. Aliàs fuit quod eſt frigidulum.

[f] *FOEMINEO*. Olim Flamminco abſurdè nimis.

[g] *FERANTVR* vrbes. Lætentur erat in omnibus excuſis ſed ineptè, id eſt efferantur gaudio.

Solitas [1] *galea fulgere comas,*
Stilicho molli necte corona (.·.)
Cessent litui, sæuumque procul
Martem fœlix tæda releget.
Tractus ab aula rursus in aulam
Redeat sanguis patris officijs.
Junge potenti pignora [k] *dextra.*
Gener Augusti pridem fueras,
Nunc rursus eris socer Augusti. (.·.)
Quæ iam rabies liuoris erit?
Vel quis dabitur color inuidiæ?
Stilicho socer est, pater est Stilicho.

Attollens thalamis Jdalium iubar,
Dilectus Veneri nascitur Hesperus:
Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor,
Jam produnt lacrymas flammea simplices. (.·.)
Ne cessa iuuenis comminus aggredi,
Jmpacata [l] *licet sæuiat vnguibus.*
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat fauos,
Si fronti caueat, si timeat rubos:
Armat spina rosas, mella tegunt apes. (.·.)
Crescunt difficili gaudia iurgio,
Accenditque magis, quæ refugit venus:
Quod flenti tuleris. plus sapit osculum.
Dices ô quoties hoc mihi dulcius,
Quàm flauos decies vincere Sarmatas,
Aspirate nouam pectoribus fidem,
Mansurámque facem tradite sensibus (.·.)

Tam iunctis manibus nectite vincula,
Quam frondens hedera stringitur æsculus,
Quam lento premitur palmite populus,
Et murmur querula blandius alite,
Linguis assidue reddite mutuis.
Et labris animum conciliantibus,
Alternum rapiat somnus anhelitum,
Amplexu caleat purpura regio,
Et vestes Tyrio sanguine fulgidas,
Alter virgineus nobilitet cruor,
Tum victor madido prosilias toro,
Nocturni referens vulnera prælij.
Ducant peruigiles carmina tibiæ,
Permissisque iocis turba licentior
Exultet, tetricis libera legibus.
Passim cum ducibus ludite milites,
Passim cum pueris ludite virgines.
Hæc vox æthereis insonet axibus,
Hæc vox per populos, per mare transeat,
Formosus Mariam ducit Honorius.

FINIS.

[u] SOLITAS. Hi versiculi media sui parte dissilierant in v manuscr. quod non tulissem nisi elegans Ausonius eiusdem generis metra bellula quidem & venustula, nobis reliquisset. Ea sunt: ô flos iuuenum Spes læta patris, nec certa tuæ Data res patriæ. Sic etiam Claudianus hîc, Solitas galea Feruere comas Stilicho molli Necte corona.

[x] PIGNORA dextra. Cuiacius in suo cod. habuit Fœdera dextra, sed pignora de Honorio pene puero & Maria puellula dici non malè crediderim.

[z] IMPACATA. Vulgati: Iam pacata, erit, scilicet.

IN NVPTIAS HONORII ET MARIÆ PRÆFATIO.

SVrgeret[A] in thalamū ducto quum Pelion arcu,
Nec caperet tantos hospita terra deos:
Quum socer æquoreus, numerosaq; turba sororū
Certarent epulis continuare dies:
Præberetque Joui communia pocula Chiron,
Molliter obliqua parte refusus equi:
Peneus gelidos mutaret nectare fontes:
Oetæis fluerent spumea vina iugis:
Terpsichore facilem lasciuo pollice mouit
Barbiton, & molles duxit in antra choros.
Carmina nec superis, nec displicuere Tonanti,
Quum teneris nossent congrua vota modis.
At[B] Satyri Faunique[C] notant, quæ flectere[D] Rhætum,
Quæ rigidum poterant plectra mouere Pholum.
Septima lux aderat cælo, totiesque renato
Viderat exactos Hesperus igne choros:

Tum Phœbus quo saxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine tentauit nobiliore lyram;
Venturumque sacris fidibus iam spondet Achillem,
Iam Phrygias cædes, iam Simoënta canit.
Frondoso strepuit felix Hyæmenæus Olympo,
Reginam resonant Othrys, & ossa Thetin.

IN NVPTIAS HON. ET MARIÆ.

[a] *VRGERET.* Hæc Pelei & Thetidis nuptias indicant, de quibus supra. vt verò hæc pleniùs intelligas vdie Præf. Sidonii in epith. Ruricii & Iberiæ: imitando enim explicat.

[b] *AT SATVRI.* Sic in v. cod. cum alias: centauri: nullo sensu.

[c] *FAVNIQVE NOTANT.* Ita v. cód. alii negant, quod non percipio. quid sit vero notare docet satis Virg. in Buc. Faunorum sanè fuit agrestis auena, vnde propriè cicuticines dixeris, neque adeo suaui contilena exultauere, vt Ioui & magnis diis essent voluptati. Satis ergo fuit si Centauros Rhœtum & Pholum demulserint, quare Ennius: Versib. quos olim Fauni vatesque canebant.

[d] *RHOETVM.* Virg. Centauros lætho domui Rhœtumque Pholumque. Cratem maluit Del. de quo Lærtius.

Claudianus

CL: CLAVDIANI
DE NVPTIIS HONORII
ET MARIÆ.

HAVSERAT insolitos promissæ virginis ignes
Augustus, primóque rudis flagrauerat æstu:
Nec nouus vnde calor, nec quid suspiria vellent,
Nouerat, incipiens, & adhuc ignarus amandi.
Non illi venator equus, non spicula curæ,
Non iaculum torquere libet, mens omnis oberrat
In vultus quos finxit amor, quam sæpe medullis
Erupit gemitus? quoties incanduit ore
Confessus secreta rubor? nomenque beatum
Iniussæ scripsere manus? iam munera nuptæ
Præparat, & pulchros Mariæ, sed luce minores
Eligit ornatus; quicquid venerabilis olim
Liuia, diuorumque nurus gessere superbæ.
Incusat spes ægra moras, longíque videntur
Stare dies, segnísque rotam non voluere Phœbe.
Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem,
Fraudis adhuc expers, bellatricésque docebat

Ducere fila manus, & mox quos horruit [G] Idem
Thessalico roseos nectebat pectine crines.
Hæc etiam queritur secum: Quonam vsque verendus
Cunctatur meà vota socer? quid iungere differt
Quam pepigit? castasque preces implere recusat?
Non ego luxuriam regum, moremque sequutus
Quæsiui vultum tabulis [H] vt, nuntia formæ
Læua [I], per innumeros iret pictura [K] penates:
Nec varijs dubium thalamis lecturus amorem,
Ardua commisi falsæ connubia ceræ.
Non rapio præceps alienæ fœdera tædæ,
Sed quæ sponsa mihi pridem, patrísque relicta
Mandatis, vno materni sanguinis ortu
Communem partitur auum, fastigia supplex
Deposui, gessique procum, de limine sacro
Oratum misi proceres, qui proxima nobis
Iura tenent. Stilicho fateor non parua poposci:
Sed certè mereor princeps, hoc principe natus,
Qui sibi te generum fraterna prole reuinxit:
Cui Mariam differs; fœdus mihi solue paternum,
Redde suos aulæ, mater fortasse rogari
Mollior, ô patrui germen cui nominis hæres
Successi, sublime decus torrentis Iberi,
Stirpe soror, pietate parens; tibi creditus infans,
Inque tuo creui gremio, partuque remoto
Tu potius Flacilla mihi, quid diuidis ergo
Pignora? quid iuueni natam non tradis alumno?
Optatusne dies aderit? dabiturne iugalis
Nox vnquam? tali solatur vulnera questu.
Risit Amor, placidæque volat trans æquora matri

Nuntius, & totas iactantior explicat alas.

Mons latus Eoum Cypreæ rupis obumbrat,
Inuius humano gressu variumque cubile
Proteos, & septem despectans cornua Nili.
Hunc neque candentes audent vestire pruinæ;
Hunc venti pulsare timent, hunc lædere nimbi.
Luxuriæ Veneríque vacat, pars acrior anni
Exulat: æterni patet indulgentia veris.
In campum se fundit apex, hunc aurea sepes
Circuit, & fuluo defendit prata metallo.
Mulciber, vt perhibent, his oscula coniugis emit
Mœnibus, & tales vxorius obtulit arces.

Intus prata micant, manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono:
Vmbrosumque nemus, quò non admittitur ales,
Ni probet antè suos Diua *sub iudice cantus.*
Quæ placuit, fruitur ramis: quæ victa, recedit.
Viuunt in Venerem frondes, omnísque vicissim
Fœlix [1] arbor amat; nutant ad mutua palmæ
Fœdera populeo suspirat populus ictu,
Et platani platanis, alnoque assibilat alnus,
Labuntur gemini fontes; hic dulcis, amarus
Alter, & infusis corrumpit mella venenis,
Vnde cupidineas armauit fama sagittas,

Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, æuo similes, gens mollis amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea solum
Edidit: ille Deos cœlumque & sidera cornu
Temperat, & summos dignatur figere reges:
Hi plebem feriunt. Nec cætera numina desunt.

Hîc habitat nullo constricta licentia nodo.
Et flecti faciles iræ, vinoque madentes
Excubiæ, lacrymæque rudes, & gratus amantu n
Pallor, & in primis titubans audacia furtis:
Iocundique metus, & non secura volupt is,
Et lasciua volant leuibus periuria pennis.
Hos inter petulans alta ceruice Iuuenta
Excludit Senium luco: procul atria Diuæ
Permutant radios, syluáque obstante virescunt.
Lemnius hæc etiam gemmis extruxit & auro,
Admiscens artem pretio, grauibusque M *Smaragdis*
Supposuit cæsas Hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, & Iaspide lubrica surgunt
Limina despectusque solo calcatur Achates.
In medio glebis redolentibus area diues
Præbet odoratas messes hîc mitis amomi,
Hîc casiæ matura seges, Panchæáque surgunt
Cinnama, nec sicco frondescunt vimina costo,
Tardaque sudanti prorepunt balsama succo.
Quo postquam dilapsus Amor, longasque peregit
Penna vias, alacer, passuque superbior intrat.
Cæsariem N *tunc fortè Venus subnixa corusco*
Fingebat solio: dextra, læuaque sorores
Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat, hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat: sed tertia retro
Dat varios nexus, & iusto diuidit orbes
Ordine, neglectam partem studiosa relinquens:
Plus error decuit, speculi nec vultus egebat
Iudicio O *, similis tecto monstratur in omni;*

Et rapitur quodcunque [r] videt. Dum singula cernit,
Seque probat, nati venientis conspicit vmbram:
Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem,
Quid tantum gauisus ait, quæ prælia sudas
Improbe? quis iacuit telis iterumne Tonantem
Inter Sidonias cogis mugire iuuencas?
An Titana domas? an pastoralia Lunam
Rursus in antra vocas? durum, magnumque videris
Debellasse Deum, suspensus in oscula matris.
Ille refert, lætare parens, immane trophæum
Rettulimus: nostrum iam sensit Honorius arcum.
Scis Mariam, patremque ducem, qui cuspide Gallos,
Italiamque fouet: nec te præclara Serenæ
Fama latet: propera, regalibus annue votis,
Iunge toros, natum gremio Cytherea remouit,
Et crines festina ligat, peplumque fluentem
Alleuat, & blando spirantem numine ceston
Cingitur, impulsos pluuijs quo mitigat amnes,
Quo mare, quo ventos, irataque flumina soluit.
Vt stetit ad littus, paruos affatur alumnos:
Ecquis erit pueri, vitreas qui lapsus in vndas,
Huc rapidum Tritona vocet? quo vecta per altum
Deferar? haud vnquam tanto mihi venerit vsu.
Sacri quos petimus thalami; pernicius omnes
Quærite, seu concha libycum circunsonat æquor,
Ægeas seu frangit aquas: quicunque repertum
Duxerit, aurata donabitur ille pharetra.
Dixerat, & sparsi diuersa plebe feruntur
Exploratores pelagi. Sub fluctibus ibat
Carpathijs Triton, obluctantémque petebat

Cymothoën: timet illa ferum, seseque [Q] sequenti
Surripit, & duris elabitur vda lacertis.
Heus, inquit speculatus amor, non vestra sub imis
Furta tegi potuere vadis: accingere nostram
Vecturus dominam, pretium non vile laboris,
Cymothoën facilem, quæ nunc detrectat, habebis:
Hac mercede veni. Prorumpit gurgite toruus
Semifer, vndosi velabant brachia crines:
Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
Qua Pristis commissa viro, ter pectora mouit.
Iam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.
Vmbratura Deam retro sinuatur in [R] arcum
Bellua, tum viuo squalentia murice terga
Purpureis mollita toris [S] hoc nauigat antro
Fulta Venus: niueæ delibant æquora plantæ.
Prosequitur volucer latè comitatus amorum,
Tranquillumque choris quatitur mare, serta per omnes
Neptuni dispersa domos. Cadmeia ludit
Leucothoë, frænatque rosis delphina Palæmon:
Alternis violis Nereus interserit algas,
Caniciem Glaucus ligat immortalibus herbis.
Necnon & varijs vectæ Nereides ibant
Audito rumore feris: hanc pisce volutam
Subleuat Oceani monstrum Tartesia tigris:
Hanc timor Ægæi rupturus fronte carinas
Trux aries: hæc cæruleæ suspensa leænæ
Innatat, hæc viridem trahitur complexa iuuencum,
Certatimque nouis onerant connubia donis.
Cingula Cymothoë, rarum Galatea monile,
Et grauibus Spathale baccis diadema ferebat,

Intextum rubro quas legerat ipsa profundo.
Mergit se subito, vellitque [t] *coralia* [v] *Doto:*
Vimen erat dum, stagna subit: processerat vndis,
Gemma fuit, nudæ Venerem cinxere cateruæ,
Plaudentesque simul tali cum voce sequuntur:
Hos Mariæ cultus, hæc munera nostra precamur,
Reginæ regina feras: dic talia nunquam
Promeruisse Thetim, nec cùm soror Amphitrite
Nostro nupta Joui, deuotum sentiat æquor:
Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum.
Victrices nos sæpe rates, classemque paternam
Veximus, ad tristes cùm tenderet vltor Achiuos.
Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Appulerat, lassósque fretis extenderat orbes:
Continuo sublime volans ad mœnia Gallis
Condità lanigeri [x] *suis ostentantia pellem*
Peruenit, aduentu Veneris spissata recedunt
Nubila, clarescunt puris aquilonibus Alpes:
Lætitiæ causas ignorat dicere miles,
Lætaturque tamen: Mauortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.
Jlla suum dictis affatur talibus agmen.
Gradiuum nostri comites arcete parumper,
Ut soli vacet aula mihi, procul igneus horror
Thoracum, gladiósque tegat vagina minaces.
Stent bellatrices Aquilæ, sæuique Dracones.
Fas sit castra meis hodie succumbere signis.
Tibia pro lituis, & pro clangore tubarum
Molle lyræ festumque canant: epulentur ad ipsas
Excubias, mediis spirent crateres in armis.

Laxet terribiles maiestas regia fastus,
Et sociam plebem non indignata potestas.
Confundant turbæ proceres: soluantur habenis
Gaudia, nec leges pudeat ridere seueras.
Tu festas Hymenææ faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.
Vos pennata cohors, quocunque vocauerit vsus,
Diuisa properate manu, neu marceat vlla
Segnities: alij funalibus ordine ductis
Plurima venturæ suspendite lumina nocti.
Hi nostra nitidos postes obducere myrto
Contendant: pars nectareis aspergere tecta
Fontibus, & flamma lucos adolere Sabæos,
Pars infecta croco velamina lutea Serum
Pandite, Sidoniasque solo prosternite vestes.
Ast alij thalamum docto componite textu:
Stamine gemmato, picturatisque columnis
Ædificetur apex, qualem non Lidya diues
Erexit Pelopi, nec quem struxere Lyæo
Indorum spolijs, & opaco palmite Bacchæ.
Illic exuuias omnes cumulate parentum,
Quicquid auus senior Mauro, vel Saxone victis:
Quicquid ab innumeris socio Stilichone tremendus
Quæsiuit genitor bellis: quæcunque Gelonus
Armeniusue dedit: quantum crinita sagittis
Attulit extremo Meroë circunflua Nilo:
Misit Achæmenio quicquid de Tigride Medus,
Cum supplex emeret romanam Parthia pacem.
Nobilibus gazis, opibusque cubilia surgant
Barbaricis, omnes thalamo conferte triumphos.

Sic aït, & sponsæ petit improuisa penates.
Illa autem secura tori, tædasque parari
Nescia, diuinæ fruitur sermone parentis:
Maternosque bibit mores, exempláque discit
Prisca pudicitiæ: Latios nec voluere libros
Desinit, aut Graios, ipsa genitrice magistra:
Mæonius quæcunque senex, aut Tracius *Orpheus,*
Aut mitylenæo modulatur pectine Sappho.
Sic Triuiam Latona monet, sic mitis in antro
Mnemosyne docili tradit præcepta Thaliæ.
Cùm procul augeri nitor, & iucundior aer
Attonitam lustrare domum, fundíque comarum
Gratus odor, mox vera fides, numenque refulsit.
Cunctatur stupefacta Venus, nunc ora puellæ,
Nunc flauam niueo miratur vertice matrem:
Hæc modo crescenti, plenæ par altera Lunæ.
Assurgit ceu fortè minor sub matre virenti
Laurus, & ingentes ramos, olimque futuras
Promittit iam parua comas: vel flore sub vno,
Ceu geminæ Pæstana rosæ per iugera regnant:
Hæc largo matura die, saturataque vernis
Roribus, indulget spatio: latet altera nodo,
Nec teneris audet folijs admittere soles.
Astitit, & blandè Mariam Cytherea salutat.
Salue sidereæ proles Augusta Serenæ
Magnorum soboles Regum, pariturаque reges:
Te propter Paphias ædes, Cyprumque reliqui:
Te propter libuit tantos explere labores,
Et tantum transnasse maris: ne vilior vltra
Priuatos patiare lares, neu tempore longo

Dilatos iuuenis nutriret Honorius ignes.
Accipe fortunam, generis diadema resume,
Quod tribuas natis: & in hæc penetralia rursus,
Vnde parens progressa, redi; fac nulla subesse
Vincula cognatæ: quamuis aliena fuisset
Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.
Quæ Propior sceptris facies? quis dignior aula
Vultus erit? non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quam vincto leuiter sese discrimine confert
Vmbra supercilij? miscet quam iusta pudorem
Temperies? nimio nec sauguine candor abundat;
Auroræ vincis digitos, humerosque Dianæ.
Ipsam iam superas matrem. Si Bacchus amator
Dotali potuit cœlum signare corona,
Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris?
Iam tibi molitur stellantia serta Bootes,
Inque decus Mariæ, iam sidera parturit æther.
O digno nectenda viro, tantique per orbem
Consors imperij: iam te venerabitur Ister,
Nomen adorabunt populi, iam Rhenus & Albis
Seruiet, in medios ibis regina Sicambros.
Quid numerem gentes? Atlanteosque recessus
Oceani? toto pariter dotabere mundo.
Dixit, & ornatus dederant quos nuper ouantes
Nereides, collo, membrisque micantibus aptat.
Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus,
Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.
Ante fores iam pompa sonat, pilentaque sacram
Præradiant ductura nurum: calet obuius ire

Iam princeps, tardumque cupit discedere solem.
Nobilis [z] *haud aliter sonipes, quem primus amoris*
Sollicitauit odor, tumidus quatiensque decoras
Curuata ceruice iubas, Pharsalia rura
Peruolat, & notos hinnitu flagitat amnes,
Naribus accensis: mulcet fœcunda magistros
Spes gregis, & pulchro gaudent armenta marito.
Candidus [A] *interea positis exercitus armis*
Exultat socerum iuxta, nec signifer vllus,
Nec miles pluuiæ flores dispergere ritu
Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.
Hęc quoque velati lauro, myrtoque canebant:
Diue parens, seu te complectitur axis Olympi,
Seu colis Elysias animarum præmia valles,
En promissa tibi Stilicho iam vota peregit,
Iam gratæ rediere vices: connubia pensat,
Acceptum reddit thalamum, natoque reponit,
Quod dederat genitor, nunquam te sancte pigebit
Iudicij, nec te pietas suprema fefellit.
Dignus cui leges, dignus cui pignora tanti
Principis, & rerum commendarentur habenæ.
Dicere possemus quæ prælia gesta sub Hæmo,
Quæque cruentarint fumantem Strymona pugnæ,
Quam notus clypeo, quanta vi fulminet hostem,
Ni prohiberet Hymen; quæ tempestiua relatu
Nunc [B] *canimus. quis consilio, quis iuris & æqui*
Nosse modum melior? quod semper dissidet, in te
Conuenit, ingenio robur, prudentia forti.
Fronte quis æquali? quem [C] *sic romana decerent*
Culmina? sufficerent tantis quæ pectora curis?

Stes licet in populo, clamat quicunqne videbit,
Hic ille est Stilicho: sic te testatur & offert
Celsa potestatis species, non voce feroci,
Non alto simulata gradu, non improba gestu.
Affectant alij quicquid, fingique laborant,
Hoc donat natura tibi: pudor emicat vna,
Formosusque rigor, vultusque auctura verendos
Canicies: [D] *festina venit consorte* [E] *remota,*
Contingit senij grauitas, viresque iuuentæ;
Vtraque te cingit proprijs insignibus ætas,
Ornatur fortuna viro: non vlla nocendi
Tela, nec infecti iugulis ciuilibus enses.
Non odium terrore moues, nec frena resoluit
Gratia: diligimus pariter, pariterque timemus:
Ipse metus te noster amat, iustissime legum
Arbiter, egregiæ pacis fidissime custos:
Optime ductorum, fortunatissime patrum,
Plus iam, plus domino cuncti debere fatemur
Quod gener est inuicte tuus, vincire corona,
Insere te nostris contempto iure choreis.
Sic puer Eucherius superet virtute parentem,
Aurea sic videat similes Thermantia [F] *tædas:*
Sic vterus crescat Mariæ [G] *sic natus in ostro*
Paruus Honoriades gentibus confidat auitis.

FINIS.

ST. CLAVERII.

ANNOTATIONES IN EPITHALAMIVM HONORII ET MARIÆ.

ᵃ Tria ſunt Epithalamia valde bona, vt ait Scal. li. v. Poëtices. Catulli duo. vnum Papinii. Feſtiuitas in Catullianis multa, & pura venus è vero latio; erectior Papinius: Claudianus neque numeris, neque inuentionibus cedit ipſis.

ᵇ PINXIT Amor. Sic opt. liber & excuſi. aliàs Pinxit quod falſi arguitur ex ſequentibus.

ᶜ *IDE.* Optime ex v. cod. nam Ida Achillis pulchrè capillati aduentu intremuit: aliàs idem, nullo ſenſu.

ᵉ *TABVLIS.* Hic vero notate licet morem antiquum, qui in hanc ætatem inoleuit: miſſa enim regi maximo Mariæ medicex nunc reginæ effigies. aliàs Thalamis imperitè.

ᶠ *LÆVA.* Sic vno vet. c. & excuſis, interpretari libet imaginem cui pictor blanditus ſit, quęque penicillo fauorabili ſit expreſſa, nam & læua numina neſcio quid fauoris indicant. Difficilis eſt autem (ait Paneg. ſcriptor) cuiuſque formę imitatio, quia cum certis ſui notis citò deformitas exprimatur: ſimilitudo tamen pulchritudinis tam eſt ardua, quàm rara eſt pulcritudo. In vet. tamen Cod. non læua, ſed lena (quod profecto latinum) reperi; ſed mihi fuit pudori: etſi Ouidio: maxima lena mora eſt. Hoc ſanè Epithalamium tali dictione facilè cariturum eſt, neque Honorij adhuc impuberis verecundiæ id conueniat.

ᶠ *PICTVRA.* Videtur hîc tangere Eutropij ſcutrilem aſtutiam, qui vt Archadio ſubitum amoris ignem excitaret Fl. Promoti neptim eximiè depictam ei ſæpius oſtentauit.

ᶠ *FOELIX* arbor. Apud Marcel. quidã Hilarius verbenas felicis arboris gestitat, vide Horat.

ᴴ *SMARAGDIS.* Vide planè Sidon. imitatorem, cuius si furta non illaudata expedire velim charta hæc deficiet.

ᴵ *CÆSARIEM.* Postquam Scal. lib. v. Poet. contulit Apollonii versus cum Homericis ex XII. Il. Apollonius, inquit, vt palmam de Homero tulit, ita de eo Claudianus: quæ cum perpenderimus nostros nullis numeris, nullísque apparatibus cedere Græcorum inuentioni constabit.

ᴷ *IVDICIO.* Sic Martialis: Consilium formæ speculum.

ᴸ *QVODCVNQVE.* Ita v. liber, sed Scal. senioris coniectura præualet mea sententia: ille enim, quocunque. Sed si tanta est Veneris pulchritudo, vt etiam inanima rapiat, prior lectio manere debuit. Parietes sane gestiunt apud Cic.

ᴹ *SEQVENTI.* In cod. Petenti, quod & maluit Cuiacius: verum sibilus iste habere videtur aliquid gratiæ.

ᴺ *IN ARCVM.* Virg. 3. Æn. Portus ab eo fluctu curuatus in arcum.

ᴼ *TORIS.* Ita veteres cod. sed Mariangelo placet: Rosis, ego alterum malui. nam alibi Cl. surguntque toris maioribus herbæ: & Priscianus: Herbarumque toris & gramine læta virescunt.

ᴾ *CORALIA.* Hæc vero græca licentia, propter vocales ancipites. Ouid. sic & Coralium. Sidonius vero: Lactea puniceo sinuantur colla corallo. κοράλιον græcè, sed est & herbæ species quæ κοράλλια à colore rubro dicitur: κουράλλιον vero Theophrasto est Corolium, pro κοράλλιον: idque confirmat Eustathius quasi ἐκ τῆς κόρης ἀλλόμενον dicatur à cruore qui ex Gorgonis capite distillauit.

ᴽ *DOTO.* Ita vet. lib. quod & firmat Colinæus, aliàs Clotho ineptissimè. Virg. Nereïa Doto. Val. Flaccus: Hanc Panope, Dotóque soror, iactatáque fluctu prosequitur nudis pariter Galatea lacertis. Hesiodus: Δωτώτε Πρωτώτε.

ᴿ *LANIGERI* Suis. Ita vet. codex, alii: Lanigeris ouis, aut lanigeræ suis, sed prima lectio firmatur à Sidonio: vrbs quæ lanigero de sue nomen habet, hoc est Mediolanum.

ˢ *AVRORÆ* digitos. Anacreon ex Hom. Ροδοδάκτυλος

-τοῦ Ἠώς. Auson. Et roseis manibus sidera dispulerat.

[r] *NOBILIS*. Scal. lib. v. Poetices hanc comparationem lōgè fœliciorem esse ait ea quàm Silius libro 10. durè neque volātibus numeris dedit, agnoscitque in hoc poeta normam Virgilianum.

[v] *CANDIDVS* exercitus. ante dixerat niueas cohortes, quæ scilicet in comitatu Principis. legimus vero Domitianum cum videret generum fratris albatos etiam habere ministros dixisse: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Sunt & albati milites apud Trebellium.

[x] *IVRIS* & Æqui. Locus elegans, & valdè subtilis de eo quod est medium inter Ius & Æquum. Ius est, auctore Donato, quòd omnia recta & inflexibilia erigit: Æquitas est, quæ ex Iure multùm remittit, est vero hîc κυβερνητικὴ σοφία ni fallor quam vocat Iustinianus.

[y] *QVEM SIC* Romana. Poterat taceri hoc, ô Claudiane, dum enim Stilichonem tuum plus nimio extollis, nascitur scrupulus qui multos male habuit. nam vt ait poeta: Non honor est sed onus, species læsura ferentem: hæc nostro æuo vsu venere.

[z] *CANITIES*. Belli duces ac milites celeriùs canescūt propter insomniam, labores, & alia incommoda: quod in Gallis ducibus etiam locum habuit. Plinius in Paneg. de Traiano, cui- Non sine quodam munere Deum festinatis senectutis insignibus ornata cæsaries. Domitianus torti animo se ferre dixit comam in adoscentia senescentem, quod sanè ipsi contigit dum contra montem Dacicum, & Sarmatas periclitatur.

[A] *CONSORTE* remota. Id est ægritudine, tristitia, aut languore: nam multa senem circum veniunt incommoda. Virg. dixit: subeunt morbi tristísque senectus Imo senectus ipsa est morbus Terentio. Miserabilis profectò est senectus vt plurimum; nam habet multas consortes, seu comites vnde Senarius: φοβοῦ τὸ γῆρας· οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.

[B] *THERMANTIA*. Illa sane vt Claudianus prædixit vidit non similes tedas sed easdem magno suo malo, vt supra dictum est.

[C] *MARIÆ*. Fl. Maria Augusta tenella & iugo impar nupsit Honorio vix puberi. Itaque Princeps bellè educatus immitis

vnæ cupdinem distulit: sed intereà nympha delicatula immatura morte præuenta est. Eius sepulchrum haud ita pridem patuit Romæ: vbi non solum eius peplum imperiale preciosissimum, sed & pila lusoria ex auro, atque etiam vna lapillis micantibus efficta, cum aliis crepundiis, quibus viua oblectabatur, inuēta sunt, cum inscriptione: MARIA FLORENTISSIMA, additis Angelorum IIII. nominibus. Ibidem postea sepultus est Honorius, nempe in Basilea D. Petri.

IN EPITHALAMIVM PALLADII ET CELERINÆ

PRÆFATIO.

CARMINA per thalamum, quamuis festina, negare
Nec volui genero, nec potui [a] socero.
Hic socius, dux ille mihi: nostrique per aulam
Ordinis hic consors, emicat ille prior.
Hunc mihi coniungit studijs communibus ætas,
Hunc mihi præponit vel senium, vel honos.
Carmen amor generi, soceri reuerentia poscit,
Officio vatis, militis obsequio.

CL. CLAVDIANI
EPITHALAMIVM PALLADII ET CELERINÆ

*

F*ORTE* [c] *Venus blando quæsitum frigore somnum,*
Vitibus intexti gremio [D] *susceperat antri*
Densaque sidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo; crispatur opaca
Pampinus, [E] *& vitem* [F] *sudantem ventilat vuis.*
Ora decet neglecta sopor. fastidit amictum
Æstus, & exuto translucent pectore frondes.
Idaliæ iuxtà famulæ, triplexque vicissim
Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.
Pennati passim pueri, quò quenque vocauit
Vmbra, iacent: fluitant arcus, ramisque propinquis
Pendentes placido suspirant igne pharetræ:
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur:
Scrutantur nidos auium, vel roscida læthi
Mala legunt, donum Veneris; flexusque sequuntur
Palmitis, & summas pennis librantur in vlmos.
Defendunt alij lucum, Dryadesque procaces

Spectandi cupidas, & rustica numina pellunt,
Syluestresque Deos: longeque tuentibus antrum
Flammea lasciuis intendunt spicula Faunis:
Cùm subito varius vicina clamor ab vrbe,
Et fausti iuuenum plausus, mixtæque choreis
Auditæ per rura lyræ Celerina per omnes
Italiæ canitur montes, omnisque maritum
Palladium resonabat ager: peruenit ad aures,
Vox iucunda deæ, strepitúque excita recedit,
Et reliquum nitido detersit pollice somnum.
Vtque erat interiecta comas, turbata capillos,
Mollibus assurgit stratis, H interque suorum
Agmen, & innumeros, Hymenæum quærit, amores:
Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis; nullum vinxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.
Conspicitur tandem; platano namque ille sub alta
Fusus, inæquales cera texebat auenas,
Mænaliósque modos, & pastoralia labris
Murmura tentabat relegens, orisque recursu
Dissimili tenuem variabat arundine ventum.
Restitit, vt vidit Venerem, digitisque remißis,
Ad terram tacito defluxit fistula lapsu.
Dulce micant oculi, niueas infecerat igni
Solque, pudorque genas: dubiam lanuginis vmbram
Cæsaries intonsa tegit: prior ipsa silentem
Compellat. Nunquámne puer dilecta relinques
Carmina? maternis nunquam satiabere donis?
Dedite Musarum studio, nimiúmque parentis
Æmule? quid medio tecum modularis in æstu?

Iamne tibi sordent citharæ? iam lustra Lycęi,
Atque pecus cordi? redituráque rupibus Echo?
Huc ades, & tantæ nobis edissere causas
Lætitię, quę pompa toro tam clara resultet;
Quæ noua dotetur virgo: patriámque genusque
Pande, quibus terris orti, quo semine ducti;
Haud ignarus enim, nec te connubia fallunt
Vlla; tuo primæ libantur fœdere noctes.
Ille refert: Equidem dudum te diua morantem
Mirabar, quod adhuc tanti secura maneres
Coniugij: non parua tibi mandatur origo.
Fascibus insignes, & legum culmine fultę
Conuenere domus, & qui lætissimus vrbi
Sanguis erat rubris quæ flatibus insula latrat?
Quis locus Æthiopum; quæ sic imperuia famæ
Secessit regio, quo non rumore secundo
Palladij penetrauit amor? mentísque benigna
Temperies? doctique sales & grata senectus?
Per cunctos ijt ille gradus, aulæque labores
Emensus, tenuit summæ fastigia sedis
Eoum stabili moderatus iure senatum.
Hinc splendor iuueni cunabula prima puellæ
Danubius, veteresque Tomi [I]; *Mauortia* [K] *matris*
Nobilitas, spolijs armísque exultat auitis,
Immensamque trahit Celeris de [L] *robore lucem,*
Qui quondam Meroën [M] *iussus, Nilumque tueri,*
Cum sibi, post [N] *domitas, ad Parthica flumina Carrhas,*
Sceptra daret miles, rebusque imponere vellet,
Despexit fremitus, & prætulit otia regno.
Respuit, incestus quod vi, quod poscere ferro

Posthabita pietate solet, tunc purpura primum
Inferior virtute fuit: metuitque repulsam
Obuia maiestas: doluit Fortuna, minorem
Se confessa viro magnum delata potestas,
Maiorem contempta probat: cognomina sumpsit
Plena ducum genitor, paulatim vectus ad altum
Princeps militiæ, qua non illustrior extat
Altera cunctorum tabulas [o] *assignat honorum.*
Regnorum tractat numeros, cuneosque recenset:
Sparsas imperij vires constringit in vnum
Depositum, quæ Sarmaticis custodia ripis,
Quæ sæuis obiecta Getis, quæ Saxona frænat,
Vel Scotum legio: quantum cinxere cohortes
Oceanum, quantum pacatur milite Rhenus.
Casta domus syncera fides industria solers;
Elegit [p] *Stilicho; nihil vltra laudibus addi,*
Iudicioue potest, Tali nubente puella
Nonne tibe cessare nefas? duc protinus omnes,
Duc age; marcentes cupio quassare coronas,
Et vibrare faces, & noctem ducereludo.
Hæc quoque non vilem mihi fistula commodat vsum
Responsura choris Vix hæc Hymenæus, at illa
Fontibus abluitur gelidis, legemque capillo
Reddit, & ornatum formæ, prelisque [q] *solutæ*
Mira Dioneæ sumit velamina telæ.
Floribus extruitur currus, iuga floribus halant.
Florea purpureas adnectunt fræna columbas.
Vndique concurrunt volucres, quæcunque frementem
Permulcent Athesim, cantu quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto

Mincius: ereptis obmutuit unda querelis:
Eridani ripas, & raucæ stagna Padusæ,
Diffugiens nudauit olor: lætantur Amores,
Frænatísque truces auibus per nubila vecti
Ostentant se quisque deæ, magnoque tumultu
Configunt, pronique manus in verbera tendunt.
Consequitur, vincitque suos auriga iugales,
Atque impune cadunt, lapsu meliore volantes.
Vt thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Desuper inuertunt calathos, largosque rosarum
Imbres, & violas plenis sparsere pharetris,
Collectas Veneris prato, quibus ipse pepercit
Sirius, & teneras clementi sidere fouit.
Gemmatis alij per totum balsama tectum
Effudere cadis, duro quæ saucius vngue
Niliacus pingui desudat vulnere cortex.
Aggreditur Cytherea nurum, flentemque Cupido
Detraxit matris gremio; matura tumescit
Virginitas, superatque niues ac lilia candor,
Et patrium flauis testatur crinibus Istrum.
Tum [r] dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, & bis vltro sancit connubia dictis.
Viuite concordes, & nostrum discite munus.
Oscula mille sonent, liuescant brachia nexu,
Labra ligent animos, nec tu virtute paterna
Confidas iuuenis, non est terrore domanda,
Sed precibus placanda tibi. Concede marito
Tu quoque nec Scythicas infensis vnguibus iras
Exercere velis, vinci patiare rogamus.
Sic vxor, sic mater [s] eris. Quid lumina tingis?

Virgo, crede mihi, quem nunc horrescis, amabis.
Dixit, & aligera geminos, arcuque manuque
Præstantes è plebe vocat, puer ilicet Æthon,
Et Pyrois, rutilas dispersi murice plumas
Prosiliunt, puroque imbutis melle sagittis,
Hic nuptam petit, ille virum: sonuere reducta
Cornua, certa Notos pariter sulcauit arundo,
Et pariter fixis æserunt tela medullis

ANNOTATIONES IN EPITHALAMIVM PALLADII ET CELERINÆ.

A Hoc elegans Epithalamium subita exultatione compositum est à Claudiano qui se comitem aut socium Palladij ac militem Stilichonis profitetur.

B SOCERO. Stilicho socer Palladij: quia Celerinam, filiam fortè adoptiuam, dedit ei nuptum: sic etiam Theodosius fuit socer Stilichonis. Gens vero Palladiorum inclita & nobilis fuit ad vsque tempora Sidonij. quinetiam, non procul ab vrbe Biturica, visitur prædium insigne, inde vt fertur denominatum.

C *FORTE.* Hæc mihi videntur sapere venam Papinij. Is vero Syluarum ita orditur: Forte remittentem curas.

D *SVSCEPERAT.* Ita vet. lib. Alij omnes: successerat nullo sensu.

E *PAMPINVS.* κλῆμα seu tener coliculus, frondosusque vitem ab æstu vindicans. Virg. Heu malè tunc mites defendet pampinus vuas. hanc dictionem Varro, vt ait Seruius, semper masc. facit.

F *VITEM* sudantem. Ita omnes libri, præter vnum manuscr. quæ locutio huic poëtæ valdè familiaris, ideóque aliam, licet

antiquam, reponere mihi fuit religio. Ea verò sic se habet: Crispatur opaca Pampinus, & mites vndatim ventilat vuas: sanè Plinio, vndatim crispæ mensæ. Virgilius vero: Et iuuat vndantem buxo spectare Cytheron: vbi Ser. Vento mota buxus vndarum æstus imitatur. ventus autem est aeris fluens vnda. dixerat etiam ante: Vitibus intexti, videturque ignauum, si dictionem tam paruo interuallo repetat, sed festinabat vt supra docuimus.

CELERINA. hæc domus videtur fuisse antiqua. plinii secund. socrus id nominis habuit. vet. lapis Romæ: Frontinus fratri dulcissimo, & Celerina soror. In schedis P. Gnosij viri doctissimi videtur scriptum fuisse Cæsina aut quid simile, aliàs celebrata aut Serena ineptè.

INTERQVE suarum. ita vet. liber. Aliàs: Sociumque requirit, male. Sic vero distinximus: vt venus inter agmen suarum comitum, & inter innumeros Amores incedens, quærat Hymenæum.

TOMI. Hæc gens licet barbara Romanos ipsos vrbanitate superauit, & amore litterarum. itaque Ouidius Charam sibi Tomum denuntiat, quæ aliquibus Tomis dicitur, vnde Tomitæ. quod minimè miror: sunt enim græcæ originis: quinimo & Flaccia à Duce Romano dicta iis quasi finitima est. apud eos profectò immunis egit poëta & coronam publico sibi consensu impositam velut diadema gessit. Ideo crediderim inclitæ genti Polonicæ innata virtutum & doctrinæ semina, ex cæli non dissimilis constitutione.

MATRIS nobilitas. Celerina patrem habuit Tomitanum seu Getam: ex qua regione etiam opinor Stilicho. Nobilitas verò matris est alicuius momenti. Ouid. Hinc fuit Euander qui quanquam clarus vtroque Nobilior sacræ sanguine matris erat, vide Dig. Ad Municip. Nobilis vergis est, auctore Liuio, qui patrem aut auum ciere potest: denique Miles videtur nobilis propter cingulum.

CELERIS DE. Ita vet. liber, aliàs Celerini: sed vt verum fatear hic locus mihi valdè obscurus, de hoc tamen Celere Statius videtur loqui lib. 3. Syluarum in Propemptico Metij Celeris.

MEROEN. Papinius de Celere: Nunc Regina Phari, numenque orientis anheli Excipe multisono puppem mareotida

ſiſtro, Ac iuuenem egregium latius cui ductor Eoa Signa, Palæſtináſque dedit frænare cohortes Ipſa manu placida. & ſubſinē: Tu rapidum Euphraten, & regia Bactra ſacráſque Antiquæ Babylonis opes. vide reliqua.

[n] *POST DOMITAS*. ad Parthica flumina Carrhas. Ita vet. lib. vulgati cum ſibi poſt domitos, & Parthica fulmina claros. Eſt & alius manuſcriptus non adeò antiquus, vbi non Claros ſed Caro; quod etiam notauit Cuiacius: id vero ſpeciem habet coniecturę, quaſi de Caro Imp. fulmine tacto apud Parthos hîc agatur.

[o] *TABVLAS* aſſignat. Hęc non ſunt adeo cuilibet expoſita. Sed non dubito quin Celerinę pater fuerit Primicerius Notariorum in occidente vir ſpectabilis ad quem pertinuit cura Laterculi maioris, vt eſt in Notitia. Sub eo omnium dignitatum & adminiſtrationum notitia, tam militarium quàm ciuiliū. Scholas & numeros tractat, quę omnia recenſet Claud. Tribunus & Notarius ideóque huius rei ſciens ſi quis alius. vide Cod. lib. XII. Tit. 7. Papinius vero de Abaſcantio cui Domitianus, Molem immenſam humeris & non tractabile pondus impoſuit: nec enim numeroſior altera ſacra Cura domo, magnum latè dimittere in orbem Romulei mandata ducis, viréſque modóſque Imperij tractare manu, quæ laurus ab Arcto, Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Iſtri, Quid Rheni vexilla ferant. quæ conferenda ſunt cum Claudiano.

[p] *ELEGIT*. Id eſt, Adoptauit. Adoptio enim fit electione, quę naturam imitatur. Habuit vero Stilicho ſororem quæ nupſit Heracliano, ex qua fortè hæc Celerina. quod ſi verum eſt crudelis & ingratus fuit Heracl. qui Stilichonem manu ſua interfecerit, tanquam nouandi cupidum: cum ipſe poſteà in Africa tyrannidē occupauerit, vt teſtatur numus ita inſcriptus: Dn Heraclianus P. F. Aug. vnde illa conſtitutio C. Th. Heracliani vocabulum, nec priuatim nec publicè vlla memoria teneat.

[q] *PRÆLIS*. Sic habuit vet. liber aliàs: Populis. Cuiacius etiam notàuit legi Pepli, quod conſidera. Martialis: Sic tuas ſuppoſitis perlucent pręla lacernis, Sic micat innumeris arcula ſynthesibus. Preſſoria dixit Ammianus.

[r] *TVM DEXTRAM*. Hîc apparet ἱερολογίας natiua ſpecies, ſed profana.

[s] *SIC MATER*. Auguſtinus; Fœmina nubit vt mater fiat, vnde matrimonium ominis cauſa dictum.

Claudiani

CL. CLAVDIANI

EPIGRAMMA SATISFACTIONIS AD HADRIAnum Præfectum Prætorio.

VSQVE ADEONE tuæ producitur impetus iræ
Nullus erit finis lacrymis? ſubitiſne fauorem
Permutas odijs? quò mens ignara nocendi?
Quo ſenſus abiere pij? tantumne licebit
Inuidiæ? tantum ſtrepitus valuere maligni?
Me dolor incautus, me lubrica duxerit ætas,
Me timor impulerit, me deuius egerit ardor;
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanæ ſuperos nunquam tetigere querelæ,
Nec vaga ſecurum penetrant conuicia cœlum.
Exceſſit iam pœna modum, concede iacenti.
En adſum, & veniam, confeſſus crimina poſco.
Manibus Hectoreis atrox ignouit Achilles;
Vltrices furias matris placauit Oreſtes;
Reddidit Alcides Priamo quas ceperat arces;
Pellæum iuuenem regum flexere ruinæ,

Darium famuli manibus doluisse peremptum
Fertur, & ingenti solatus fata sepulchro;
Tradita captiuo spatiosior India Poro;
Conditor hic patriæ; sic hostibus ille pepercit.
Hunc virtus tua digna sequi: quencunque deorum
Læsimus, insultet iugulo, pascatque furorem.
Gratia defluxit, sequitur feralis egestas.
Desolata domus, charis spoliamur amicis.
Hunc tormenta necant, hic vndique truditur exul.
Quid super est damnis? quæ sæua pericula restant?
*Prætereunt * subiecta feræ mortisque facultas,*
Emollit rabiem prædæ toruique leones
Quæ strauisse valent, ea mox prostrata relinquunt,
Nec nisi bellantis gaudent ceruice iuuenci,
Nobiliore fame. secuit nascentia vota
Liuor, & ingesto turbauit gaudia luctu.
Iamiam suppliciis fessos humilesque serenus
Respice; quid tantâ dignaris morte clientem?
In breuibus nunquam sese probat Æolus vndis.
Nec capit angustus Boreæ certamina collis,
Alpes ille quatit, Rhodopeaque culmina quassat.
Incubuit nunquam cælestis flamma salictis:
Nec parui frutices iram meruere Tonantis:
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.
Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Mineruæ,
Hoc carmen pro thure damus, miserere tuorum.
Me precor, heu me redde mihi; grauibusque medere
Vulneribus, vitamque iube famamque reuerti:
Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat.
Sanus Achilleis remeauit Telephus herbis,

Cuius pertulerat vires, & sensit in vno
Lethalem, placidamque manum: medicina per hostem
Contigit, & pepulit quos fecerat ipse dolores.
Quod si nec precibus, fletu nec flecteris vllo,
Eripe calcatis non prospera cingula Musis;
Eripe militiam, comitem me pelle sodalis:
Scilicet insigni de paupere vate triumpho,
Scilicet egregijs ornabere victor opimis;
Sæuiat in miseros cognata potentia ciues.
Audiat hæc commune solum, longeque carinis
Nota Pharos flentemque attollens gurgite vultum
Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

IN SATISFACTIONEM AD HADRIANVM. P.F P.

In vet. libro quod & notauit Cuiacius alia fuit inscriptio sed falsa, nempe: Excusatio pro se ad Stilichonem.

a VSQVE ADEO. Non dubium est quin poeta illudat huic Hadriano quamuis Inlustri & magnæ dignitatis viro, ac suo ciui; Alexandrino scilicet. Fuerat autem prius Mag. Officiorum: dein Præf. Prætorio Consule Theodoro, de quibus satis mordax composuit Epigramma, vt postea videris: vbi tangit hunc Hadrianum; qua re offensus dira statuit in amicos poetæ nostri, quia metu Stilichonis viri manu promti, non audet ipsum adoriri.

b PRÆTEREVNT. Horum duorum versuum principia hactenus transposita è libro vet. restituimus.

DE SENE, QVI IVXTA VERONAM CONSISTENS VILLA ſua nunquam egreſſus eſt.

Foelix qui proprijs æuum tranſegit in aruis,
Ipſa domus puerum, quem vidit ipſa ſenem,
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat ſecula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſſica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius vrbis,
Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non conſule computat annum.
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat
Idem condit ager ſoles idemque reducit,
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui gramine quercum,
Æquæuumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat, littora rubra, lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmiſque lacertis
Ætas ^ robuſtum tertia cernit auum,
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ

DE SENE VERONENSIS AGRI.

AETAS ROBVSTVM tertia. Hic locus notatu dignus eſt; magna enim fuit ſemper, & eſt hodiè de ætatibus controuerſia. nam vt ſacra omittam, multi fidem non adhibent poëtis qui Neſtora trium ſæculorum fuiſſe tradiderint. vnde Auſonius in Paneg. Melleo delibutus eloquio iam tertię Neſtor ætatis. Senectutis verò incipientis non impletæ tempus definiendum cenſeo, ad ſeptimum ſeptenarium, qui annos continet 49. Ex Solone apud quem hic verſus: Ἕπτα δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μέγ᾽ ἄριστος. quod ſpacium ſiquis ter emenſus fuerit videbitur tres ætates compleuiſſe. id eſt Annum 147. niſi quis malit tertiam ætatem ſolùm pro inchoata haberi, tantùm vt vltra centum & viginti annos procedat. ea forte ratione τριγέρων Πύλιος Anth. 1. quòd tertiò ſexagenarium attingat, vel inchoet. vide B. Irenæum de ætatibus Chriſti. vbi etiam ait iuuenem à 40. aut 50. declinare in ætatem ſeniorem.

CLAVD. DE PHOENICE

CARMEN.

OCeani ſummo circunfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumq; viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis, vicináque verbera ſentit.
Humida roranti reſonant, cum limina curru,
Vnde rubet ventura dies, longeque coruſcis
Nox afflata rotis, refugo palleſcit amictu.
Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, ſoluſque plaga defenſus iniqua
Poſſidet intactas ægris animalibus oras,

Sæua nec humani patitur contagia mundi.
Par volucer superis, stellas qui viuidus æquat
Durando, membrísque terit redeuntibus æuum.
Non epulis saturare famem, non fontibus vllis
Assuetus prohibere sitim, sed purior illum
Solis feruor alit, ventosaque pabula libat
Tethyos innocui carpens alimenta vaporis.
Arcanum radiant oculi iubar, igneus ora
Cingit honos, rutilo cognatum vertice sidus
Attollit cristatus apex, tenebrasque serena
Luce secat, Tyrio pinguntur crura veneno.
Ante volant Zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, sparsoque super ditescit in auro.
Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit,
Sed pater est prolesque sui nulloque creante
Emeritos artus fœcunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.
Nanque vbi mille vias longinqua retorserit æstas,
Tot fuerint hyemes, toties ver cursibus actum,
Quas tulit autumnus, dederit cultoribus vmbras,
Tunc multis grauior tandem subiungitur annis,
Lustrorum numero victus, ceu lassa procellis
Ardua Caucaseo nutat de vertice pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.
Pars cadit assiduo flatu: pars imbre peresa
Rumpitur, abripuit partem vitiosa vetustas.
Iam breue decrescit lumen, languetque senili
Segnis stella gelu, qualis cum forte tenetur
Nubibus, & dubio vanescit Cynthia cornu.
Iam solitæ medios alæ transcurrere nimbos,

Vix ima tolluntur humo, tunc conscius æui
Defuncti, reducisque parant exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretiosa fronde Sabæum
Componit bustumque sibi partumque futurum.
Hic sedet, & Solem blando clangore salutat
Debilior, miscetque preces, & supplice cantu
Præstatura nouas vires incendia poscit.
Quem procul adductis vidit cum Phœbus habenis,
Stat subito, dictisque pium solatur alumnum:
O senium positure rogo, falsisque sepulchris
Natales habiture vices, qui sæpe renasci
Exitio, proprioque soles pubescere letho,
Accipe principium rursus, corpusque coactum
Desere, mutata melior procede figura.
Hæc fatus propere flauis è crinibus vnum
Concussa ceruice iacit, missoque volentem
Vitali fulgore ferit, nam sponte crematur,
Vt redeat, gaudetque mori festinus in ortum.
Feruet odoratus telis cælestibus agger
Consumitque senem, nitidos stupefacta iuuencos
Luna premit, pigrosque polus non concitat axes.
Parturiente rogo curis natura laborat,
Æternam ne perdat auem, flammasque fideles
Admonet, vt rerum decus immortale remittant.
Continuo dispersa vigor per membra volutus
Æstuat, & venis rediuiuus sanguis inundat,
Victuri cineres, nullo cogente moueri
Incipiunt, plumaque rudem vestire fauillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem,

Succeditque nouus, geminæ confinia vitæ,
Exiguo medius discrimine separat ignis.
Protinus ad Nilum manes sacrare paternos,
Autoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre iuuat, velox alienum tendit in orbem,
Portans gramineo clausum velamine funus.
Innumeræ comitantur aues, stipatque volantem
Alituum suspensa cohors, exercitus ingens
Obnubit vario late conuexa meatu.
Nec quisquam tantis e millibus obuius audet
Ire duci, sed regis iter flagrantis adorant.
Non ferus accipiter, non armiger ipse Tonantis
Bella mouent, commune facit reuerentia fœdus.
Talis barbaricas fluuio de Tigride turmas
Ductor Parthus agit; gemmisque & diuite cultu
Luxurians, sertis apicem regalibus ornat:
Auro frænat equum; perfusam murice vestem;
Assyria signatur acu, tumidasque regendo
Celsa per Tyrias acies ditione superbit.
Clara per Ægtypum placidis notissima sacris
Vrbs Titana colit, centumque immane columnis
Inuehitur templum; Thebano monte reuulsis.
Illic (vt perhibent) patriam de more reponit
Congeriem, vultumque dei veneratus herilem,
Iam flammæ commendat onus, iam destinat aris
Semina relliquiasque sui, myrrhata [a] relucent
Limina, diuino spirant altaria fumo:
Et Pelusiacas productus ad vsque paludes
Peruenit Indus odor penitus [b] completque salubri
Tempestate [c] viros [d], & nectare dulcior aura

Hostia

Hostia nigrantis Nili septena vaporat.
O fœlix hæresque tui, quo soluimur omnes,
Hoc tibi suppeditat vires, præbetur origo
Per cinerem; moritur te non pereunte senectus.
vidisti quodcunque fuit, te sęcula teste
Cuncta reuoluuntur; nosti quo tempore Pontus
Fuderit elatas scopulis stagnantibus vndas.
Quis Phaëthonteis erroribus arserit annus.
Et clades te nulla rapit, solusque superstes
Edomita tellure manes, non stamina Parcæ
In te dira legunt, nec ius habuere nocendi.

PHOENIX.

Hoc Poëmatium luculentissimum vocat Scaliger senior: in eo verò pauca reperias quæ lectorem queant subsistere.

[a] *MYRRHATA.* Ita vet. liber, quod & Cuiacius notauit cùm aliàs, Mirata, sic Plinio Myrtatus, μυρσίνῃ πεφυραμένος. sed posterior lectio defendi potest, vt rei inanimæ sensus tribuatur.

[b] *PENITVS.* Ita vet. liber. Sed in alio versus hic ita se habet vt etiam notauit Cuiacius: Indus odor penetrat nares, complétque salubri. ea verò fuit scripturæ antiquæ obscuritas vt Penitos legi non Penitùs videretur, quod sanè fuit elegantius.

[c] *TEMPESTATE.* Id est Temperie odorata: alibi dixit Tempestatem oris pro vultu benè composito.

[d] *VIROS.* Eadem ratione Virgilius: arua inter opima virum, pro populis.

DE MAGNETE.

Qvisquis [A] sollicita mundum ratione secutus,
Semina rimatur rerum, quo Luna laborat
Defectu, quæ causa iubet pallescere solem;
Unde rubescentes ferali crine cometæ,
Vnde fluant venti, trepidæ quis viscera terræ
Concutiat motus, quæ fulgura ducat origo,
Vnde tonent nubes, quo lumine floreat arcus.
Hoc mihi quærenti, si quid deprandere verum
Mens valet, expediat. lapis est cognomine Magnes
Decolor, obscurus, vilis: non ille repexam
Cæsariem regum, non candida virginis ornat
Colla, nec insigni splendet per cingula morsu:
Sed noua si nigri videas miracula saxi:
Tunc superat pulchros cultus, & quicquid Eois
Indus littoribus rubra scrutatur in alga.
Ex ferro meruit vitam, ferríque rigore
Vescitur, has dulces epulas, hæc pabula nouit.
Hinc proprias renouat vires, hinc fusa per artus
Aspera secretum seruant alimenta vigorem:
Hoc absente perit; tristi morientia torpent
Membra fame, venasque sitis consumit apertas.
Mauors [B] sanguinea qui cuspide verberat vrbes,
Et Venus humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non vna deis: sed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem Magnetica gemma figurat.
Illic connubium celebrat de more sacerdos.

Ducit flamma choros; festa frondentia myrto
Limina cinguntur, roseísque cubilia surgunt
Floribus, & thalamos dotalis purpura velat.
Hinc mirum consurgit opus; Cytherea maritum
Sponte [c] *rapit, cœlique toros imitata priores*
Pectora lasciuo flatu Mauortia nectit:
Et tantum suspendit onus, galeaque lacertos
Implicat, & viuis totum complexibus ambit.
Ille lacessitus longo spiraminis actu
Arcanis trahitur gemma de coniuge nodis.
Pronuba fit natura deis: ferrumque maritat
Aura tenax, subitis sociantur numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera: qua duras iungit concordia mentes
Flagrat anhela silex, & amicam saucia sentit
Materiam, placidosque chalybs agnoscit amores.
Sic [a] *Venus horrificum belli compescere regem,*
Et vultum mollire solet, cùm sanguine præceps
Æstuat, & strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, mollitque tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes
Deserit, & rutilas declinat in oscula cristas.
Quæ tibi sæue puer non est permissa potestas?
Tu magnum superas fulmen, cœloque relicto
Fluctibus in medijs cogis mugire Tonantem.
Iam gelidas rupes, viuoque carentia sensu
Membra feris: iam saxa tuis obnoxia telis,
Et lapides suus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris: rigido regnant in marmore flammæ.

MAGNES.

ᵃ QVISQVIS. Hîc vero ſigna amœniſſimi ingenij oſtendit poëta. Primum de natura Magnetis agit: dein Statuam veneris magneticam & Martis ferream deſcribit. Cedrenus ait in templo Serapidis ſacellum fuiſſe vbi ſtatua ærea, cuius capiti ferrum infixum: eámque ſupra, μαγνῆτιν λίθον, ita vt videatur in aëre ſuſpenſa. Rufinus in Alexandria ſignum ſolis eadem arte ſuſtineri ait: ac neſcio quid ſimile de Topaſio lapide, vel ſtatua Ptolemæi & Arſinoes tradit Plin. & Auſon. ſed hæc non faciunt ad huius loci certam demonſtrationem.

ᵇ MAVORS. Quis vero nobis veniet ſubſidio? vir de quo minimè cogites ſi virum appellare licet. Ergo B. Auguſtinus li. 21. Μηχανήματα, inquit, humanis artibus fiunt, quæ qui neſciunt opinentur eſſe diuina: vnde in quodam templo, lapidibus magnetibus in ſolo & in camera poſitis, proportione magnitudinis ſimulachrum ferreum, aëris illius medio inter vtrûque lapidem, ignorantibus quid ſurſum eſſet ac deorſum, quaſi numinis poteſtate penderet, vide reliqua. vnde profectò colligas Claudianum à ſancto illo non ſemel inſpectum eſſe: nam quod ait: In quodam templo, poeta dixit: Aurati delubra tenet communia templi.

ᶜ SPONTE RAPIT. Hæc omnia quaſi digito monſtrat Lucretius l. de Marte ad venerem: Atque ita ſuſpirans, tereti ceruice repoſta, Paſcit amore auidos inhians in te, dea, viſus, E que tuo pendet reſupini ſpiritus ore.

ᵈ SIC VENVS. Ad hæc Epicureus poeta: Effice vt intereà fera mœnera militia; Per maria ac terras omnes ſopita quieſcant: Nam tu ſola potes tranquilla pace iuuare Mortalis.

DE APONI FONTE.

FOns Antenoreæ vitam qui porrigis vrbi,
Fatáque vicinis noxia pellis aquis,
Cùm tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cùm tibi plebeius carmina dictet honos,
Et sit [A] *nulla manus, cuius non pollice ducta*
Testentur memores prospera vota notæ:
Nonne reus Musis pariter, Nymphísque tenebor,
Si tacitus soli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas est, à vate relinqui,
Hunc qui tot populi [B] *prouocat ora locum*
Alto colle minor, paruis erectior aruis:
Conspicuo cliuus molliter orbe tumet,
Ardentis fœcundus aquæ; quacunque cauernas
Perforat, offenso truditur igne latex.
Spirat putre solum, conclusáque subter anhelo
Pumice rimosas perforat vnda vias.
Humida flammarum regio, Vulcania terræ
Vbera, sulfureæ feruida regna plagæ.
Quis sterilem non credat humum? fumantia vernant
Pascua, luxuriat gramine cocta silex,
Et cum sic rigido cautes feruore liquescant,
Contemptis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effossi marmore sulci,

Saucia longinquo limite ſaxa ſecant:
Herculei, ſic fama refert, monſtratur aratri
Semita, vel caſus [c] vomeris egit opus.
In medio pelagi latè flagrantis imago.
Cærulus immenſo panditur ore lacus,
Ingenti fuſus ſpatio: ſed maior in altum
Intrat, & arcanæ rupis inane ſubit,
Denſus nube ſua, tactuque immitis & hauſtu,
Sed vitreis idem lucidus vſque vadis.
Conſuluit natura ſibi, ne merſa lateret,
Admiſitque oculos quò vetat ire calor.
Turbidus impulſu venti cum ſpargitur aër,
Glaucaque fumiferæ terga ſerenat aquæ,
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres haſtæ regia [p] dona micant:
Quas inter nigræ tenebras obſcurus arenæ
Diſcolor abruptum flumen hiatus agit.
Apparent intra latebræ, quas gurges opacus
Implet, & abſtruſos ducit in antra ſinus.
Tunc montis ſecreta patent, qui flexus in arcum,
Æquora pendenti margine ſumma ligat.
Viua coronatos adſtringit ſcena vapores,
Et leuis exili cortice terra natat,
Calcaturque oneri nunquam ceſſura virorum
Suſtentat trepidum fida ruina pedem,
Facta manu credas: ſic leues circuit oras
Ambitus, & tenuis perpetuúſque riget.
Hærent ſtagna loco, plenas æquantia ripas,
Præſcriptumque timent exiluiſſe modum.

Quod superat fluuius deuexa rupe volutus
Egerit, & campi dorsa recurua petit.
Deuehit exceptum natiuo spuma meatu,
In patulas plumbi labitur inde vias;
Nullo cum strepitu madidis infecta fauillis
Despumat niueam fistula cana salem.
Multifidas dispergit opes artemque secutus
Qua iussere manus mobile torquet iter:
Et iunctos rapido pontes subtermeat æstu,
Afflatosque vago temperat igne tholos.
Acrius interea rauci cum murmure saxi
Spumeus eliso pellitur amne vapor,
Hinc pigras repetunt fessi sudore lacunas,
Frigora queis longæ damna dedere moræ.
Salue Pæoniæ largitor nobilis vndæ,
Dardanij salue gloria magna soli.
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præsens numen, inempta salus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et nostro Phlegethon deuius orbe calet.
Sulfuris in venas gelidus seu decidit amnis,
Accensusque fluit quod manifestat odor:
Siue pares flammas vndarum lance rependens,
Arbiter in fœdus mons elementa vocat:
Ne cedant superata sibi, sed legibus æquis
Alterius vires possit vtrunque pati.
Quicquid erit causæ, quocunque emitteris ortu,
Non sine consilio currere certa fides.
Quis casum meritis adscribere talibus audit?

Quis negat authores hæc statuisse deos?
Jlle pater rerum, qui secula diuidit astris,
Inter prima coli te quoque sacra dedit,
Et fragilem nostri miseratus corporis vsum,
Telluri medicas fundere iussit aquas:
Parcarumque colos exoratura seueras
Fulmina laxatis emicuere iugis.
Fœlices proprium qui te meruere coloni,
Fas [f] quibus est Aponum iuris habere sui.
Non illis terrena lues, corrupta nec Austri
Flamina, nec sæuo Sirius igne nocet:
Sed quamuis Lachesis læthali stamine damnet:
Inde sibi fatis prosperiora petunt.
Quod si forte malus membris exuberat humor;
Languida vel nimio viscera felle virent;
Non venas reserant, nec vulnere vulnera sanant,
Pocula nec tristi gramine mixta bibunt;
Amissum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

FINIS.

Aponus

APONVS.

In vet. codice: De Aponi fonte, in altero: Aponus, vel De Aquis. Hunc vero Fontem eximiè describit Cassiodorus vt erant illa tempora: verum hic poeta illimi vena & limpida excellit. Aponus vero dicitur quasi ἄπονος, id est sine tormento & cura Cass.

a ET SIT. Ita vet. liber. Excusi omnes habuere: Et si, quod non quadrat.

b TOT POPVLI ORA. Hæc antiqua lectio, aliàs, tot populis prouocat ora loqui, pro Locum, vt est in v. cod. Ouidius El. 3. Amorum I. Audierit nostras tot Cytherea preces. Cass. Talia posteris non tradere est grauiter peccare: vides quem imitetur. Cæterùm multa hîc ex vet. manuscr. emendauimus quæ singulatim referre non libet: aliorsum enim rapimur.

c CASVS vomeris. Statius, Casus egit virtutis opus.

d REGIA dona, vide plane Suetonium in Tiberio cap. 14. Plinius Sec. de Clitumno: Fons purus & vitreus vt numerare iactas stipes, & relucentes calculos possis.

e ARBITER, Cassiodorus: merito dicunt philosophi elementa sibi mutuis complexionibus illigari, & mirabili coniungi fœderatione.

f FAS quibus. Sic, Io. Pontano auctore, magnus & eruditissimus Rex Peligni tractus, riuulos & amœnitatem, solumque Ouidij natale demiratus in transitu exclamauit se istam regionē tanti poetæ parentem pluris facere quàm regnum opulentissimum.

DE NILO.

FOELIX qui Pharias proscindit vomere terras,
Nubila non sperat tenebris condentia cœlum,
Nec grauiter flantes pluuiali frigore Coros
Jnuocat, aut arcum variata luce rubentem.
Ægyptus sine nube ferax; imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti.
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat,
Qui rapido tractu mediis elapsus ab Austris,
Flammiferæ patiens zonæ, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet: nec contigit vlli
Hoc vidisse caput: fertur sine teste creatus,
Flumina profundens alieni conscia cœli.
Jnde vago lapsu, Libyam dispersus in omnem,
Æthiopum per mille ruit nigrantia regna,
Et loca continuo solis damnata vapore
Irrorat, populisque salus sitientibus errat,
Per Meroën, Blemyasque feros, atramque Syenem.
Hunc bibit effrenis Garamas, domitorque ferarum
Cyrrhæus qui vasta colit sub rupibus antra,
Qui ramos hebeni, qui dentes vellit eburnos,
Et gens compositis crinem velata sagittis.
Nec verò similes causas crescentibus vndis
Vt torrens meruit: glacie non ille soluta,
Nec circunfuso scopulis exuberat imbre.

Nam cùm tristis hyems alias produxerit vndas,
Tunc Nilum retinent ripæ: cùm languida cessant
Flumina, tunc Nilus mutato iure tumescit.
Quippe quod ex omni fluuio spoliauerit æstus,
Hoc Nilo natura refert, totumque per orbem
Collectæ partes vnum reuocantur in amnem.
Quoque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venasque calore
Compescit, radijsque potentibus æstuat axis,
Nilo bruma venit; contraria tempora mundo.
Defectus solitum referens cultoribus æquor,
Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto
Ionio, seseque patentibus explicat aruis.
Fluctua omnis ager, remis sonuere nouales.
Sæpius æstiuo iaceat cum fortè sopore,
Cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

NILVS.

De huius fontis origine multæ sunt coniecturæ, sed nihil adhuc certi. Mela è desertis Africæ mitti. Iuba rex oriri Nilum ad montem interioris Mauritaniæ: Plinius Apud Æthiopas fons est Nigris, Nili caput, vt plerique existimare. At Claud. Non contigit vlli hoc vidisse caput. Iuba vocat Nilin. Nigir dicitur à Vitruuio. Sirin à Sirio sidere Steph. & Eust. dictum putant. Dyrin etiam appellatum reperio, vide Lucanum.

TYRRHÆVS. Vix alibi reperias gentis illius nomen. In vet. libro erat Carræus: vide Plin. lib. VI. cap. 28. de Carris vrbe Arabiæ, nam & Lucanus de Nilo: Nunc Arabum populis, libycis nunc æquus arenis.

IN ALETHIVM QVÆST.

SIC non Æthiopum campos æstate pererrem
Nec brumam Scythico sub Ioue nudus agã.
Sic non imbriferam noctem ducentibus Hædis,
Jonio credam turgida vela mari.
Sic non tartareo furiarum verbere pulsus,
Irati relegam carmina Grammatici.
Nulla meos traxit petulans audacia sensus
Liberior iusto nec mihi lingua fuit.
Versiculos fateor non cauta voce notaui,
Heu miser ignorans quàm graue crimen erat.
Orpheos alij libros impune lacessunt,
Nec tua securum te Maro fama vehit.
Jpse parens vatum princeps heliconis Homerus,
Judicis excepit tela seuera notæ.
Sed non Virgilius, sed non accusat Homerus,
Neuter enim quæstor, pauper vterque fuit.
En moueo plausus, & pallidus omnia laudo,
Et clarum repeto terque quaterque sophos.
Ignoscat placidus tandem, flatusque remittat,
Et tuto * recitet quodlibet ore; placet.

IN ALETHIVM.

Eiuſdem nominis fuit Rhetor Burdig. apud Auſonium: hunc Claudianus offenderat, dum verſiculos ipſius arguit: nihil enim adeo nos mouet vt ingenii gloriola. Martialis: Aurum & opes & rura frequens donabit amicus, Qui velit ingenio cedere rarus erit. Scitum eſt verò locupletes homines, & bene nummatos aut auaros non ſæpè excellere in arte poëtica: vnde illud: ſi qua elegidia crudi dictarunt proceres. At Plinius S. Amat ſtudia, inquit, vt pauperes ſolent. Petronius: Cultu non perinde ſpecioſus, vt facilè appareret eum hac nota literatum eſſe. Lucillius: Scit poëticon eſſe, videt tunica & toga quid ſit, quæ tibi hoc epigramma ſatis illuſtrant.

^ ET tuto. Hic verſus modo diſtinctus ſit, planus videtur. In vet cod. legebatur: Quidquid ab ore pluet, aut fluet.

CL. GIGANTOMACHIA.

TErra parens quondam cœleſtibus inuida regnis,
Titanumq; ſimul crebros miſerata dolores
Omnia monſtrifero complebat tartara cœtu,
Inuiſum genitura nefas, Phlegramque retexit
Tanta prole tumens, & in æthera protulit hoſtes.
Fit ſonus, erumpunt crebri, nondumque creati
Iam dextras in bella parant, ſuperoſque laceſſunt,
Stridula voluentes gemino veſtigia lapſu.

Pallescunt subitò stellæ, flectitque rubentes
Phœbus equos, docuitque timor reuocare meatus.
Oceanum petit Arctos, inocciduique Triones
Occasum voluere pati. tum feruida natos
Talibus hortatur genitrix in prælia dictis.

O pubes domitura Deos, quodcunque videtis
Pugnando dabitur: præstat victoria mundum.
Sentiat ille meas tandem Saturnius iras:
Agnoscat quid Terra potest: si viribus vllis
Vincor, cur Cybele nobis meliora creauit?
Cur nullus Telluris honos? qui semper acerbis
Me damnis vrgere solet, quæ forma nocendi
Defuit? hinc volucrem viuo sub pectore pascit
Infœlix scythica fixus conualle Prometheus:
Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Et per caniciem glacies asperrima durat.
Quid dicam Tityon? cuius sub vulture sæuo
Viscera nascuntur, grauibus certatiau pœnis.
Sed vos ô tandem veniens exercitus vltor
Soluite Titanas vinclis defendite matrem
Sunt freta, sunt montes nostris nec parcite membris,
In Iouis exitium telum non esse recuso.

Ite precor, miscete polum, rescindite turres
Sidereas, rapiat fulmen, sceptrumque Typhoëus.
Enceladi iussis mare seruiat: alter habenas
Auroræ pro sole regat, te delphica laurus
Stringet Porphyrion, Cyrrhæaque templa tenebis.

His vbi consilijs animos elusit inanes,
Iam credunt vicisse Deos, medijsque reuinctum
Neptunum traxisse fretis: hic sternere Martem

Cogitat, hic Phœbi laceros diuellere crines:
Hic sibi promittit Venerem, speratque Dianæ
Coniugium, castamque cupit violare Mineruam.
Interea superos prænuntia conuocat Iris,
Qui fluuios, qui stagna colunt, cinguntur & ipsi
Auxilio Manes, nec te Proserpina longè
Vmbrosæ tenuere fores. Rex ipse silentum
Letheo vehitur curru, lucemque timentes
Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu
Spissas cæruleis tenebras è naribus efflant.
Ac velut hostilis cum machina terruit vrbem,
Vndique concurrunt arcem defendere ciues:
Haud secus omnigenis coëuntia numina turmis
Ad patrias venere domos, tum Iuppiter infit.
O nunquam peritura cohors, ô debita semper
Cælo progenies, nullisque obnoxia fatis;
Cernitis vt Tellus nostrum coniuret in orbem
Prole noua, dederitque alios interrita partus?
Ergo quot dederit natos, tot funera matri
Reddamus, longo maneat per sæcula luctu,
Tanto pro numero paribus damnata sepulcris.
Iam tuba nimborum sonuit, iam signa ruendi
Bis æther, bis terra dedit, confusaque rursus
Pro domino natura timet; discrimina rerum
Miscet turba potens: nunc insula deserit æquor,
Nunc scopuli latuere mari: quot littora restant
Nuda? quot antiquas mutarunt flumina ripas?
Hic rotat Æmonium præduris viribus Oeten,
Hic iuga connixis manibus Pangæa coruscat,
Hunc armat glacialis Athos, hoc Ossa mouente

Tollitur, hic Rhodopen Hebri cum ponte reuellit,
Et socias truncauit aquas, summaque leuatus
Rupe, giganteos humeros irrorat Enipeus.
Subsedit patulis tellus sine culmine campis,
In natos diuisa suos; horrendus vbique
It fragor, & pugnæ spatium discriminat aër.
Primus terrificum Mauors non segnis in agmen
Othrysios impellit equos, quibus ille Gelonos
Siue Getas turbare solet: splendentior igni
Aureus ardescit clypeus, galeamque nitentes
Arrexere iubæ: tunc concitus ense Pelorum
Transigit aduerso, femorum qua parte volutus
Duplex semiferis connectitur ilibus anguis,
Atque vno ternas animas interficit ictu.
Tunc super insultans auidus languentia curru
Membra terit, multumque rotæ sparsere cruoris.
Occurrit pro fratre Mimas, Lemniumque calentem
Cum lare Vulcani spumantibus eruit vndis:
Et propè torsisset, si non Mauortia cuspis
Ante reuelato cerebrum fudisset ab ore.
Ille viro toto moriens, serpentibus imis
Viuit adhuc stridore ferox, & parte rebelli
Victorem post fata petit. Tritonia virgo
Prosilit, ostendens rutila cum Gorgone pectus,
Aspectu contenta suo, non vtitur hasta;
Nam satis est vidisse semel; primumque furentem
Longius in faciem saxi Pallanta reformat.
Ille procul subitis fixus sine vulnere nodis,
Vt se lethifero sensit durescere visu,
Et steterat iam pene lapis. Quo vertimur, inquit?

Qui serpit per membra silex? qui torpor inertem
Marmorea me peste ligat? vix pauca locutus,
Quod timuit iam totus erat saeuusque Damastor
Ad depellendos iaculum dum quaereret hostes,
Germani rigidum misit pro rupe cadauer.
Hic vero interitum fratris miratur Echion.
Inscius authorem dum vult tentare nocendo,
Te Dea respexit, solam quam cernere nulli
Bis licuit: meruit sublata audacia poenas,
Et didicit cum morte Deam. Sed turbidus Idam
Pallaeneus oculis aduersa tuentibus atrox
Aggreditur, caecasque manus in Pallada tendit.
Hunc mucrone ferit Dea comminus, ac simul angues
Gorgoneo riguere gelu, corpusque per vnum
Pars moritur ferro, partes periere videndo.
Ecce autem medium spiris delapsus in aequor
Porphyrion, trepidam conatur vellere Delon.
Scilicet ad superos vt torqueat improbus axes.
Horruit Aegaeus, stagnantibus exilit antris
Longaeuo cum patre Tethys, desertaque mansit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placido cunctae de vertice Nymphae,
Nymphae quae rudibus Phoebum docuere sagittis
Errantes agitare feras, primumque gementi
Latonae struxere torum, cum lumina coeli
Parturiens geminis ornaret foetibus orbem.
Implorat Paeana suum conterrita Delos.
Auxiliumque rogat: Si te gratissima fudit
In nostros Latona sinus succurre precanti,
En iterum conuulsa feror succurre ruenti

GIGANTOMACHIA.

D. Ambrosius ad Gratianū Imp. de Fide: Versiculi poeetarum diuinis etiā scripturis inserti sunt, vt Actis Apostolorum: Gigantes & vallem Titanum prophetici sermonis series non refugit. Nec tamen miror quod Paulinus ad hunc nostrum siue mauis ad Iouium (non enim Claudianum Mamertum puto) ita scribat: Ne bella Gigantum Falsa canas, fuerat puerili lusus in æuo.

^ *PALLENEVS.* Ita scribendum non Pallaneus. Lucanus: Pallenæa Ioui mutauit fulmina Cyclops. Græcis Παλλήνη, & Παλληναῖος. Est verò Pallaneus gigas.

DE CHRISTO SERVATORE.

CHRISTE potens rerum, redeuntis conditor æui,
Vox summi, sensusque Dei, quem fudit ab alta
Mente pater, tantique dedit consortia regni.
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundum vestire figura,
Affarique palàm populos, hominemque fateri:
Quémque vtero inclusum Mariæ, mox numine viso
Virginei timuere sinus; innuptaque mater

Arcano stupuit compleri viscera partu,
Autorem paritura suum: mortalia corda
Artificem texere poli, mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque sub imo
Pectore, qui totum latè complectitur orbem.
Et qui non spatijs terræ, non æquoris vnda,
Non capitur cœlo, paruos confluxit in artus,
Quin & mancipij [b] *nomen nexusque subisti,*
Vt nos subriperes letho, mortemque fugares
Morte tua: mox æthereas euectus in auras,
Purgata repetis lætum tellure [c] *parentem.*
Augustum foueas, festis vt sæpe diebus
Annua synceri celebret ieiunia sacri.

DE CHRISTO.

Elegans oratio ad Christum, & quæ sit uena Claudiani dignissima: vnde miror G. Fabricium lumen Germaniæ, in libro Poëtarum Christianorum hoc carmen Damaso Papæ tribuere; cuius sanè si legisset carmina id non fuit pronuntiaturus. est verò poëtarum munus Proces contexere, inque Dei laudibus sui periculum facere, Dauidis exemplo: inde hymni Orphei & aliorum, inde Horatius: Disceret vnde preces vatem nisi musa dedisset? At Ausonius hac in re excelluit, & secundùm ipsum Claudianus.

[a] AVGVSTVM. Hi duo versus satis indicant Claudianum orare pro Imperatore: atque ita omninò vsus est Aus. Rectores terræ placidos: vide reliqua.

Sed ecce tibi exhibemus Damasi versiculos, vt cum nostro poeta conferas: hi Romæ visuntur insculpti:

> Quid loquar, aut sileam? prohibet dolor ipse fateri,
> Hic tumulus lacrymas retinet, cognosce, parentum
> Proiectæ, fuerat primo quæ iuncta marito.
> Pulcra decore suo, solo contenta pudore:
> Heu dilecta satis miseræ genitricis amore.
> Accipe, quid multis? thalami post fœdera prima
> Erepta ex oculis Flori genitoris abiuit,
> Æthercam cupiens cæli conscendere lucem.
> Hæc Damasus præstat cunctis solatia fletus.

Fl. Merobaude & Fl. Saturnino conss. Possem & alia subiungere, sed minus concinna iudicaui: nam in his Sedulium aut Iuuencum potius quàm Claudianum refert.

[a] *MANCIPII.* Ita v. cod. idque auidè, vt ita dicam, arripuit Cuiacius, in alijs Supplicii. notum est vero illud: Mancipio & nexu: venditus enim fuit quasi per æs & libram. Paulus Μορφὴν δούλου λαβών.

[c] *TELLVRE.* Ita antiquus liber, & verè, cum habeant reliqui: Te luce, vt enim hîc: purgata tellure, sic infra dicet: Purgatis adimis contagia terris.

LAVS CHRISTI.

PROLES vera Dei, cunctisque antiquior annis,
Nunc genitus qui semper eras; lucisque repertor
Ante tuæ, matrisque parens; quem misit ab astris
Æquæuus genitor, verbique in semina fusum
Virgineos habitare sinus, & corporis arcti
Iussit inire vias, paruaque in sede morari:

Quem ſedes non vlla capit, qui lumine primo
Vidiſti quicquid mundo naſcente crearas.
Ipſe opifex, opus ipſe tui; dignatus iniquas
Ætatis ſentire vices, & corporis huius
Diſſimiles perferre modos, hominemque ſubire,
Vt poſſes monſtrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varij ſolertia mundi,
Pectora tam multis ſineret mortalia ſęclis
Authorem neſcire ſuum: te conſcia partus
Mater, & attoniti pecudum ſenſere timores.
Te noua ſollicito luſtrantes ſidera viſu,
In cœlo videre prius: lumenque ſecuti,
Inuenere Magi, tu noxia pectora ſoluis,
Elapſaſque animas in corpora functa reducis,
Et vitam remeare iubes, tu lege recepti
Muneris, ad manes penetras, mortiſque latebras
Immortalis adis. Naſci tibi nam fuit vni
Principium, finiſque mori: ſed nocte refuſa,
In cœlum partemque redis ruſuſque perenni
Ordine, purgatis adimis contagia terris.
Tu ſolus patriſque comes, tu ſpiritus inſons,
Et toties vnus, triplicique in nomine ſimplex.
Quid ^ niſi pro cunctis aliud (quis credere poſſit)
Te potuiſſe mori, poteras qui reddere vitam?

LAVS CHRISTI.

Claudianus profectò in mente habuit illud Arist. Pol. 7. πρῶτον ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια. Sciuitque ex eodem, τοὺς θεοὺς εὐνουστέρους εἶναι τοῖς μᾶλλον αὐτοὺς τιμῶσι. Nec puto quidquam subtiliùs his versibus, aut magis pium enuntiari posse.

QVID NISI. Hæc est antiqua lectio. Excusi omnes eam secuti aliter habent, nempe: Qui nisi præstares, quod videtur aptius: sed enim hic auctor, vt alij poetæ, verba sua intricauit. In Eutropium; Nihil est quod non in pectore magnũ concipit.

MIRACVLA CHRISTI.

ANGELVS alloquitur Mariam, quo præscia verbo
Concipiat, salua virginitate, Deum.
Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Christus,
Quo primum facto se probat esse Deum.
Quinque explent panes, pisces duo, millia quinque
Et Deus ex paruo plus superesse iubet.
Editus ex vtero cæcus noua lumina sensit,
Et stupet ignotum se meruisse diem.
Lazarus è tumulo, Christo inclamante resurgit,
Et duræ mortis lex resoluta perit.

Nutantem quatit vnda Petrum, cui Christus in alto
Et dextra gressus firmat, & ore fidem.
Exanguis Christi contingit fœmina vestem:
Stat cruor in venis, fit medicina fides.
Iussus post multos graditur paralyticus annos,
Mirandum lecti portitor ipse sui.

MIRACVLA CHRISTI.

Non dubito quin hæc in totidem disticha separanda sint, mihique persuaserim libens ea singulis miraculis, à pictore expressis, subiecta fuisse, aut subiicienda, sunt verò facilia & pulchra.

MYRRHAM. Iuuencus; Aurum thus myrrham regique hominique deóque.

DE MVLABVS GALLICIS.

ASPICE morigeras ^ Rhodani torrentis alumnas,
Imperio nexas, imperioque vagas,
Dissona quàm varios flectant ad murmura cursus,
Et certas adeant voce regente vias.
Quamuis quæque sibi nullis discurrat habenis,
Et pateant duro libera colla iugo;
Ceu constricta tamen seruit, patiensque laborum,

ſi obliterata ita vt menti ſonora potius legiſſes, vnde conieci: eſſed a concordi mente ſonora trahunt: nám apud Horatium dicitur: iniquæ mentis aſellus: Sed nihil ſtatuo. Quibuſdam ſanè, multi ſonora, diſplicuit: at Seruius in Centim, citat hunc Rhopalicum: Rem tibi conceſſi doctiſſime dulciſonotam. Catullus dixit: Fluentiſonum littus, varro Multicauatum: Plinius multi partitum totidem, nec leuioribus ſyllabis.

IN CVRETIVM.

FALLACES vitreo ſtellas componere mundo,
Et vaga Saturni ſidera ſæpe queri:
Venturumq; Iouem paucis promittere nũmis,
Cureti genitor nouerat Vranius.
In prolem dilata ruunt periuria patris,
Et pœnam meritò filius ore luit.
Nam ſpurcos auidè lambit meretricis hiatus,
Conſumens luxu flagitijſque domum.
Et [A] quas fallacis collegit lingua parentis,
Has [B] eadem nati lingua refudit opes.

IN EVNDEM.

SI tua Cureti penitus cognoſcere quæris
Sidera, patre tuo certius ipſe loquar.
Quòd furis, aduerſi dedit inclementia Martis.
Quòd procul à Muſis, debilis Arcas erat.
Quòd turpem pateris iam cano podice morbum,
Fœmineis ſignis Luna Venuſque fuit.
Attriuit Saturnus opes. hoc prorſus in vno
Hæreo, quæ cunnum lambere cauſa facit?

IN EVNDEM.

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Exercentur equis, & colla comantia pectunt.

IN CVRETIVM.

Vellem nunquam Claudiano hi versus excidissent, neque puto ipsi in animo fuisse vt lucem viderent: hactenus enim castis auribus consuluit. sed enim Ausonius eò delapsus est; cui vita proba & pagina lasciua. quinetiam præsul florentinus quem diui nomine indigetāt in sua historia hos Claud. versus citare non dubitauit, Et quas fallacis collegit lingua parentis Has eadem nati lingua refudit opes.

[A] *VT QVAS.* Sic habet v. liber: alij & quas non adeo verè.

[B] *HAS ETIAM.* Alij has eadem, ineptè.

[C] *ARCAS.* Id est Stella Mercurii.

IN IACOBVM MAGISTRVM EQVITVM.

PER [A] cineres Pauli, per cani limina Petri,
Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.
Sic tuą pro clypeo defendat pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholemæus eat.

Sic [b] *ope sanctorum non barbarus irruat Alpes,*
Sic tibi det vires sancta Susanna suas.
Sic quicunque ferox gelidum tranauerit Istrum,
Mergatur volucres ceu [D] *Pharaonis equi.*
Sic [c] *Geticas vltrix feriat romphaea cateruas,*
Romanasque [E] *regant prospera tela manus.*
Sic tibi det moriens magnos conuiua triumphos,
Atque tuam vincant dolia fusa sitim.
Sic nunquam hostili maculetur sanguine dextra,
Ne laceres versus dux Iacobe meos.

IN IACOBVM.

[A] *PER* cineres. Hinc etiam colligas D. Paulum sepultum Romæ, ac D. Petri imaginem senio fuisse notabilem, & in Basilica repositam.

[B] *SIC* ope. Hoc distichon ignorat vet. exemplar, idque notauit etiam in libro suo Cuiacius, sed alii omnes referunt.

[C] *SIC* Geticas. Hæc etiam aberant: sed malè opinor, nam alter cod. optimus habuit.

[D] *ROMPHÆA.* Hæc dicitur ξιφομάχαιρα cuidam erudito. Ρομφαῖα. Hac vero dictione vsus est alicubi Liuius, estque iaculum oblongum seu framea quam Satyricus tribuit Marti.

[E] *ROMANAS.* Vulgati codices Romanásque regant. Sed vetus lectio Romanęque gerant; quod non placet, nam ludit hic poeta.

[F] *ATQVE* tuam. veteris cod. lectio: & tua perpetuo dolia vina fluant: quæ quidem suspecta mihi neque adeo elegans.

CLAVDIANI EPIGRAM.

DE APRO ET LEONE.

TORVVS *aper, fuluusque leo coiere superbis*
Viribus; hic setis, sæuior ille iuba.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat: dominatur vterque
Montibus: Herculeus [A] *sudor vtrique* [B] *fuit.*

APER ET LEO.

HERCVLEVS. Catullus Herculis labos est, & ille: quos dicit fama labores Herculis

VTRIQVE. Ita vet. liber, alij vterque, quod non plane reiicio.

DE LOCVSTIS

H*Orret apex capitis, medio fera lumina surgunt*
Vertice, cognatus dorso durescit amictus.
Armauit natura cutem, dumique rubentes
Cuspidibus pariunt multos ac vere colores

DE LOCVSTIS.

ALij codices: De Locusta, sed veterem scripturam agnonimus, vnde & duos versus exhibui longè diuersos Armauit natura cutem. vide textum & confer cum excusis.

DE TORPEDINE.

QVIS non indomitam diræ torpedinis artem
Audijt, & merito signatas nomine vires?
Illa quidem mollis, segnique obnixa notatu
Reptat, & attritis vix languida serpit arenis:
Sed latus armauit gelido natura veneno,
Et frigus quo cuncta rigent armenta medullis
Miscuit, & proprias hyemes per viscera duxit,
Naturam iuuat ipsa dolis, & conscia fortis
Vtitur ingenio, longeque extenta per algas
Hoc confisa iacet: successu læta resurgit,
Et viuos impune ferox depascitur artus.
Si quando vestita cibis incautior æra
Hauserit, & curuis frænari senserit hamis,
Non fugit, aut vano conatur vellere morsu,
Sed propius nigræ iungit se callida setę,
Et meminit captiua sui, longeque per vndas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per setam vis alta meat fluctusque relinquit
Absentem vinctura virum; metuendus ab imis

Emicat horror aquis, & pendula fila secutus
Transit arundineos arcano frigore nodos.
Victricemque ligat concreto sanguine dextram.
Damnosum piscator onus, prædamque rebellem
Iactat; & amissa redit exarmatus habena.

DE TORPEDINE.

Legerat Oppianum hic poeta, si Scaligero sen. creditur, sine quo non videtur hoc poematium facturus fuisse.

[a] HAC confisa iacet. aliter vet. cod. nec tamen video caussam: sanè Cuiacius in ora libri sui quædam habet superflua, vnde si quid possis elicere en tibi: Attactu confisa suo, deinde. Quæ tetigere iacent, successu læta resurgit. reliqua belle se habebant in manuscr. quem secuti sumus.

EPISTOLA AD SERENAM.

ORphea cùm [a] primæ sociarent lumina tædæ,
Ruráque compleret Thracia festus Hymen:
Certauere feræ, picturatæque volucres,
Dona suo vati quæ potiora darent.
Quippe antri memores, cantus vbi sæpe [B] sonore
Præbuerat dulcis mira theatra lyræ.
Caucaseo crystalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondera fulua soli.
Furatæ Veneris prato per inane columbæ,
Florea connexis serta tulere rosis.

Fractaque nobilium ramis electra sororum,
Cygnus oloriferi vexit ab amne Padi.
Et Nilo Pygmæa grues post bella remenso,
Ore legunt rubri germina cara maris.
Venit & extremo Phœnix longæuus ab Euro,
Apportans vnco cinnama rara pede.
Nulla auium pecudumque fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale lyræ.
Tunc opibus, totoque Heliconis sedula regno,
Ornabat propriam Calliopea nurum.
Ipsam præterea dominam stellantis olympi
Ad nati thalamos ausa rogare parens:
Nec spreuit regina deûm, vel matris honore,
Vel iusto vatis ducta fauore pij.
Qui sibi carminibus toties lustrauerat aras,
Iunonis blando numina voce canens:
Præliaque altisoni referens Phlegræa mariti,
Titanum fractas, Enceladique minas:
Ilicet aduentu noctem dignata iugalem
Addidit augendis munera sacra toris:
Munera mortales non admittentia cultus,
Munera quæ solos fas habuisse deos.
Sed quod Threicio Iuno placabilis Orpheo,
Hoc poteris votis esse Serena meis.
Illius expectant famulantia sidera nutum,
Sub pedibus tegitur terra fretumque tuis.
Non ego cum [c] *peterem solenni more procorum,*
Promisi gregibus pascua plena meis:
Nec quod mille mihi lateant sub palmite colles,

Fluctuet & glauca pinguis oliua coma:
Non quod, nostra Ceres numerosa falce laboret,
Aurataque ferant culmina celsa trabes:
Suffecit mandasse deam; tua littera nobis,
Et pecus, & segetes, & domus ampla fuit:
Inflexit soceros, & maiestate petendi,
Texit pauperiem nominis vmbra tui.
Quid non perficeret scribentis voce Serenæ,
Vel genius regni, vel pietatis amor?
Atque vtinam sub luce tui contingeret oris,
Coniugis in castris, & senio generi,
Optatum celebrare diem; me iungeret auspex,
Purpura, me sancto cingeret aula choro:
Et mihi quam scriptis desponderat ante puellam,
Coniugis eiusdem pronuba dextra daret.
Nunc medium quonian votis maioribus æquor
Inuidet, & Libycæ dissidet ora plagæ,
Saltem absens regina faue, reditusque secundos
Annue sidereo læta supercilio.
Terrarum tu pande vias, tu mitibus Euris,
Æquora placari prosperiora iube:
Vt tibi Pierides, doctumque fluens Aganippe,
Debita seruato vota cliente canant.

Epistola

EPISTOLA AD SERENAM.

[a] PRIMÆ tedæ, poëtice dixit, primæ tedæ lumina, pro auſpicio nuptiarum, non quod primas & ſecundas innuere velit, éſtque hæc vetus lectio. alii: Primùm ſociarent numina tedæ. Virgilius ſanè dixit: Fumea tedis lumina, & alibi ſæpiùs lumina tedarum. ſed prima teda nuptialis eſt: poſterior funebris ex Propertio: Viximus inſignes inter vtramque facem: & hoc caſu τὸ numina poterit admitti, vt eſt in excuſis.

[b] *SONORE.* Cantus aut cantilenæ, alias, Sonoræ, ſed veterem ſcript. vbique amplectimur.

[c] *PETEREM.* Eleganter, quaſi procus ſit Amoris candidatus, & petitor. Cæterum quandiu quis amabit muſas eum pauperies ſequetur, aut ſanè ad rem attentus non erit: expertus loquor: potui enim ſex millibus aureorum aut dignitate, quæ pluris mihi fortè iam ſtetiſſet, augeri abſque hoc illicio, ſed in poſterum ſcilicet, cauebimus.

[d] *LITTERA.* Allàs littora ineptè. Littera verò hîc eſt quaſi reſcriptum. At lib. v. Cod. tit, 8. nuptiæ vetantur quæ ex Reſcripto principis peti ſolebant, aut precum obreprione, captari: ſed Claudianus forte amabatur à domina, neque puellæ cõſenſum ſe habere confinxit. verum dicet aliquis Serenam non fuiſſe Principem. Imo plus quam Princeps & Auguſta fuit: nam illa generum ſuum rexit, & eius Reſcriptum facile obtinere potuit. vnde illud: ſub pedibus tegitur terra fretumque tuis.

DE ZONA EQVI ARCHADII.

ACcipe parua tua, Princeps venerande ſororis
Munera, quæ manibus texuit ipſa ſuis.
Dumque auro phaleræ, gemmis dũ fræna renidẽt,

Hac ✓terum zona cinge frementis equi.
Siue illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argæa seu niue lauit Halys:
Sanguineo virides morsu versare Smaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere croco.
O quantum formæ sibi conscius erigit armos,
Spargit & excussis colla superba iubis.
Augescit breuitas doni pietate Serenæ,
Quæ volucres etiam fratribus ornat equos.
Stamine resplendens, & mira textilis arte
Baltheus, alipedis regia terga ligat;
Quem decus Eoo fratri, pignusque propinqui
Sangninis, Hesperio misit ab orbe soror:
Hoc latus astringit velox optaret Arion,
Hoc proprium vellet cingere Castor equum.

DE ZONA EQVI.

ACCIPE. Serena soror adoptiua Arcadii Imp. Orientis: ei mittit Zonam equo aptandam, quod pauci aduerterãt: nam in Indice operum Cl. ita scriptum erat De phaleris equi Honorij: neque vero misit phaleras.

DE CONCHA.

TRansferat huc liquidos fontes Heliconia Naïs,
Et patulo ᵃ conchę diuitis orbe fluat:
Namque latex doctæ qui lauerit ora Serenæ,
Vltra Pegaseas numen habebit aquas.

DE CONCHA.

CONCHAM. Aliter accipit Cuiacius quàm quis existimet, vt notauit in ora sui cod. nempe pro Cratere fontis: quod hîc verum est, apud Hor. est Concha salis puri, apud Iuuen. bibitur concha.

DE MVNERIBVS HONORIO IMP. MISSIS.

Non semper clypei metuendum gentibus orbem,
Dilecto studiosa parens fabricarat Achilli:
Lemnia nec semper supplex ardentis adibat
Antra dei, nato galeam factura comantem:
Sed placidos etiam cinctus, & mitia pacis
Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto,
Conspicuus reges interfulgeret Achiuos:
Ipsa manu chlamydes ostro texebat & auro
Frænaque quæ volucrem Xanthum Baliumque decerent;
Æquore quæsitis onerabat sedula gemmis.
At tibi diuersis princeps altissime certant
Obsequijs: socer en Stilicho Mouortia confert
Munera, barbaricas strages, Rhenique triumphos:
Reginæ contenta modum seruare Serena,
In tua sollicitas vrget velamina telas.

DE MVNERIBVS HONORIO IMP. MISSIS.

Hæc inſcriptio variat in ant. codicibus, nam alter habuit De Chlamyde, ^ quod eſt veriſſimum: nam ſupra de Impp. adhuc paruulis: ſimili Chlamys effluit auro.

VRGET. In omnibus cod. præter vnum, ſcriptum reperi: Vrgens: quod non potui retinere.

DE EQVO HONORII.

Fœlix ſonipes, tanti cui fræna mereri
Numinis, & ſacris licuit ſeruire lupatis.
Seu tua per campos vento iuba luſit Iberos,
Seu te Cappadocum gelida ſub valle natantem
Argææ lauere niues; ſeu læta ſolebas
Theſſaliæ rapido perſtringere paſcua ſaltu:
Accipe regales cultus, & crine ſuperbus
Erecto virides ſpumis perfunde Smaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo,
Nobilis auratos iam purpura veſtiat armos,
Et medium te Zona liget, variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ
Perſarum gentile decus. ſic quippe laborat
Maternis ſtudijs, nec dedignatur equeſtres
Moliri phaleras, genero latura decorum.

DE EQVO HONORII.

[A] VARIATA colorum. Hæc vltima dictio neſcio quo facto deſcenderat in locum Serenæ ſequenti verſu: quod erat valdè abſonum. itáque reſtituimus vtramque, ex vet. libro, quod etiam firmauit Colinæus.

DE CRYSTALLO.

POſſedit glacies naturæ ſigna prioris,
Quæ fit parte lapis, frigora parte negat.
Solers luſit hyems, imperfectóque rigore
1. *Nobilior,* [A] *mitis gemma tumeſcit aquis.*

DE EODEM.

2. *NYmphæ* [B] *quæ tegitis cognato carcere nymphas,*
Et quæ nunc eſtis, quæque fuiſtis aquæ,
Quod vos ingenium iunxit? qua frigoris arte
Torpuit, & maduit prodigioſa ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras vendicat vndas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus clauſtris arcano nobilis æſtu,
Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?
3. *Solibus* [C] *indomitum glacies alpina rigorem*
Sumebat, nimio iam precioſa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam,
Sed medio manſit proditor orbe latex.

Auctus [D] *honor; liquidi crescunt miracula saxi,*
Et conseruatæ plus meruistis aquæ.

4. *Aspice* [E] *correptam splendenti fragmine venam,*
Qua trahitur limes lucidiore gelu.
Hic nullum Boream, nec brumam sentit opacus
Humor, sed varias itque reditque vias.
Non illum [F] *constrinxit hyems, non Sirius axis,*
Ætatis spatium non tenuauit edax.
Clauditur immunis conuexo tegmine riuus,
Duratisque vagus fons operitur aquis.

5. *Nonne* [G] *vides proprijs vt spumet gemma lacunis,*
Et refluos ducant pocula bina sinus?
Vdaque pingatur radijs obstantibus Iris,
Secretas hyemes sollicitante die?
Mira silex, mirusque latex, qui flumina vincit,
Et lapis [H] *est merito, quod fluit estque latex*

6. Dum [I] *crystalla puer contingere lubrica gaudet,*
Et gelidum tenero pollice versat onus,
Vidit perspicuo deprensas marmore nymphas,
Dura quibus solis parcere nouit hyems:
Et siccum relegens labris sitientibus orbem,
Irrita quæsitis oscula figit aquis.

7. *Marmoreum* [K] *ne sperne globum, spectacula transit*
Regia, nec rubro vilior iste mari.
Informis glacies, saxum rude, nulla figuræ
Gratia; sed raras inter habetur opes.

DE CRYSTALLO.

Polita sanè sunt, & lucida hæc de Crystallo Epigrammata, in quibus seipsum imitatur poeta, cuius primitiæ musis atticis dicatæ sunt, vt ipse infra declarabit. Extant verò in Anthologia græca Epig. Claudiani, vnde hoc distichon, attulimus, à nobis conuersum; quod videtur voluisse exprimere: Κλαυδιανοῦ εἰς Κρύσταλλον ἐντὸς ὕδωρ ἔχουσαν, In Chrystallum aquosam, vt Prop. loquitur:

> Εἰπὲ ἄγε μοι, Κρύσταλλε, λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ
> Τίς πῆξεν; Βορέης. ἢ τίς ἔλυσε; Νότος.
>
> *Quis lapidi cognate latex te stringere quiuit*
> *Parte tui? Boreas. quis soluisse? Notus.*

Scías verò in vet. & optimo Claudiani codice septem esse de Crystallo Epigr. hactenus indiuisa, vt apud Ausonium de Syluio.

IN I. EPIG. DE CRYSTALLO.

a *MISTIS.* Ita vet. liber, cum alii imperitè. Nobilior, mistis gemma tumescit aquis.

IN II.

b *NYMPHÆ.* Ita vet. liber, mihíque videtur satis venustum, quia sequens versus non repugnat: aliàs Lymphæ, atque hoc Epigrammate quantùm potest exprimit sua græca.

IN III.

c *SOLIBVS.* Ergo in Alpibus Crystallum reperitur.

d *AVCTVS* honor. nescio quid simile est apud Martialem, de formica electro inclusa: Sic modo quæ fuerat vita contemta relicta Funeribus facta est iam preciosa suis.

IN IIII.

a *ADSPICE.* Sic incipit 4. Epigr. At in altero codice, quod

& notauit Cuiacius ante hoc fuit ſequens epigr. cuius initium eſt : Marmoreum ne ſperne globum.

[t] *CONSTRINXIT* hyemis. Κρύςαλλος dici videtur ἀπὸ τοῦ ςέλλεσθαι ὑπὸ κρύους. Inde Plinius : Cryſtallum ait fieri vehementiore gelu concreto, nec alibi reperiri quàm vbi maximè hybernæ niues rigent.

IN V.

[u] *NONNE* vides. Quinti Epigr. initium.

[uu] *ET* lapis eſt, hunc verſũ ita exhibet manuſcr. Et lapis eſt merito quod fluit, eſtque ſilex. Del. putauit legendum Eſtque latex merito quod fluit & lapis eſt. ego vt verum fatear hîc aliquid gratiæ deſidero : vîxque eſt vt Claudianus ita ſcripſerit.

IN VI.

[y] *DVM* Cryſtalla. In hanc rem Martialis : Frangere dum metuis frangis Cryſtallina : peccant Securæ nimium, ſolicitæquę manus. hoc vero eſt epigr. ſubtiliſſimum : vnde collige fuiſſe vas aquarium, nulla tamen arte elaboratum, vnde cum puer ebibiſſet, ratus aquam in fundo reſiduam, nihilominus poculum ſuxit, atque ita deluſus eſt. vide Auſ. in Bucc. Myronis.

IN VII.

[x] *MARMOREVM.* Plus miraculi ſanè fuit in re natiua quamlibet informi, quàm in arte ipſa, ſic Prop. Littora natiuis pellucent picta lapillis. Vide eadem ferè de Magnete ſupra.

EPIST.

EPIST. AD OLYBRIVM VT SCRIBAT.

QVid [A] rear, affatus quòd non mihi dirigis ullos?
Nec redit alterno pollice ducta salus?
Scribendine labor? sed quæ tam prona facultas,
Carmina seu fundis, seu Cicerone tonas?
Cedere diuitiis animi fortuna fatetur,
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus qui sceptra ferat? quin tempore nullo,
Cessant Flaminiæ puluerulenta viæ.
Cum fluat ingenium, cùm sit qui dicta reportet,
Quæ nisi contemnor causa relicta tibi?
Despicis ergo tuum (si fas est credere) vatem,
Perfidus & spatio debilitatur amor.
Excidimusne tibi? lucem iam condat Hydaspes,
Et Tartesiaco sol oriare vado.
Candescat Geticis Meroë conuersa pruinis,
Claraque se vetito proluat Vrsa mari:
Et si iam nostros fastidit Olybrius ignes,
Constat Oresteam nil valuisse fidem.
Quin age rumpe moras [B] remoraturusque sodalem,
Absens eloquio, fertiliore doce.
Crebraque fœcundo festinet littera cursu
Dignatuis animis, insinuanda meis.
Dignatus [C] tenui Cæsar scripsisse Maroni,
Et tibi dedecori scribere? [D] Musa, vale.

Vnu

IN EPIST. AD OLYBRIVM.

A QVID REAR. Viden vt Claudianus liberè agat cum viro consulari, quo nullus in toto Imperio occidentis nobilior fuit. non igitur fuit hic poeta vulgaris precii, aut existimationis, vt qui meruerit esse Tribunus & notarius de qua dignitate sic Imppp. Cod. lib. XII. in hæc verba; Præcipua est nostræ pietatis intentio circa Notariorum nomen, sané Primicerius Notariorum emeritus nihil minus sperare potuit quam gradum Mag. Officiorum, nec miror quod se ipsius sodalem dicat.

B REMORATVRVS. Ita opt. codex, in altero: quod etiã aduertit Cuiacius: solaturusque, aliàs Remoraturas ineptè.

C DIGNATVS tenui. Maro dicitur tenuis, ratione fortunæ. Sidonius imitator de eodem: nec stetit ad tenuem celsior ira reum. Ouidius exiguum Caluum dixit ea ratione, & Lucanus, si modo id est, in Paneg. Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati. qui omnes magni ingenio, facultatibus modici. Tacitus in Dialogo; neque apud diuum Augustum gratia caruit: Testes ipsius Epistolæ.

D MVSA, valè. Ita vet. liber & omnes excusi. At in altero, quod etiam obseruauit Cuiacius: Nec tibi dedecori musa futura, vale. sed non solus Olybrius Musæ nomen adeptus est, vir alioqui musarum cultor. Antonius medicus id etiam obtinuit. Eunapius ait Milesium amatoré poeseos Anatolio ita iucundũ fuisse, vt Μοῦσαν vocaret.

AD PROBINVM VT

QVEM precor inter nos habitura silentia finem?
Quando dabit gratas littera nostra vices?
Me timidum, vel te potius dixisse superbum
Conuenit, alterius crimen vtrunque tenet.
Transfluxere dies, & dum scripsisse priorem
Pœnitet, æternas itur in vsque moras.
Sed quid agam? cœpisse vetat reuerentia vestri,
Hinc amor hortatur scribere, vincat amor.
Fors iuuat audentes, prisci [A] sententia vatis,
Hac duce non dubitem te reticente loqui.
Audax [B] vt, si quid vates peccasse videtur,
Arguar, ingrati non subiturus onus.
Romanos bibimus primo te consule fontes,
Et Latiæ cessit Graia Thalia togæ.
Incipiensque [C] tuis affatibus omnia cœpi,
Fataque debebo [D] posteriora tibi.
Ergo lacessitus tandem rescribe roganti,
Et patria florens sorte, Probine vale.

AD PROBINVM.

De hoc etiam fratre Olybrii itidem consulari libero stilo & simplici conqueritur, ita vt superbiæ insimulet, hic verò Probinus fuit poetæ nostro Mæcenatis vice, ei-

quæ auctor fuit, vt à Græcis ad Latina animum adpelleret. Itaque profitetur Claudianus se primùm recitasse aut scripsisse latinè ipso Consule.

[A] PRISCI. Ita vet. liber, quis vero ille priscus vates? forte Maro; aut Ouidius: Audentes Forsque venusque iuuat.

[B] AUDAX. Ita plane vet. liber, alii omnes aliter, & quidẽ inscitè.

[C] INCIPIENS. Virg. A te principium tibi desinet. Propertius: Cynthia principium Cynthia finis erit. Sed planè ad rem Theognis: οὔποτε σεῖο λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ᾽ ἀποπαυόμενος.

[D] DELEBO. Vatum proprium est sæpè stilum vertere. Martialis ad librum: ne domini patiare lituras. Auson. Ne ferat indignum vatem centumque lituras: alibi de suis liturariis loquitur.

IN SPHÆRAM ARCHIMEDIS.

Iuppiter [A] in paruo cùm cerneret æthera vitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe [B] labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur Spiritus astris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum,
Gaudet, & humana sidera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.

IN SPHÆRAM ARCHIM.

a IVPPITER. De hac ſphæra dubio procul Ouid. vi. Faſtorum: Arte Syracuſia ſuſpenſus in aere clauſo. Stat. Globus immenſi parua figura poli: credo enim hoc miraculum Romæ fuiſſe adſeruatum.

b LEGESQVE Deorum. Sic vetus codex, alij ferè omnes: legeſque virorum, non malè. Cæterùm Ius latiùs patet quam lex: nam & ad non ſcripta extenditur: ſupra dixit, præſcriptos mari fines.

DE BYRRHO ET CASTOREO.

NOMINIS a *vmbra manet veteris; nam dicere* b Byrrhum,
Si Caſtor niteat, Caſtoreum nequeo.
Sex emptus ſolidis, quid ſit iam ſcire poteſtis;
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

DE BYRRHO ET CASTOREO.

a NOMINIS. Hoc Epigramma mihi multum fecit olim negotij; ſed tandem videor mihi percepiſſe: magnam ei ſanè lucem attulit vet. liber, neque tamen ideò forte quiuis intelliget. Agitur vero de lacerna, aut epomide vel quodam alio integumento vili.

BYRRHVM. Seuerus in vita B. Martini dixit. Byrrhum rigentem & fluentem texere lacernam. Cod. Th. lib. 14. Seruos Byrrhis vti permittimus, aut cucullis. Auson. Burrhas, quisquilias, ineptiasque. hodie vero etiam galeri conficiuntur non solum è pilis cuniculi, sed etiam è villo castoreo, vt vocant; quod est maioris precij, & quauis pluma mollius. Sed vereor vt hæc morosi homines accipiant.

DE SEPVLCHRO SPECIOSÆ.

Pulchris stare diu Parcarum lege negatur,
Magna ^ repente ruunt, summa cadunt subitò.
Hîc formosa iacet, Veneris sortita figuram;
Egregiumque decus inuidiamque tulit

DE BALNEIS QVINTIANIS.

Fontibus in liquidis paulùm requiesce viator,
Atque tuum rursus carpe refectus iter.
Lympharum dominum nimium miraberis hospes,
Inter dura viæ balnea qui posuit.

DE SEPVLCHRO SPECIOSÆ.

MAGNA. Huius versiculi artificium argutè deprehendit G. Sabinus poëtarum Germaniæ flosculus: neque alienum est nimis illud Tibulli: Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

TVLIT. Inde ſequitur forma fuiſſe eleganti, quæ inuidenda ſit, aliàs Meruit: nam in vet. cod. vt etiam notat Cuiacius: Inuidiamque tulit, ita vt decus & inuidiam, vna eademque opera ſortita ſit, ſic etiam virtuti comes inuidia. Sequentis verò Epig. hic fuit titulus DE Balneis Quintianis quæ in via poſita erant, quæ vltima verba male huic ſpecioſa addita.

DESCRIPTIO PORTVS SARONENSIS.

VRbs in conſpectu montana cacumina velat,
Tranquillo prætenta mari, ducentia portum
Cornua, pacatas remouent aquilonibus vndas.
Hîc exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, & placidam diſcit ſeruare quietem.

PORTVS SARONENSIS.

IN vet. libro ita ſcriptum reperi: ſed in altero vt in excuſis Zaronenſis, vide Pomp. Melam de hoc portu, vel ſinu.

AD ÆTERNALEM.

QVicquid Caſtalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quicquid fatidico mugit cortina receſſu,
Carmina ſunt ſed verba negant cōmunia Muſæ.
Carmina ſola loquor, ſic me meus implet Apollo.

AD ÆTERNALEM.

IN vet. Cod. ita legitur: De se qui semper versus loqueretur, verum hic Æternalis floruit sub Arc. & Honorio fuitque Proconsul Asiæ: neque vero soli poëtæ carmina loquuntur: nam Cuiacius pæne inscius post ægritudinem satis molestam hunc versum protulit: Non mihi magna fuit sed miseranda pati. quod ipsi forte cum Vlpiano qui inopinus ita lusit: Semper in obscuris quod minimum est sequimur.

DESCRIPTIO ARMENTI.

NON tales quondam species tulit armentorum
Tellus tergemino subdita Geryoni.
Non tales Clitumne lauas in gurgite tauros,
Tarpeio referunt quos pia vota Ioui.
Non tales Tyrias sparsisse iuuencus arenas
Dicitur, optatum quando reuexit onus.
Non Cratæus ager, nec amati conscia tauri
Gnosos, nec similes pauerit Ida feras.
Ipse & dispariles monstro diffusus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore nouo.
Cres puer haud talem potuisset reddere formam,
Præstarent totum si fera membra patrem.

DES-

DESCRIPTIO ARMENTI.

ALITVMNE. vide Plinij Secundi epiſtolam, vbi agit de victimis.

PRODIDIT. vetus lectio, In alijs, Condidit.

PRAESTARENT. Sic habuit vet. liber. optime, meo iudicio. alij etiam excuſi: Portaſſent.

DESCRIPTIO INSVLÆ.

EST procul ingenti regio ſummota receſſu
Inſula, quæ reſides fluctus miteſcere cogit,
In longum producta latus, fractaſque per vndas,
Ardua tranquillo curuantur brachia portu.

DESCRIPTIO INSVLÆ.

EST. Quænam ſit illa Inſula, neque titulus, neque ipſa delineatio aperté indicat. forté innuit qualis inſula eſſe debeat vt ſit perfecta.

DE IRACVNDO.

IN iaculum quodcumque gerit dementia mutat.
Omnibus armatur rabies pro cuſpide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera ſæuit,
Pro telo geritur quicquid ſuggeſſerit ira.

DE IRACVNDO.

IN. Hæc virgilius ſatis exprimit Æn. I. Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

DE QVADRIGA MARMOREA.

QVis [A] *dedit innumeros vno de marmore vultus?*
Surgit in aurigam currus, paribuſq; lupatis
Vnanimes frænantur equi, quos forma diremit,
Materies cognata tenet, diſcrimine nullo.
Vix redit in currum, ducuntur ab axe iugales,
Ex [B] *alto ſe quiſque iacit: quæ tanta poteſtas?*
Vna ſilex tot membra ligat, ductuſque per artem,
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

DE QVADRIGA

[A] QV̄IS. Si quis pictor hæc adeò bellè effingeret penicillo, aut ſtatuarius argilla imitaretur, nihil puto viſum iri elegantius.

[B] EX ALTO ſe quiſque iacit. ſic habuit vet. liber. Sed enim excuſi fortè non malè: Ex alio ſe quiſque facit, vt videantur illi equi prout ſpectator accedit aut recedit, vel deflectit, mutata quaſi figura exoriri.

DE PERDICCA.

Quid non sæuus amor flammarum [a] numine cogat?
Sanguinis affectum mater amara timet.
Pectore dum niueo puerum [c] tenet anxia nutrix,
Illicitos ignes iam fouet ipsa parens.
Vltrices pharetras tandem depone Cupido;
Consule iam Venerem, forsan & ipsa dolet.

DE PERDICCA.

Hic titulus aliter concipitur in cod. vet. & in Indice, nempe: De Polycaste & Perdice. Ego Perdiccam pueri formosi nomen esse arbitror: & Polycesta, pro Polycaste, legerim libens ex vet. codice: quæ dictio græca significet mulierem picturaacus excellentem.

[a] *NVMINE.* Flammarum numen æquè benè dici autumo atque numen aquæ Iuuenali. idque propter Amorem qui Deus fingitur. alias, Munere cogit.

[b] *AMARA.* id est rigida. alias amare.

[c] *PVERVM.* ita etiam v. liber. Alias Miserum.

DE HISTRICE.

Vdieram memorande tuas Stymphale volucres
Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu.
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Visa diu: datur ecce fides, & cognitus histrix,

Herculeas affirmat aues: os longius illi,
Assimilat porcum, mentitæ cornua setæ
Summa fronte rigent, oculis rubet igneus ardor,
Parua sub hirsuto catuli vestigia dorso.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præsidio dignata feram, stat corpore toto
Sylua minax, iaculísque rigens in prælia crescit.
Picturata seges, quorum cute fixa tenaci
Altera succrescit, alternantesque colorum
Cincta vices, spatijs intus nigrantibus exit
In solidæ speciem pinnæ, tenuataque furtim
Lenis in extremum sese producit acumen.
Sed non hæc acies ritu syluestris Echini
Fixa manet, crebris propugnat iactibus vltro,
Et longe sua membra regit, tortumque per auras
Euolat, excusso natiuum missile tergo,
Interdum fugiens Parthorum more sequentem
Vulnerat, interdum positis velut ordine castris
Terrificum densa mucronem verberat vnda,
Et consanguineis hastilibus asperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco
Terga fragore sonant, stimulis accensa tubarum,
Agmina collatis credas confligere signis:
Tantus in angusto strepitus furit: additur armis
Calliditas, parcusque sui timor, iraque nunquam
Prodiga telorum: cautè contenta minari,
Nec nisi seruandæ iactus impendere vitæ.
Error abest, certum solertia destinat ictum,
Nil spatio fallente modum, seruatque ^ tenorem
Muta cutis, doctique regit conamina visus.

Quid labor humanus tantum ratione sagaci
Proficit? eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua, subiectis eadem lentescere cogunt
Ignibus, intendunt taurinos viscere neruos;
Instruitur pinis, ferróque armatur arundo.
Ecce breuis proprijs munitur bestia telis,
Externam nec quærit opem fert omnia secum,
Se pharetra, sese iaculo, sese vtitur arcu
Vnum animal cunctas bellorum possidet artes.
Quòd si omnis nostræ paulatim industria vitæ,
Fluxit ab exemplis: quicquid procul appetit hostem,
Hinc reor inuentum; morem hinc traxisse [b] *Cydonas*
Bellandi, Parthosque retrò didicisse ferire,
Prima sagittiferæ pecudis documenta secutos.

DE HISTRICE: ALIAS, AD STYMPHALVM, ABSVRDE.

[a] *SERVATQVE* tenorem. Plinius: Ora vrgentium figit canum, & paulo longius iaculatur.

[b] *CYDONAS.* Alij Cyconas. Virg. Parthus siue Cydon telum immedicabile torsit.

IN PODAGRICVM.

QVæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas?
Scandere qui nescis, versiculos laceras.
Claudicat hic versus, hæc, inquit, syllaba nutat,
Atque nihil prorsus stare putat Podager.

que auctor fuit, vt à Græcis ad Latina animum adpelleret. Itaque profitetur Claudianus se primùm recitasse aut scripsisse latinè ipso Consule.

[a] PRISCI. Ita vet. liber, quis vero ille priscus vates? forte Maro; aut Ouidius: Audentes Forsque venusque iuuat.

[b] AVDAX. Ita plane vet. liber, alii omnes aliter, & quidē inscitè.

[c] INCIPIENS. Virg. A te principium tibi desinet. Propertius: Cynthia principium Cynthia finis erit. Sed planè ad rem Theognis: οὔποτε σεῖο λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ' ἀποπαυόμενος.

[d] DELEBO. Vatum proprium est sæpè stilum vertere. Martialis ad librum: ne domini patiare lituras. Auson. Ne ferat indignum vatem centumque lituras: alibi de suis liturariis loquitur.

IN SPHÆRAM ARCHIMEDIS.

Iuppiter [a] in paruo cùm cerneret æthera vitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe [b] labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur spiritus astris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum,
Gaudet, & humana sidera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.

IN SPHÆRAM ARCHIM.

^A^ *IVPPITER.* De hac ſphæra dubio procul Ouid.vi.Faſtorum: Arte Syracuſia ſuſpenſus in aere clauſo. Stat. Globus immenſi parua figura poli: credo enim hoc miraculum Romæ fuiſſe adſeruatum.

^B^ *LEGESQVE* Deorum. Sic vetus codex, alij ferè omnes: legeſque virorum, non malè. Cæterùm Ius latiùs patet quam lex: nam & ad non ſcripta extenditur: ſupra dixit, præſcriptos mari fines.

DE BYRRHO ET CASTOREO.

NOMINIS ^A^ vmbra manet veteris; nam dicere ^B^ Byrrhum,
Si Caſtor niteat, Caſtoreum nequeo.
Sex emptus ſolidis, quid ſit iam ſcire poteſtis;
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

DE BYRRHO ET CASTOREO.

^A^ *NOMINIS.* Hoc Epigramma mihi multum fecit olim negotij; ſed tandem videor mihi percepiſſe: magnam ei ſanè lucem attulit vet. liber, neque tamen ideò forte quiuis intelliget. Agitur vero de lacerna, aut epomide vel quodam alio integumento vili.

TVLIT. Inde sequitur forma fuisse eleganti, quæ inuidenda sit, aliàs Meruit: nam in vet. cod. vt etiam notat Cuiacius: Inuidiamque tulit, ita vt decus & inuidiam, vna eademque opera sortita sit, sic etiam virtuti comes inuidia. Sequentis verò Epig. hic fuit titulus DE Balneis Quintianis quæ in via posita erant, quæ vltima verba male huic speciosa addita.

DESCRIPTIO PORTVS SARONENSIS.

VRbs in conspectu montana cacumina velat,
Tranquillo prætenta mari, ducentia portum
Cornua, pacatas remouent aquilonibus vndas.
Hîc exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, & placidam discit seruare quietem.

PORTVS SARONENSIS.

IN vet. libro ita scriptum reperi: sed in altero vt in excusis Zaronensis, vide Pomp. Melam de hoc portu, vel sinu.

AD ÆTERNALEM.

QVicquid Castalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quicquid fatidico mugit cortina recessu,
Carmina sunt sed verba negant cõmunia Musæ.
Carmina sola loquor, sic me meus implet Apollo.

AD ÆTERNALEM.

IN vet. Cod. ita legitur: De se qui semper versus loqueretur, verum hic Æternalis floruit sub Arc. & Honorio fuitque Proconsul Asiæ: neque vero soli poëtæ carmina loquuntur: nam Cuiacius pæne inscius post ægritudinem satis molestam hunc versum protulit: Non mihi magna fuit sed miseranda pati. quod ipsi forte cum Vlpiano qui inopinus ita lusit: Semper in obscuris quod minimum est sequimur.

DESCRIPTIO ARMENTI.

NON tales quondam species tulit armentorum
Tellus tergemino subdita Geryoni.
Non tales Clitumne lauas in gurgite tauros,
Tarpeio referunt quos pia vota Ioui.
Non tales Tyrias sparsisse iuuencus arenas
Dicitur, optatum quando reuexit onus.
Non Cretæus ager, nec amati conscia tauri
Gnosos, nec similes pauerit Ida feras.
Ipse & dispariles monstro diffusus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore nouo.
Cres puer haud talem potuisset reddere formam,
Præstarent totum si fera membra patrem.

DESCRIPTIO ARMENTI.

CLITVMNE. vide Plinij Secundi epistolam, vbi agit de victimis.

PRODIDIT. vetus lectio, In alijs, Condidit.

PRAESTARENT. Sic habuit vet. liber. optime, meo iudicio. alij etiam excusi: Portassent.

DESCRIPTIO INSVLÆ.

EST procul ingenti regio summota recessu
Insula, quæ resides fluctus mitescere cogit,
In longum producta latus, fractasque per vndas,
Ardua tranquillo curuantur brachia portu.

DESCRIPTIO INSVLÆ.

EST. Quænam sit illa Insula, neque titulus, neque ipsa delineatio apertè indicat. fortè innuit qualis insula esse debeat vt sit perfecta.

DE IRACVNDO.

IN iaculum quodcumque gerit dementia mutat.
Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera sæuit,
Pro telo geritur quicquid suggesserit ira.

DE IRACVNDO.

IN. Hæc virgilius satis exprimit Æn. I. Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat.

DE QVADRIGA MARMOREA.

QVis [A] *dedit innumeros vno de marmore vultus?*
Surgit in aurigam currus, paribusq; lupatis
Vnanimes frænantur equi, quos forma diremit,
Materies cognata tenet, discrimine nullo.
Vix redit in currum, ducuntur ab axe iugales,
Ex [B] *alto se quisque iacit: quæ tanta potestas?*
Vna silex tot membra ligat, ductusque per artem,
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

DE QVADRIGA

[A] QVIS. Si quis pictor hæc adeò bellè effingeret penicillo, aut statuarius argilla imitaretur, nihil puto visum iri elegantius.

[B] EX ALTO se quisque iacit. sic habuit vet. liber. Sed enim excusi fortè non malè: Ex alio se quisque facit, vt videantur illi equi prout spectator accedit aut recedit, vel deflectit, mutata quasi figura exoriri.

DE PERDICCA.

Quid non sæuus amor flammarum [a] *numine cogat?*
Sanguinis affectum mater amara timet.
Pectore dum niueo puerum [c] *tenet anxia nutrix,*
Illicitos ignes iam fouet ipsa parens.
Vltrices pharetras tandem depone Cupido;
Consule iam Venerem, forsan & ipsa dolet.

DE PERDICCA.

Hic titulus aliter concipitur in cod. vet. & in Indice, nempe: De Polycaste & Perdice. Ego Perdiccam pueri formosi nomen esse arbitror: & Polycesta, pro Polycaste, legerim libens ex vet. codice: quæ dictio græca significet mulierem picturaacus excellentem.

[a] *NVMINE.* Flammarum numen æquè benè dici autumo atque numen aquæ Iuuenali. idque propter Amorem qui Deus fingitur. alias, Munere cogit.

[b] *AMARA.* id est rigida. alias amare.

[c] *PVERVM.* ita etiam v. liber. Alias Miserum.

DE HISTRICE.

Vdieram memorande tuas Stymphale volucres
Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu.
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Visa diu: datur ecce fides, & cognitus histrix,

Herculeas affirmat aues: os longius illi,
Assimilat porcum, mentitæ cornua setæ
Summa fronte rigent, oculis rubet igneus ardor,
Parua sub hirsuto catuli vestigia dorso.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præsidio dignata feram, stat corpore toto
Sylua minax, iaculisque rigens in prælia crescit.
Picturata seges, quorum cute fixa tenaci
Altera succrescit, alternantesque colorum
Cincta vices, spatijs intus nigrantibus exit
In solidæ speciem pinnæ, tenuataque furtim
Lenis in extremum sese producit acumen.
Sed non hæc acies ritu sylvestris Echini
Fixa manet, crebris propugnat iactibus vltro,
Et longe sua membra regit, tortumque per auras
Euolat, excusso natiuum missile tergo,
Interdum fugiens Parthorum more sequentem
Vulnerat, interdum positis velut ordine castris
Terrificum densa mucronem verberat vnda,
Et consanguineis hastilibus asperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco
Terga fragore sonant, stimulis accensa tubarum,
Agmina collatis credas confligere signis:
Tantus in angusto strepitus furit: additur armis
Calliditas, parcusque sui timor, iraque nunquam
Prodiga telorum: cautè contenta minari,
Nec nisi seruandæ iactus impendere vitæ.
Error abest, certum solertia destinat ictum,
Nil spatio fallente modum, seruatque tenorem
Muta cutis, doctique regit conamina visus.

Quid labor humanus tantum ratione sagaci
Proficit? eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua, subiectis eadem lentescere cogunt
Ignibus, intendunt taurinos viscere neruos;
Instruitur pinis, ferróque armatur arundo.
Ecce breuis proprijs munitur bestia telis,
Externam nec quærit opem fert omnia secum;
Se pharetra, sése iaculo, sese vtitur arcu
Vnum animal cunctas bellorum possidet artes.
Quòd si omnis nostræ paulatim industria vitæ,
Fluxit ab exemplis: quicquid procul appetis hostem,
Hinc reor inuentum; morem hinc traxisse [b] *Cydonas*
Bellandi, Parthósque retrò didicisse ferire,
Prima sagittiferæ pecudis documenta secutos.

DE HISTRICE: ALIAS, AD STYMPHALVM, ABSVRDE.

[a] SERVATQVE tenorem. Plinius: Ora vrgentium figit canum, & paulo longius iaculatur.

[b] CYDONAS. Alij Cyconas. Virg. Parthus siue Cydon telum immedicabile torsit.

IN PODAGRICVM.

QVæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas?
Scandere qui nescis, versiculos laceras.
Claudicat hic versus, hæc, inquit, syllaba nutat,
Atque nihil prorsus stare putat Podager.

IN PODAGRICVM.

QVÆ tibi. In hanc rem sæpè dixit Cuiacius; Pro captu lectoris habent sua fata libelli: hic morbus vero teste Symmacho littorali siccitate, id est arenis calidis, tenuatur.

AD MAXIMVM.

Dulcia dona mihi tu mittis Maxime semper,
Et quicquid mittis mella putare decet.

DE PAVPERE AMANTE.

Paupertas me sæua domat, durusque Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

DE EODEM.

Esuriens pauper, telis incendor amoris,
Inter vtrumq; malum deligo pauperiem.

AD MAXIMVM.

HOc distichon mihi parum sapit, sed fortè ad Maximum hominem publici saporis scriptum est.

DE PAVPERE AMANTE.

PAVPERTAS. Hæc voluntaria fuit in Claudiano, qui forte famæ potius quàm fami consuluit, atque hoc ipsum nô dedecet.

DE PIIS FRATRIBVS, ET STATVIS EORVM.

ASpice [a] sudantes venerando pondere fratres,
Diuino meritos semper honore coli.
Iusta quibus rapidæ cessit reuerentia flāmæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces.
Complexi manibus fultos ceruice parentes,
Attollunt vultus, accelerantque gradus.
Grandæui gemina sublimes prole feruntur,
Et chara natos implicuere mora.
Nonne vides vt sæua senex incendia monstrat?
Ut trepido genitrix inuocet ore Deos?
Erexit formido comam, perque omne metallum,
Fusus in attonito palluit ore color.
In iuuenum membris animosus cernitur horror,
Atque omem metuens, impauidusque sui.
Reiectæ vento chlamydes? dextram erigit ille,
Contentus læua sustinuisse patrem:
Ast illi duplices in nodum colligit vlnas,
Cautior in sexu debiliore labor.
Hoc quoque præteriens oculis ne forte relinquas,
Artificis tacitę quod meruere manus;
Nam consanguineos eadem cùm forma figuret,
Hic propior matri, fit tamen ille patri;
Dissimiles annos solertia temperat artis,

Alter in alterius redditur ore parens:
Et noua germanis paribus discrimina præbens,
Diuisit vultus cum pietate faber.
O bene naturæ memores; documenta supernæ
Iustitiæ; iuuenum lumina, vota senum:
Qui spretis opibus medios properastis in ignes,
Nil præter sanctam tollere caniciem.
Haud equidem immerito tanta virtute repressas,
Enceladi fauces obriguisse reor.
Ipse redundantem frænauit Mulciber Ætnam,
Læderet exempli ne monumenta pij.
Senserunt elementa fidem, pater affuit æther,
Terraque maternum sedula iuuit onus.
Quod si notus amor prouexit in astra Lacones,
Æneam Phrygio raptus ab igne pater:
Si vetus Argolicos illustrat gloria fratres,
Qui sua materno colla dedere iugo.
Cur non Amphinomo, cur non tibi fortis Anapi
Æternum siculus templa dicauit honos?
Plura licet summæ dederit Trinacria laudi,
Nouerit hoc maius se genuisse nihil:
Nec doleat damnis, quæ deuius intulit ardor,
Nec gemat exustas igne furente domos.
Non potuit pietas flamma cessante probari,
Emptum est ingenti clade perenne decus

DE PIIS FRATRIBVS.

ADSPICE. Exprimit eleganter statuas Amphinomi & Anapij quas Catanæ in Sicilia viderit. vet. codex habuit hunc titulum: De Siculis fratribus. Martialis: Tu siculos fratres & maius nomen Atridas. vide planè Corn. Seueri Ætnam & Val. Maximum, & confer emendationes nostras è manuscr. cum aliis codicibus.

AD GENNADIVM PROCONSVLEM.

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama secunda fori,
Graiorum populis, & nostro cognite Nilo;
Vtraque gens fasces horret, amatque tuos:
Carmina ieiunas poscis solantia fauces,
Testor amicitiam, nulla fuisse domi.
Nam mihi mox nidum pennis confisa relinquunt,
Et lare contempto non reditura volant.

AD GENNADIVM.

QVIACIVS notauit in suo codice non proconsulem: sed ex proconsule: apud Seruium Euocatus non miles, sed Pro milite dicitur.

DE THEODORO ET HADRIANO.

Manlius indulget somno, noctesque diesque
Insomnis Pharius, sacra, profana rapit.
Omnibus hoc Italæ gentes exposcite votis,
Manlius vt vigilet, dormiat vt Pharius.

DE THEODORO ET HADRIANO

Hic vero palinodiam canit poeta: nam antea Panegyrin huic magno & erudito viro elaborauit: iam vero arguit oscitantiæ: quid ni? laudauit nempe cum laudanda faceret neque adeo foret senio grauis, aut veterno: culpat se leuiter ac facete: neque opinor Manlius si hæc rescierit indigne tulit; quin potius subrisierit molliter. nam qui dormit non peccat, ait ille: verum Hadrianus vigilando omnia diripit. vide quæ supra diximus. eiusmodi vigilantij ac dormitantii fuere olim in suprema curia magni certè nominis ac meriti.

IN SIRENAS.

Dulce malum pelago Siren, volucresque puellæ
Scyllæos inter fremitus, auidamque Charybdim.

Musica saxa fretis, habitabant dulcia monstra,
Blanda pericla maris: terror quoque gratus in vndis,
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Implessentque sinus venti de puppe furentes,
Figebat vox vna ratem, nec tendere certum
Delectabat iter reditus, odiumque iuuabat,
Nec dolor vllus erat: mortem dabat ipsa voluptas.

IN SIRENAS

Olim quidam vitio vertere B. Ambrosio, quod poeticis vsus esset exemplis: verùm ille se ita defendit, vt probet etiam è sacris litteris sirenas. Esaias enim, inquit ille, Sirenes & filias passerum dixit, Senior vero Scal. Poematium hoc leue quidem, sed non inelegans esse declarat.

S*IREN.* Ita vet. liber aliàs Sirenæ ineptè, notum est illud; vitanda est improba siren, Desidia.

FVRENTES. Sic in vet. cod. alii Ferentes, deinde Figebat, id est, sistebat ratem, postremo Odium non Otium repugnat enim lex carminis. Plura dicere supersedeo.

FINIS.

ST. CLAVERI
CORONIS
MISCELLA AD
CLAVDIANVM.

In qua Poëmation cui titulus Ærumnæ Cereris. Supplementum Annot. Claudiani. Pontij Paulini Epistola & Carmen eiusdem ferè argumenti falsò hactenus Claudiano adscriptum. Symmachi Relationes VI. de Pont. Maximi electione. Epigrammata Damasi, Hieronymi, Ambrosij & aliorum pæne eiusdem sæculi cum Cl. poeta.

Quibus accesserunt Notæ perquam vtiles
ST. Cl. operâ.



PARISIIS,
Apud ROBERTVM FOVET via Iacobæa,
sub signo Occasionis.

M. DCII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SVMMA PRIVILEGII.

HENRICI IIII. Galliarum & Nauarræ Regis Edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscumque gradus, ordinis, status, cõditionis ac dignitatis, siue sit Bibliopola, Typographus siue alius quilibet, quacumque regni & ditionis eius patent fines, *Cl. Claudiani opera cum notis & commentariis Stephani Clauerij in suprema Curia aduocati, & aliorum authorum tam veterum quàm recentiorum*, præter viduam Guillelmi Chaudiere, Robertum Fouët, & Nicolaum Buon Bibliopolas in alma Parisiorum vrbe commorantes, intra duodecim annos eadem vel alia minori forma excudat vel excudenda curet, vendat ipse aut cuiquam diuendenda mandet, aut denique ab aliis excussa intra eiusdem HENRICI ditionum fines diuendenda importet, seu quouis alio modo & prætextu manifeste aut occulte distrahat, siue sit externus siue sit regnicola. Qui secus faxit, præter librorum amissionem, quingentorum coronatorum mulcta pœnas pendito, quorum dimidia Regio fisco, residua verò pars ipsis remanebit viduæ Chaudiere, Fouët, & Buon aut ab illis mandatum habentibus, vti latiùs patet in ipso diplomate dato Parisiis 26. die Iunij 1602.

Subsignat. HENRICVS.

Ad mandatum sacræ maiestatis Regiæ, POTIER.

STEPHANVS Clauerius Lectori S. D.

POSTQVAM emendata Cl. Claudiani opera cum annotationibus à me Lutetiam Parisiorũ dimisi, Lector erudite, ferias mihi quasdam à cura illa partim spinosa indicere decreui. at vix septem dierum interuallo semitas hortuli mei natiuo gramine virides obrepsi, cùm eruditus ac venerabilis senex Io. Baugius Historiam sacram eleganter & splendidè Romæ excusam, quæque ad nouem aut plura ingentia volumina procederet, benignè obtulit. Ego etsi inaudieram multa & præclara de auctore Eminentissimo, ac nonnihil monitus essem de locis aliquot magni momenti quæ indubiè admirandus ille vir excuteret; inueni tamen pleraque alia mihi vel minùs perspecta, vel planè incognita. vt verisimile sit ex omnibus orbis terræ prouinciis ad vnum hunc delatas esse veræ antiquitatis reliquias. Sanè quandiu legendi illius potestas data est, grande, imo incomparabile depositum penes me esse credidi; neque vel solam tanti gaudij vsuram talento mutare voluissem: & tamen, ô me timidum aut potius infelicem! meum desiderium, meas delicias domino non exigente, reddere celeriter viuus vidénsque sustinui. Cursim itaque & quasi volitando flores nobiliores æui pellegi, ortúsque & acta Principum notaui præcipuè, quos aut viderit Poeta Ægyptius aut propter tenorem ætatis videre non potue-

rit: ratus me à studiosis gratiam initurum aliquam si ex thesauro haud ita parabili monetæ paululùm, sed probioris ad eos meâ opellâ perueniret. Et verò satis agnoui diuinum hunc Cęsarem, in iis quæ scriptores vtriusque linguæ malè attigerant vbique ad Claudianum prouocare. hæc illi gemma Heraclia, hoc veritatis asylum. inde certè euenit vt poetam quem diligebam antea, nunc amare videar & suspicere. Verum in mentem venit mihi non vnius loci, vbi annotationes meę aliquid diuersi præ se ferant, nec piget subnotare quamuis iacta sit alea. Sed quid solicitius hęreo? cùm nihil noui possit à me afferri in medium quod ille purpureus Antistes, ac lumen Italiæ non peruiderit; aut vigili argutia & iugi lectione pręceperit. Saltem igitur faciam vt siquis mihi næuus in facie apparet, ei vel sua gratia non desit, vel bonorum venia. Ex eodem ingenti opere quędam Symmachi & aliorum à pietate & sęculo Honoriano haud aliena eduxi, quę vt boni consulas te etiam atq; etiam rogo. Vale Lector erudite. Auarici Biturigũ quarto Idus Aug. Anno CIↃ IↃCII.

AERVMNAE CERERIS.

VT Dea surgẽtes scopulos auidámq; Charybdin
Liquit inops, spumante salo reuerentia cessit
Numinis, attonitęque priùs Niseïa monstra
Insultant stridore canes: insana voluptas
Damna moræ, pacísque subit confinia rumor. 5
Inde sinus Hadriæ campósque immanè liquentes
Præterit, ac magni sedat vestigia motus
Imprudens; nescítque suo vada cærula Nerei
Aduentu posuisse minas; considere facta
Valle Thetin; mites spirare sub anguibus auras. 10
Ætnęæ viguere faces in tela diei,
Auroræque rosas. miratur Dalmata frondes
Fulgere, & Illyricum pauet alma incendia littus:
Atque aliquis lacero nocturnus nauita velo
Hac flamma quæsiuit opem; dein certus eundi 15
Littorea dentem fixit nouus hospes in alga.
Ah quoties diffisa viæ nutante remisit
Lora manu! quoties crepitans scintilla iugales
Substitit, accliui dum labitur igne cupressus!
Quamuis instar habet somni vigilantia curis 20
Corda gerit. veniente metu spes vndique surgit,
Spe fugiente metus tandem constantia diuæ
Temperat affectus, &, sacri pectoris obses,
Iamiam decidui parit interualla doloris.
Vt gratæ rediere vices, compago rotarum, 25
Visa leuis; temo rapitur, minióque rubenti
Cristarum pinnæ, torquatáque colla relucent.
Augurio lætata Ceres insederat axi
Rector; inflexítque comam: crescente Corintho
Seironis decreuit apex; nec deuius error

Diſplicuit: mirata ſitum regionis amœnæ,
Et ſpeculata deos nuper, legit æquoris oram,
Inde arcem alternas quæ turribus explicat vmbras.
Non aliter quàm vere nouo Pandionis olim
5 Nata leui lapſu gelidas euerberat vndas,
Excitáque audaci volitat per nubila gyro
Luſtratas reditura vias, quàm limite recto
Viſat honoratos domini gauiſa penates.
Dum loquor Iſthmos abit; pereunt tua vota, Palæmō,
10 Leucothoéſque ſinum fugitiua eluſit imago.
Stat ſuper aërias Aſiæ prædiuitis vrbes,
Mœniáque & lucos: Piręi marmora portus
Liuebant ab inerte ſitu; nanque innuba Pallas
Triſtis adhuc, raptæque memor, ſeceſſerat antro
15 Attidis, ac tantæ minuebat amara querelę.
At parte ex alia bigis allapſa reſiſtit
Debilis; ingenuámque Ceres ne lęderet herbam,
Dignata eſt nudi captare ſedilia ſaxi.
Fortè ſenex illa tenuem regione locarat
20 Cum parua conſorte caſam; camęque paluſtri
Certabant ſtipulę, viuúſque à culmine ceſpes.
Filius vnus erat miſeris; vitámque trahebat
Ancipitem; obſeſſas motabat filia cunas.
Dum pater è ſyluis ramalia portat in ædes,
25 Curua ſubit coniux, quos vt de limine virgo
Vidit, ad hos pernice tulit ſeſe obuia planta.
Haud procul inde Ceres facie ſubluſtris anili
Adfuit acclinis trunco; nam frigus aquarum
Captabant roſei vicina valle dracones,
30 Vt veteli videre deam, de limite paulùm
Flectit vterque pedes, addítque precantia verba.
Illa nihil; mitra geminas obduxerat aures,
Singultu concuſſa nouo; nutúque verendo
Signa dedit, dum vox ad linguę ſepta rediret:
35 Salue fortunate ſenex, & filia meſſes
Anteeat primęua tuas; nec ſorte maligna
Experiare meos fida cum coniuge queſtus:

Dixerat. humor aquę visus stillare genarum
Per sulcos, & aperta sinus: non fibula vestes
Detinet; euerritque solum sinuamine limbi.
Vtque erat, egit iter: doluit sacrata leuari
Membra lapis, tuguríque beat clara hospita limen. 5
Mensa tripes vnóque minor fulcimine pridem
Erigitur, subeunte nouo, quin lectulus arti
Concolor, indigenas detersit puluere nęuos;
Vermiculis emblema nitet, felixque lacunar
Adspersit maculas nigrę fuliginis albo: 10
Rusticitas non tota perit, sed simplice cultu
In lare mundities non affectata renidet.
Celidę intereà medicata papauere multo
Frons madet, internis obliuia lapsa medullis;
Repit enim blandita quies, & fusa per omnem 15
Temperiem adstantes delusit imagine leti.
Protinus obriguit, ac iam Menalina parabat
Exequias, charam lacrymis mistura fauillam:
Sed mox pallor abit; placitę sed gratia formę
Verna redit; tenuíque rubens adspergine malas, 20
Lilia cana refert foliis intexta rosarum.
Stat puero florente domus. tum vimine glandes
Expediunt, & lacte deam pomísque fatigant:
Faginus illinitur crater, quem lympha perennis
Impleuit; sed vota Ceres, non dona recepit. 25
Nox erat, &, querulę quà pars adaperta fenestrę,
Luna repercussit tremulum vibrauerat arcus
Sustulit è cunis infantem diua, renasci
Vt posset meliore nota, dein obruit igni.
Territa consurgit mater prunáque fideli 30
Eripit, officio timida & crudelis eodem.
Sed tamen vnde ferat tanti dispendia lucri
Solamen mortalis habet: nam vomere primo
Findit humum, steriléſque puer fœcundat aristas.
Seruat honor sedem. non hæc tibi gloria Cecrops 35
Est oneri, delubra colis contermina cælo
Matris Eleusinæ, nec fida silentia rumpis.

Mox abit illa domo. trax ítque per aëra nubem
Ingentem; emittunt rapuli suspensa iugales
Sibila, & Ægęum crispando obmurmurat ęquor.
Cycladas exuperat. dein alto emensa volatu
5 Ionium; incumbit fręnis, pontóque propinquat
Fertur vbi iuuenis fecisse pericula cerę.
Atque Athamanteę ne casibus ingemat Helles,
Sesti primitias oriente relinquit Abydo.
Nec mora post pictos visit Bactra vltima Seras;
10 Mox Syriam, Ægyptúmque secat; nam dędala Mēphis
Miserat in celsas nondum miracula nubes:
Nondum Apis mugire valet; non tinnula sistri
Implet ouans reboante sono; non cornua fronte
Exerit, aut ceruice alta designat aratrum.
15 Viderat vt Nili caput, Atlantísque paludem
Germanósque lacus, & nobilis atria Byrsę,
Transit ad Hesperios, niueámque superuolat Alpen.
Obuius huic Rhenus tumidarum ductor aquarum,
Inde ferox Albis, qui nunc regione cherusca
20 Agmen agit fluitans, & nomina portat in ęquor
Effusúmque Salam; nec se ferus occulit Ister
Pannonię cumulandus aquis, vbi regia Sirmî
Est habitura viros, mundóque datura catenas:
Noricus inde axis petitur, nec Rhetia saltus
25 Barbaricos celat capreásque in saxa fugaces.
Protenus apparet latium, & splendentia longo
Stagna lacu; diuam pater Apenninus adorat;
Tum vitrei fontes; quos inter maximus olim
Albula nomen adhuc retinet; septenáque rerum
30 Culmina subsidunt radiante per auia currit.
At Ligurum populi, quà se mare tollit iniquum,
Non impune vident: nanque, vt laxauit habenas,
Suppositi lambit nemoris fastigia serpens,
Prętereunte dea, subitus nec defuit ignis:
35 Tum superenat aquas; à tergo damna relinquit
Viuida: Phocaicęque volans cunabula gentis
Pręsumit, modo lenis Atax, modo sacra Nemausi

Vnda placet, dein ęquorei vada lęta Garumnę.
At Vibiſca tuens ab Aginni limite Volcas
Viſitat, & Rhodani ſaxa interciſa meatu;
Inde Atyrum, & rupis iuga frondea Pyrenę,
Cantabrięque ſolum, & fluuij gemmantis arenas. 5
Denique nulla fuit regio, quę certa rapinę
Proderet indicia, aut miſeri lenimina luctus:
Quin etiam dum fortè cauis mapalibus inſtat,
Et ſedet ante fores abſtemia, cardine moto
Nemo iuuat; patitúrque malæ conuicia rimæ 10
Qua puer indiderat linguam ſcurriliter audax.
Sed pia ſurgit anus, natúmque tremente loquela
Dum premit, ignauum deſertat ianua limen:
Vt dedit oranti qua ſe dea proluat vndam,
Obſequio maiore fami ſuccurrere tentat, 15
Hordeáque in liquida præbet guſtare polenta.
Riſerat hoc Stelles, auidámque repentè vocauit
Cui dea: vane puer, ſatis hinc tibi reſtat; & ora
Spargit ab infuſo tergúmque, & brachia ſucco:
Apparent maculę, forma eſt breuis, illita cauda 20
Surgit, & exiguæ ſimilat vaga membra lacertæ.
Inde alti biiuges ad cæli ſidera fuluas
Erexere iubas; vtque attigit orbita metam,
Incipiunt cogente dea, relegúntque, viarum
Ancipites errore plagas. Tum Iuno ſuprema 25
Sede videns æſtus, exurgentéſque labores,
Nec tantę miſerata vię; tamen euocat Irim:
Vade age, compella Zephyrum, qui lenibus auris
Aëra demulcens, noſtræ iam pellicis ora
Ventilet, infenſum caue Sirius augeat ignem: 30
Hæc procul arquato virides curuamine pennas
Dilectę præſentat auis; ciet humida rorem
Bractea, & vmbellę radios ſubmiſit Eous.
Hoc releuata modo, ſeptem petit illa Triones:
Protinus huic gelidæ cuſtos micat obuius vrſæ, 35
Aduentúque fauens tu; pulchra Lycaoni, villos
Exuis, & vultum grato pallore ſerenas:

Te licet inuidia vetitam non abluat æquor,
Forma tamen superat, qualem nec Iuno probari
Gaudeat, aut fidens leuibus Diana sagittis.
Non tamen vlla pię Cereri de virgine rapta
5 Verba refers, alióque deam non sponte relegas.
Consulitur mundi lux vnica, cuius ab ore
Prima soror, cæcíque trahunt iubar eminus ignes.
Sol prior excepit: quid me, dea flaua, rogando
Sollicitare paras? video qua fine supernos
10 Deuenias tractus, purámque volubilis æthram:
Posce Iouem quod quęris, ait. Nec plura, citatis
Expaciatur equis, properans inuisere Tethym.
Ô desiderium infelix, ô dira cupido!
Ancipiti fruitur dicto; pœnáque recenti
15 Lętior, in genibus natam putat esse parentis.
Venerat ante Iouem, facies ibi nulla puellę
Nubilis; huic sublime latus, sed seria iunxit
Maiestas, nitidóque Pudor venerabilis ostro.
Erubuit sua visa Ceres, ac limen Olympi
20 Desereret; ni prolis amor vestigia figat
Altiùs, ínque vicem prohiberet sanguine malas.
Tunc ait; ô diuûm genitor, cui digna videbar
Furtiuo amplexu viridis sub regna iuuentę,
Fallor, an est de te (mihi persuadere voluptas)
25 Edita Persephone? nam, si memor ipse tuorum,
Pars quoque te maneat nostrę non infima curę:
Iuppiter hanc rapuit; sed non qui temperat astra,
Vt video: non qui sortis diadema secundę
Gestat; Auernali trahitur captiua triumpho
30 Scilicet, & miserę spes hęc super vnica matri.
Quam neque Bellonæ frater, nec Cynthius vnquam
Sperauere sibi; qualem non victor ab Indis
Molliter inflexo mouisset crine Lyæus,
Prædo tenet, vexátque humilem sine more rapinam.
35 Si te damna mouent communia, proiice fulgur
Quod feriat manes, quod subterrannea regna
Concutiat, dirúmque chaos: quíque omnia seruas

Vt placitum, facias vna te virgine patrem,
Et mundi dominum, cui se non alter adæquet.
Ecce trium minimus, potitur qui luce maligna
Damnatus latebris, Siculæ fundamina rupis
Inuasit, domitâque dedit tellure ruinam. 5
Non ignota loquor, tantíque iniuria facti
Scilicet, astrigero, dum me tenet alma Cybele,
Est delata polo. Sequitur sua crimina merces,
Et pœnæ est pietas, vitiúmque accedit honori.
Subrisit tum lene pater. mentóque prehensam 10
Erexit miserans; diuæque indigna ferenti
Oscula trina dedit, totidem vix cognita lustris,
Pone metus, pia mater, ait: Proserpina latè
Imperat; indecorem non hæc sortita maritum
Dotis egit. nec virginitas fuit innuba tanti 15
Vt stamen designet acu. vanæque retexens
Libertatis opus, dubia spe ludat amantes:
Adde quod intactæ dura est custodia pubis,
Nec patitur formosa moras. amaranthina florem
Virga relicta gemit, lutúmque à vespere caltha. 20
Nupta magis quàm rapta fuit; nec pœnitet alto,
Credo equidem, solio patrui contingere sceptrum:
Saturno ille satus; fratrem germanus amaui,
Nec dubito quin semper amem, licet impete vano
Sæpe mihi illudat, sortem causatus iniquam. 25
Nunc, quia lætus init genialis fœdera lecti,
Fortè animos ponet, iustas quoque cælibis iras.
Ne verò obscurásque domos, & regna silentum
Obiicias; sunt astra illic sunt lumina Phœbi
Alterius; varios fundunt ibi gramina flores. 30
Quod si nulla mouet ratio tam debile pectus,
Experiare velim nulli tentata deorum.
Stat tibi vota semel, dulces & soluere nexus
Quos firmauit Hymen? ego iam diuortia lecti
Polliceor. ieiuna tamen si nata remansit. 35
Nuntius extemplò tranauit nubila, & alba
Findit iter spina, toto se corpore mittens

Lubricus, inſtar auis quæ ſtagna virentia circum
Piſciculis inhiat, roſtróque minatur acuto.
Hunc Stygius puer excepit; nedúmque roganti
Cognita ſunt quę voluis, ait. Domina inclyta vallis
5 Elyſiæ, iam tres pendentis ab arbore pomi
Puniceo carpſit madidos humore lapillos.
Indoluit regina loci: iuueníque proteruo
Eſſe dedit volucrem, & ferrugine miſcuit alas
Orphneis precibus: ſed non felicior extat,
10 Quàm ſi funerea poſuiſſet in arbore vitam.
Turpe caput nam maſſa refert, ocuļíque patentes
Cæruleo ſqualent ſenio: tum brachia mollis
Pluma tegit, noctémque colens, lucémque peroſus
Sera Sepulchrales ad carmina ſuſcitat vnbras.
15 Dum ſpectat mandata Ceres, volat impiger Arcas
Ad ſuperos, nec verba ſatis iucunda reportat:
Tunc offenſa recens patuit dea. lugubrè pectus
Anxietas dilata premit; laniare capillos
Atque genas ardet, ſi talia facta decerent
20 Succiduo tamen illa genu, procumbit & amens
Saltem optat recipi Stygiæ penetralibus aulæ,
Idqúe Iouem importuna rogat. verùm iſta voluntas,
Viſa parùm prudens, neque profectura petenti.
Sexqúe vouet menſes, quibus illa inſidat Olym̄po,
25 Et videat ſuperos, & mox videatur ab imis.
Ex illo æqualem geſtare argentea Libram
Faſcia narratur cæli; quæ lumina Phœbo
Diuidit, & nocti pariles adiudicat vmbras:
Iuſtitiæ exemplar, magnis imitabile regnis.

FINIS.

Studioſi cuiuſdam ad Lectorem admonitio.

NE vero te lateat, ô bone, quiſquis es, nobis legendo innotuit huius carminis auctori filum deſcriptionis Ouidianæ, vel è Faſtis vel è Metamorphoſi, inſtar Cynoſuræ fuiſſe. & quamuis de ſupplemento ad Claudiani Raptū fortè non cogitauerit, tamen huic ſcripto aliquid ineſt, quod illi deeſſe videatur. neque obſcurè innuit præfatiuncula operis, id petitu Iuriſconſulti alicuius magni eſſe elaboratum, ea lege opinor vt epicus ille nomini parceret; neve poëtæ antiqui operibus temere hæc haud ignobilis nouitas propinquaret. Scitum eſt enim quid commiſerit Vegius, & alij. Hæc volui neſcius ne eſſes.

ST. CLAVERII

CORONIS MISCELLA AD CLAVDIANVM DE CONSTANTINO M. ET Iul. Constantio eius P.

Cap. I.

DIXI, ni fallor, in quadã Annotatione ad Librum II. in Eutropiũ ea quæ mihi videbantur de auſpiciis Cõſtantini libere ſatis, neque ἄνευ τῆς παραδοξολογίας. Vtinã illuſtrẽ Eccleſiæ hiſtoriã vidiſſem priùs, verũ quia galeatũ ſerò pœnitet, quid rationes meæ poſſint experiar, eáſque omniũ oculis ſubjiciam, non quòd pondere ſuo libratiores putem, ſed vt pateat inſignis illa varietas quæ ſubtiliſſimum quemque morari valeat. Ego quidem Conſtantium Chlorum ſeu mauis Procerum, quẽ noſtræ Fidei ſatis æquum fuiſſe volunt, non Auguſti aut Imperatoris nomine exui, ſed ei rem & munus αὐτόματον videor ademiſſe. At magnus Hiſtoriæ princeps ei Triennium aſſignat, & ea quæ ipſo Imperante acta ſint more ſolenni commemorat in hunc fere modum: Anno Chriſti CCCIIII. Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conſſ. vigeſimo anno Imperij Diocletiani nondum penitus exacto XI. Kal. Maij ambo Impp. abdicarunt ſe Imperio. quo facto Conſtantius & Galerius ſunt appellati Auguſti. At Conſtantio Occidentis Imperium moderante non ceſſauit perſecutio, neque vllum ab eo datum eſt pro Chriſtianis reſcriptum, quamobrem accidit vt iiſdem ferme diebus Marcellinus Papa ſit decollatus. Quantumlibet vero Conſtantius Imp. Occidentem adminiſtraret: ipſo tamen in Britannia agente Galerius ex animi ſententia omnia regebat, atque cum Maximiani arbitrio omnia Præſides atque Procõſules agerent; ex illis qui præſidebat Campaniæ multos viros ſanctos capite damnauit. Addit quoque ex Actis veterum: Temporibus Diocletiani Imp. Conſulatu Conſtantij Cæſaris VI. (qui ſane fuit anno CCCV.) magnã fuiſſe perſecutionem. Vidiſti vero ſupra Diocletianum ἀπόρφυρον nunc biennio elapſo nouo diademate aut ſane trabea refulgentem, quid plura? in Faſtis reperies Anno CCCVII. Maximiani Herculij IX. & Anno CCCVIII. Diocletiani X. Conſulatum. ex quibus magnum elicitur argumentum retentæ ab iiſdem prærogatiuæ non etiam moleſtiæ

regiminis, quanquam ad eos de rebus magnis ac dubiis fieret Relatio, vt videatur vtrique salua fuisse exceptio: Si quid eis humanitus cõtigisset. non multo dissimili ratione aduertimus in Gallia rectores prouinciæ si diis placet aut iudices sibi de successore bene merenti, vt puta filio aut affini, prospicere: neque tamen ea re sũt illi immunes planè, aũt capitis vt ita dicam minores. quin potius magis firmo parieti ac munimento videntur insistere. Itaque eleganter ait Ausonius de Valentiniano Seniore qui fratrem ac filium adsciuerat: Omnia solus habens atque omnia dilargitus. vnde & vetus Panegyris: Potes imperium, Maximiane, donare, non potes non habere. dixerat prius: Cum maxima largiaris ita penes te sunt omnia, quasi ea solus obtineas. & illud: Maximiane semper Auguste & Constantine oriens Imperator, id est, mox future seu designate: aut destinate Imperio. Nullum profecto rescriptum, vt dixi, nulla constitutio, nullum edictum, nulla iussio, nullum numisma nobis innotuit quod fidem faciat plenam Constantiani Imperij. quamuis enim in antiquis tabulis hæc memoretur inscriptio: Constantius & Maximianus inuicti Augg. ei tamen sua non desit temperies. Itaque in Panegyrico I. ad Maximianũ Herculium & Constantium ita se orator explicat, vt Constantini prudentiam laudet, qui à Summo Imperatore Maximiano quàm à patre suo Augusti nomen expectare maluerit. vt nimirum esset securior. alioqui patris manibus fecit iniuriã, qui sibi relictum ab eo Imperium non adierit. Sed quomodo relictum fuerit quæstionis est, ego facile credo post vltimum Constantij spiritum Exercitum ab ipso relictum fuisse instar Imperij sed violenti, vt olim sæpe. tanti sanè momenti fuit Britannia, vt robur militis exinde educti ad tyrannidem in Occidẽte, vel teste Maximo, occupãdam suffecerit. Quare hic locus Panegyrici ad Constantinum Treueris agentem in deliberationem cadit: Quamquam tu ad Seniores principes (id est Diocl. & Maximianum) de summa Reipublicæ quid fieri placeret retulisses, præuenerunt tamen studio milites scilicet quod illi Impp. iudicio mox probauerunt. Purpuram statim tibi quum primus copiam tui fecit egressus milites, vtilitati publicæ magis quàm tuis affectibus seruientes, iniecere lacrymanti. Diceris etiam Imp. Inuicte, ardorem te deposcentis exercitus fugere conatus equũ calcaribus incitasse. atque hîc vides quantula fuerit in Constantino animi moderatio ac boni & æqui ars non affectata. quos sanè virtutis igniculos facilè postea corrupit ambitio, auctorem enim suum ac socerum Maximianum nullo scrupulo impeditus palam oppressit & extinxit. Cæterum in Historia Miscella quam P. Pithæus v.c. edidit, vbi (præter Eutropij, Flori, Victoris, Eusebij, Rufini, Orosij & aliorum historias) totam pænè Anasta-

sij Bibliothecarij Romani Ecclesiasticam ex Georgio Theophane aliisque Græcis scriptoribus collectam contineri bona fide pollicetur, hæc reperias: Constantius contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrãdæ solicitudinem recusauit. deinde: Obiit in Britannia Eboraci Principatus anno XIII. qui Principatus Cæsaria & Augustali dignitate censeri debet. denique in eadem Historia hic est ordo Imperatorum: Anno ab Vrbe condita CIↃ XLII. Diocletianus Trigesimus septimus ab Augusto Imperator « creatur. ibique nulla mentio Maximiani qui postea adscitus est, ita « vt vnus vice duorum sit, atque alter alterum designet. deinde sub « initium libri XI. Anno ab Vrbe condita CIↃ. LXI. Constantio « mortuo Constantinus ex obscuriore matrimonio eius filius in Britãnia Trigesimus octauus ab Augusto Imperator creatus est. vides « saltem vt Constãtium excludit, qui neminem inter Diocletianum « & Constantinum numerat. & tamen hæc à scriptore orthodoxo afferimus vbi nulla sigla aut notæ. Aurelius Victor vir consularis hæc etiam pronunciat: Huic, id est, Galerio, Quinquennij Imperium, Constantio annuum fuit, cum sane vterque potentiam Cæ- « sarum annos tredecim gessissent. Atque hæc non vt controuersias « poscerem, sed vt mea causa quadamtenus probabilis videretur « enucleaui. neque nos latuit aut elusit Beroaldi, Funccij, Peuceri, Goltzij & aliorum istius ordinis exacta satis perquisitio. quinimo insignem illum Hebraicæ linguæ antistitem consuluimus. hi vero omnes radiis vnius Baronij propius admoti qua nota sint commẽdabiles non est meum indicare.

CAP. II.

SEd enim de Constantio Principe omnium sua ætate pulcherrimo, fortissimo & optimo aliquid præterea dicendum est. Is maternam ducit originem à Diuo Claudio Gothico, quem plerique putant Gordiano satum, dum adolescens à muliere matura institueretur ad vxorem. quod satis arguit Porphyrius in carmine dædaleo:

Cui Claudius acer
Magnanimum sidus dat clarum è numine diuo
Imperium.

Et illud Rhetoris: A diuo Claudio manat in te auita cognatio. Forma fuit adeo præstanti & heroica, vt meruerit diuina Panegyri non semel celebrari. quod mihi magis cõstitit ex antiquo ipsius numismate è puteo apud Bituriges eruto, nec vidi vnquam quidquã speciosius, vt iam tædeat monstrosæ illius figuræ quam circumfe-

runt Belgici libri. sane si vera hîc esset expressa vt volueram mirabiles sui amores excitaret, ac liceret conjicere ex tali inspectione quid animi, quósque spiritus gesserit. Inscriptio hæc erat: Constantius Nob. Caesar. altera parte sculptus erat Hercules & Ara, in gratiam forte Max. Herculij cum hoc indice: Genio Pop. Romani. Eius vero victorias testatur Gallia, sensit Batauia, experta est Britannia, clamant Lingones, Vindonis campi & vicina mari Bononia. Ciuilitas in eo maxima, popularis industria & Imperatoribusqui tunc erant suspecta liberalitas, indéque nobilis pauperies. Prætereà cum bellorum moles Diocl. & Maximianum vrgeret, cuncta quæ trans Alpes sunt ei commissa. neque solum armis sed & literis Æduicæ regioni profuit. vt aperte declarat Eumenius in
» hęc verba: Ego v. p. nihil laudi meæ tribuo, sed Domini nostri
» Constantij Principis Iuuentutis incredibilem erga iuuentutem
» Galliarum suarum solicitudinem & indulgentiam mirari satis ne-
» queó, qui honorem literarum hac quoque dignatione cumulauit,
» vt me filio potius meo ad pristina mea studia molientem ipsum ius-
» serit disciplinas artis oratoriæ retractare. Idem commemorat hanc
» Epistolam sacram Constantij quem & Cæsarem Herculium supe-
» rius nominat: Merentur & Galli nostri vt eorum liberis quorum
» vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, &
» ipsi adolescentes qui hilari consensu meum ex Italia reuertentis
» suscepere comitatum, vt eorum indoli consulere cupiamus. Pro-
» inde quod aliud præmium iis quàm illud conferre debemus, quod
» nec dare potest nec eripere fortuna? Vnde Auditorio huic, quod
» videtur interitu Præceptoris orbatum, te vel potissimum præfice-
» re debuimus, cuius eloquentiam & grauitatem morum ex Actus
» nostri habemus administratione compertam. Saluo igitur Priuile-
» gio dignitatis tuę hortamur vt professionem oratoriam receptes,
» atque in supradicta ciuitate (quam non ignoras nos ad pristinam
» gloriam reformare) ad vitæ melioris studium excolas mentes.
» Nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus dero-
» gari, cum honesta Professio ornet potius omnem, quàm destruat
» dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcentis millibus num-
» mûm ex Reipublicæ viribus consequi volumus, vt intelligas me-
» ritis tuis etiam nostram constare clementiam. Vale. Eumeni Ka-
» rissime nobis. Quæ quidem ex collatione opt. Codicis Ia. Gulielmij, vt fertur, expressi, vt iam hîc nemo nisi amens hæreat. nam ex v. cod. Rhenanus lapsu fauorabili: Augusto cliuiensium descripserat, quia idem ferè tractus litterarum. neque I. Lipsius gemma sæculi id nesciuit. At pænè oblitus eram dicere huius nostri Cōstantij memoriam Spiræ in Germania, vbi consessus Imperij, mirum in modum celebrari.

CAP.

CAP. III.

NON graue tamen, aut iniucundum erit ſcrutari penitiùs indolem & conſilium huius principis. Is primò vt ætas florida & forma elegans ferebat Helenam hoſpitis filiam eximiæ pulchritudinis virginē mediam complexus eſt. cuius rei voluptas etiam recedenti medullitùs inhæſit, adeo vt vnica puella cunctarum, vt ait poëta, obliuia fecerit. Et bene habet nam res conſenſu patris geſta eſt dum primos ſemidei illius amores forſan miſereſcit & cohortem regiam comitatúmque ſplendidiſſimum vel demiratur, vel formidando ſuſpicit. neque enim opinor generoſus ac probus licet calidus iuuenta vim ei attuliſſet, aut ſacra hoſpitij erat violaturus, quamuis auctore Seneca nemo ſe ſtabularij aut cauponis hoſpitem iudicet. Sanè quantum licet conijcere ex regali purpura ſeu peplo, quod Helenæ diſcedens reliquit tanquam nuptiale munus (craſtinum vocāt Germani, ſeu matutinum) affectus maritalis ab eo non longè abfuit, neque non ſpes data futuri coniuigij. quare(vt verbis Ouidij vtar) Helenen ego crimine ſoluo. quinetiam hæc maris & feminæ coniunctio ſpeciem habet matrimonij. vnde puella Canace ad ad ſuum amatorem, qui dixerat: Illius de quo mater es, vxor eris. reſpondet: Mortua crede mihi tamen ad tua verba reuixi. Et poſitum eſt vteri crimen onúſque mei. Quid plura? Conſtantius cum in ſomnis videre ſibi viſus eſſet præter rerum naturam ab Occidentali Oceano Orientem φωσφόρον patrem Helenæ rogauit vt eam diligentiùs ſeruaret & quod ex ea naſciturum eſſet. qui locus Nicephori bellè & apertè explicat vocem illam dubiam & aliorſum acceptam in Panegyri vbi nobiles Britannias illic oriendo feciſſe dicitur Conſtantinus. fore enim hæc innuunt vt Helenæ filius ad Inſulam iſtam appulſus, atque à patre mox in cœlum ituro Cæſar nuncupatus, dignitatis ſuæ radios primulum in iſta regione exerat, nec alia mente exclamat ille: O fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti. Ita profectò ſentiebat I. Cuiacius Europæ miraculum licet antea dubitauerit. quapropter magnam animo meo perſenſi voluptatē cùm legerem nuper in ſcriptis Lipſij non aliena, eíque laudem iudicij propriam & ſolidam quantum in me erat adſcripſi. Sed redeamus ad Conſtantium. Ea fuit principis huius conſtantia, vt cùm ei Maximianus Herculius priuignam ſuam in vxorem dediſſet Helenam tamē retinuerit clanculum, quamuis apertè ſe gereret pro marito Theodoræ, ne ſcilicet Imperatori cui dignitatem & honores debebat foret inuiſus. Itaque ni fallor conſilium cepit de ſeceſſu

in Insulam toto orbe penitus diuisam & à se liberatã, vbi sine cõtrouersia & metu, pro eo ac Principem decuit, vitam exigeret. Quid si fuit ingratus aut se Maximiano Imperatori deuinctũ non agnouerit? ad hoc facit Panegyris Constantino dicta quæ postquam Diui Claudij Imp. meminit post paulo subiungit: Ab illo generis auctore in te Imperij fortuna descendit. Quinimo patrem tuum ipsum vetus illa Imperatoriæ domus prærogatiua prouexit. ergo Maximianus, qui plurimum ei facere data priuigna & magnis dignitatibus credebat nihil egit, nihil profecit. nam Constantius in extremis positus Theodoræ & communium pignorum oblitus Constantinum Helenæ filium in memoria habuit: sex que plus minus præteriit vt vnum hæredem faceret. qui quidem hæres ex asse vt ita loquar vbi modestiam de qua suprà, & pietatem ac differendi Imperij conatum ostentauit, paruo lapsu temporis ferociã aquilæ exeruit magno soceri sui malo & fratrum pernicie de quibus hęc fortè Ausonij:

Dum Constantini fratres opulenta Tholosa,
Exsilij specie sepositos cohibet.

CAP. IIII.

ADDAM superioribus quædam scitu non indigna. Primò concubinas multis Impp. fuisse vxorum loco. nam, quoad Helenam, D. Ambrosius eam Stabulariam vocare non dubitauit (vt alibi notamus) addiditque Constantinum è stercore venisse ad Regnum. Helenæ tamen primas dedit Constantius & ex ea natum legitimis liberis videtur prætulisse, quod exemplum secutus est Constantinus dum Crispum Cæsarem ex Mineruia concubina susceptũ Imperio destinat. neque tanti putat. Faustæ vxoris, imò suam veram progeniẽ. idque opinor in contemptum Maximiani soceri aut in odium memoriæ ipsius. Neque adeo iã Valentiniani Senioris factum mirari libet. Is cùm haberet vxorem Seueram nomine Gratiani matrem; aliam, nempe Iustinam superinduxit. neque tamen D. Ambrosius filium eius minus pro Imperatore agnouit. dicit verò de ipso: Ego te suscepi paruulum. ego Iustinæ maternis traditum manibus amplexus sum. Sed enim tunc fortè vigebat adhuc lex Valentiniani senioris. Hæc est ne longiùs abeam in Historiæ miscella sub his verbis: Legem publicè protulit, vt omnes qui voluissent impune bina matrimonia susciperent. nam ideo populosas fore gentes quia hoc apud eas solenne est. Quæ cùm ita sint lex Vlpiani XIII. D. ad legem Iuliani de adult, nescio quo modo se insinuat vbi hęc legimus: Plane siue iusta vxor fuit siue iniusta accusationem instituere vir poterit: nam & Sextus Cæcilius ait: Hæc lex ad omnia matrimonia

pertinet, & illud Homericū adfert: Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ἀτρεΐδαι; Achillis autē verba sunt, quorū hæc I. sententia: An soli inter tot gentes quæ sub cœlo sunt vxores diligunt Atridæ? dein subiungit de Briseide captiua seu concubina, vt videatur ei nomen vxoris dare: ὡς καὶ ἐγὼ τὴν ἐκ θυμοῦ φίλεον δουρικτητήν περ ἐοῦσαν. Atq; hinc patet differētia inter nuptias & matrimonium, quæ quidem obiter dicta esse volumus. Scimus enim Amicas & vice coniuges Saltē delectu ex I. Cuiacij sententia separari. Dabit verò nobis veniam lector bonus, quòd ausi simus adeo transilire lineas. sed hæc nobis tanquam in familiari colloquio sine arte exciderunt. Sunt & alia fortè in queis deflectimus à quibusdam historiis, sed aliàs excutienda. Sanè multa neque vulgaria de virtutibus ac vitiis Constantini Magni eram, vel ingratiis Eusebij encomiastæ dicturus: nisi gyro meo includi maluissem.

CAP. V.

QVi in sole ambulant, etiam si aliam ob causam ambulēt: fieri tamen vt colorentur ait Cicero. ita ego cùm relaxandi animi Causa quædam opuscula perlustrarē, quia recens erat apud me Claudiani memoria duplici lucro & voluptate me sensim cumulari aduerti, de quibus hoc capite agere libuit Claudianus lib. 2. Proserpinæ.

Pars aulæa tenent alius prætexere ramis

Limina, & in thalamus cultas extendere vestes.

Arnobius: Cùm in Thalamum conuenitis to gasternitis lectulos: Idem de Nuptiis Honorij Sidoniásque solo prosternite vestes Ibidem: Alij funalibus ordine ductis

Plurima venturæ suspendite lumina nocti

Hi nostra nitidos postes obducere myrto

Contendant.

Huc fere pertinet locus Iuuenalis Satyra XII.

Cuncta nitent longos erexit ianua ramos

Et matutinis operatur festa lucernis.

Idem: Omnes violæ iactabo colores, cui respondet illud Claudiani de Nupt. Honorij.

Nec miles pluuiæ flores dispergere ritu Cessat.

Tertulianus in Apologetico. Cur die læto non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus? Xiphilinus in Nerone πᾶσα πόλις ἐκεκόσμητο καὶ φωσὶ καὶ στεφανώμασιν. Prudētius: Et quæ fumificas arbor vittata lucernas Sustinuit cadit vltrici succisa bipenni: cui vltimo versui videtur accinere illud Claudiani de

antiqua Germanorum ſuperſtitione Panegyri I. de laudibus Stilichonis

Et robora numinis inſtar
Barbarici noſtræ feriant impune ſecures.

Idem Panegyri II. cùm diceret de Italia in deæ ſpeciem ornata:
Vitibus intorquens ederas & palmite largo
Vina fluens:

inijciebat mihi ſcrupulum ſed in carmine illo ſatis eleganti: quod primus edidit P. Pithæus hæc libens notaui: Bacche vitium repertor Plenus adſis viribus Effluas dulcem liquorem comparandum nectari.

Præterea Claudiani de Bello Gild. ita fingit Romam loquẽtem:

Tot mihi prô meritus Libyam Nilûmque dedere
Vt dominam plebem bellatorémque Senatum
Claſsibus æſtiuis alerent geminóque viciſsim
Littore diuerſi complerent horrea venti.

Tacitus: Olim ex Italiæ regionibus longinquis in prouincias commeatus portabant nec nunc infœcunditate laboratur: ſed Affricam potius & Ægyptum exercemus, nauibúſque & caſibus vita populi R. permiſſa eſt. At Plinius Iunior; Refudimus Nilo copias ſuas. recepit frumenta quæ miſerat, deportatáſque meſſes reuexit. Idem. Nec nouis Indictionibus preſſi ad vetera tributa deficiunt. Certus autem numerus frumenti qui Romæ, Alexandriæ & Conſtanſtinopoli abſumebatur Canon dicebatur. nec mirum ſi multi appeterent ciuitatem, quia iis dabatur frumentũ oleum & caro porcina vnde Præfectus annonæ habuit ſub ſe ſuarios, qualis opinor fuit Hoſius comes Eutropij apud Claudianũ libro II. vbi rara quędam admiſcui.

CAP. VI.

THEODOSII amor tantus fuit in filios, vt iis vel à puero dederit Conſulatum ac paulo poſt Principis Cæſaris & Auguſti. honores quinetiam eos ſibi paulominus æquauerit. Claudianus in IIII. Honorij Conſulatum deſcribit optimum illum patrem eodem curru, cum filiis vectum per orbem Conſtantini.

Lætior augurio genitor natíſque ſuperbus
Iam paribus duplici fultus conſorte redibat,
Splendebátque pio complexus pignora curru.

Atque huc pertinere videtur locus elegans Senecæ: Rectorem, inquit, Romano Imperio filium longa fide approbet, vt ante il-

lum consortem patris quàm successorem accipiat. hîc verò notabis quæ sit differentia inter consortem & successorem. nam qui consortes adhibet nominis vel operum, seu muneris nihilo secius apicem rerum obtinet.

Eodem libro Claudianus pompam Consulatus pulchrè depingit.

Nunc quoque quos habitus quantæ miracula pompæ
Vidimus Ausonio quum iam succinctus amictu
Per Ligurum populos solito conspectior ires
Atque inter niueas altè veherere cohortes.

Deinde in *Nuptias* eiusdem Honorij de albato exercitu Stilichonis.

Candidus interea positis exercitus armis
Exultat socerum iuxta.

Hinc facilè est conjicere Romanos siue armatæ siue togatæ militiæ sectatores die festo vel in lætitia publica candidiore nota insignes fuisse: Itaque Horatius:

Dierum Festos albatus celebrat.

Ouidius:.

Vestibus intactis Tarpeias itur in arces
Et populus festo concolor ipse suo est.

& concolor ipse suo est. Vopiscus in floriano: Senatores lætitia elati albati sedent. vnde viri cõsulares ac patricij qui Honorio mediolanum intranti adstitere creduntur fuisse albati, ita enim subiũgit poeta.

Quidquid in orbe fuit procerum, quibus auctor honoris
Vel tu, vel génitor. numeroso consule Consul
Cingeris & socios gaudes admittere patres.

Neque dissidet locus notabilis apud Prudentium poetam. haud vulgarẽ: Exultare Patres videas pulcherrima mundi Lumina conciliúmque senum gestire Catonum. Candidiore toga. Cæterum galbus Color qui χλωρὸς vel herbaceus, fuit etiam in deliciis vide quæ diximus in Ruf. Claudiani, vbi Herbida velamina.

Cap. VII

IN Eutropium libro I. sunt versus, qui ab interpunctione visi sunt mihi laborare. Itaque cùm hac in parte liberum sit modò nõ inscitis, distinguendi arbitriũ (Manuscripti enim codices, quo meliores, eo minùs vel in vocis, vel in sententijs, ac periodis distincti) ita repræsentamus.

Forsitan & dominus præbet miracula lictor
Consule nobilior, Libertatémque daturus
Quam nunquam meruit scandit sublime tribunal.

Excusi libri τὸ Libertatem daturus referunt ad Lictorem, ego ad Eutropium Cons. quia enim ille iam dictus est dominus, nil necesse putaui. Sed enim opinor, iste Dominus Lictor fuit idem qui summus, & proximus Cōsuli dicebatur: Græcis ἀρχιραβδοῦχος. Apud Val. Maximum filius Fabij cùm esset consul patri venienti obuiam processit. dein, ob id irato patre, Lictori proximo, vt sibi appareret imperauit. Erát verò Lictores liberi ex lege Triumuirati Antonij, Lepidi, & Octauiani vt Dio his verbis indicat: μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν. Consul autē lictores totidem habuit quot fasces nempe XII. At ex duodecim lictoribus vnus erat Consuli proximus, alijs quadam prærogatiua insignior. Sed hui⁹ rei quædam vmbra vel effigies in Academia principe à me (si fas) deprehensa est in Rectore. Cum enim per vrbem purpuratus incedit Lictores plus minus XII. præeunt quorum qui vltimus Generalis dicitur, estque Rectori proximus. eorum partes sunt submouere populum, & quasi de semita deiicere ac nobili virga fores, vbi opus est, pulsare: quod tamen Pompeius magnus Posidonij philosophiæ magistri domum intraturus vetuit. Sylla, quia Dictator: XXIIII fasces ante se egit. Quinetiam, si Tullio credimus, Lictores cum fascibus Prætorem ante ibant. quod mihi in mentem reuocauit Symmachi versiculum:

Si fasces Prætura tacet, tu respice Fastos.

Iuuenis tamen politissimus cuius coniectura placet Lectio Iurisperito insigni Picturā Prætura antetulit. Sed de Præturæ fascibus Sym. lib. 7. & octauo disertè agit. Cæterùm Prætores varij sub illa tempora creati sunt, & quidam eorum editionem populi voluptatibus addicti, celebrabant vnde lex & Valentiniani, & Val. XIX. Satos de Frygiæ gregibus equos XXIIII. subiugandos quadrigis, hoc est simul octo, duobus maximarū editionum Prætoribus dari sancimus. Verùm vt nihil omittam quod ad Claudianum spectet hi Frigiæ greges designantur in laudibus Serenæ:

Delectus equorum.

Quos Phrygiæ matres sacris præsepibus edunt.

In hoc verò capite & superiore aliquid coloris duximus ab excellenti Lipsio. quamquam is de Claudiano nihil attigerit quod viderim.

CAP. VIII.

LIBRO II. Raptus. Erat versus in excusis & manuscr. aliquot deprauatus, vbi Luminis pro Fulminis inoleuerat. *Ni Iuppiter æthere summo*

Pacificas rubri, torsisset fulminis alas

Confessus generum.

Quo loci vt iam dixi planè Virgilium imitatus est:

Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit.

At alibi magis ad rem:

Fulsere ignes & conscius æther Connubia.

In IIII. Honorij Consulatu. agitur de Odotheo rege Gotthunnorum, quam dictionem retinet vetus cod. quem vidi & omnes excusi, præter Delrium, qui vbique fere Gratungos habet, quod de nihilo non esse duxi, cùm legerem in Collectione historica ex Idacio hæc aut similia verba: Theodosi9 anno Imperij VII. Graotingorum gentem superauit: qua de re videtur loqui Sym. lib. X. Ep. LXI. Vbi memorat cæsorum funera Sarmatarum. Libro de Bello Getico est locus satis recõditus propter fabulam haud vulgarem quem post Delrium ausus eram attingere:

Cretaque, si verè narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulchro.

Deinde.

Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

At nemo hanc Fabulam subtiliùs indicat Ouidio in Ibin, nec piget ipsius elegos apponere.

Potniadum morsus subeas vt Glaucus equarum,
Inque maris salias Glaucus vt alter aquas.
Vtque duobus idem dictis modò nomen habenti
Præfocent animæ gnosia mella viam.

Vbi licet notare locutionẽ satis insolentem sed bellulam, nempe: Idem nomen dictis habere, id est, simile nomen illis duobus quos priore disticho nominauit. Glaucis scilicet, vide nostras Annotationes.

Præterea ad Præfationem eiusdem libri vbi Claudianus de sua statua loquitur. obseruabis in foro Trajani fuisse locum, vbi poëtæ sua opuscula recitarent. atque etiam antiquiores explicarentur, id nos docuit Fortunatus lib. 4. & 7.

Vix modo tam nitido speciosa poemata cultu,
Audit Traiano Roma verenda foro.
Si tibi forte fuit bene notus Homerus Athenis,
Aut Maro Traiano lectus in Vrbe foro.

Eodem in foro putauit G. Fabricius vir magni nominis erectam fuisse Ausonio statuam: idque ex Sidonij versiculis coniecit. hi verò sunt: Plausores cui fulgidã Quirites. Et clarus popularitate Princeps Trajano statuam foro locarunt. At Sidonius de poëta Hispano loquitur, non de Burdigalensi.

Lib II. in Eutropium haud vulgariter dixit poëta:

Saltandi dociles aurigarúmque periti.

Vbi notauimus alteram lectionem, quæ in ora v. codicis cui non auscultandum: nam præter locum Horatij à nobis adductum hic etiam pro nobis facit: Exiguæque togæ similes textore Catonem, id est texturâ. Sic aurigæ pro aurigatione. Lipsius tamen tesquore non textore legendum putat.

CAP. IX.

Libro I. Raptus Mandata Platonis ad Iouem variè distingui video: ac fortè ego libris excusis, nimium indulsi, alter vetus Codex I. Cuiacij ita præferebat.

Sic nobis noxia vires.
Cum cælo Fortuna tulit? nam robur & arma
Perdidimus si rapta dies? an fortè iacentes
Ignauósque putas, quod non Cyclopea tela
Stringimus, aut vano tonitru deducimus auras?

Argumenta verò in tres libros Proserp. scripsere Pierius Æginensis. M. Antonius Rubrenus Mediol. & Theophilus Chalcondylas Atheniensis Demetrij F. discipuli I. Parrhasij, vt auguror, sed vltimus Pinum pro cupressu posuit. Libro II. de laudibus Stilichonis.

Roma dea testatur se Eutropij consulis atque Orientis reguli, Edicta & cōstitutiones ignorasse tanti ducis opera & prouisione,

Quæcumque profana,
Pagina de primo venisset limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi.

Quæ ni fallor vtcūque explicat lex Honorij Imp. in hæc verba: Hostis publicus Stilicho nouum atque insolitum repererat vt littora, & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad hanc Imperij partem pateret accessus. ex quibus collige vnum & vnicum fuisse Imperium cōcordiæ vinculo, id agente quod etiam attigimus in Annotationibus.

Verùm quando in Stilichonem incidimus scias velim fuisse orthodoxæ fidei, quod clarè pronuntiat ingens Baronius. Ita vt eo extincto Gentiles & Donatistæ multū gauisi sint., & iactauerint latas contra se leges non ex voluntate Honorij Aug. sed opera Stilichonis quarum auctoritas esset breui peritura, eáque spe freti in Catholicos insurrexerunt, ac multis Episcopis vita est adempta. quare legem xix. C. Th. de Paganis glossemate abundare suspicor, vbi Eucherius filius Stilichonis homo paganus dicitur, qui aliter à patre fuit educatus: nam paganis indulsisse aliquid (quod & fecit Theodosius magnus) vt in pace viueretur nō est à vero alienū,

si sinat

si sinat Orosius. Plura alia glossemata in eodem C. Th. inuenire licet. vt lib. 6. Die natali meo Constantij Aug. quod & in Epistola Constantij senioris apud Eumenium olim deprehendi.

In 6. Honorij Cons. sub initium ex vet. codice legẽdum videtur. Quã sua cũ pariter Trabeis reparatur & vrbi Maiestas. cùm in aliis reperias: Repetatur. id confirmat vetus & elegans numisma, quod in horto nõ procul ab vrbe Biturica repertum est, vbi hæc inscriptio DN. GRATIANVS P.F. AVG. & altera facie REPARATIO REIPVB. hoc autem verbo eodem significatu vsus est alibi poëta, quod Galli suo idiomate bellè exprimunt.

CAP. X.

Epigramma de Byrrho & Castorio satis confidenter ac nouè explicaui sat scio. sed quid agerem in tanta caligine? volui nimirum quasi è tenebris scintillam excudere. Sanè (si quid id est) Castorius quidam Episcopus subrogatus vixit sub Honorio, atque huius meminit alicubi D. Augustinus. Ecclesiastici autem byrrhos gestabant, vt videris apud Seuerum Aquitanum. His addam pro re nata, nisi molestum est, Episcopum subrogatum videri eum; qui vicem, vel absentis, vel ægroti, vel minùs idonei subit. talis fuit Claudianus iunior quem Episcopum Viennẽsem credidit Lilius, cùm in v.c. doctissimi viri P. Gnosij (vbi Achilleis Statij cũ annotatis, & initio Raptus Proserpinę) dicatur Episcopi Mamerti frater. dubium verô omne amolitur Sidonius in ipsius epitaphio vnde hæc delibaui:

Germani decus & dolor Mamerti,
Hoc dat cespite membra Claudianus,
Antistes fuit ordine in secundo
Fratrem fasce leuans Episcopali:
Nam de Pontificis tenore summi,
Ille insignia sumsit, hic laborem.

In Præfatione Belli Gild. versiculus vnus malè excusus aut ab imperito homine interpolatus pulcram inuertit historiam. ibique hæsit Delrius nec miror. nam in historia incomparabili hæc edita sunt: Gildonem in Sicilia obtruncatum fuisse tradit Claud. his versibus:

Agnouitque nouos absens Arethusa triomphos,
Gildonis sensit teste cruore necem.

cum legatur in v. Cod. vt notaui: Et Geticam sensit. quinetiam poeta lib. 1. in Eutropium de Gildonis fato:

Ille quidem meritas soluit, scit Tabraca, pœnas.

Et lib.1.de laud. St.

Prædonem lembo profugum ventísque repulsum,
Suscepit merito fatalis Tabraca portu.

quæquidem vrbs non est in Sicilia, sed in Africa. Inũc & illude iis qui vetera exemplaria fideliter excutiunt.

In libro de Bello Getico versus ille vna dictione variat in manuscriptis?

Ipsa etiam diffusa breui Trinacria ponto.

Legitur enim in libro Cuiacij Diffusa.quod verum puto, neque enim se tutam satis esse putat, quia propter modicum fretum continens dicitur Italiæ, effugiũ verò ab incursione militum fuit olim insula aliqua aut statio eiusmodi. talia splendidissimę vrbis venetorum incunabula cùm Attila desæuiret in terra Italia. vide cl. in R. aut Eut.aut de Bell.Got,

CAP. XI.

LIbro 1.in Eutropium.Eunuchus ille dicitur similis hirundini Brumali hoc versu,

Arboris immoritur trunco brumalis hirundo,

quæ quidem etsi magna cura explicaui,tamen libet addere V.Martialis Epigrammina vnde liquidò constet esse & hibernas & vernas hirundines:

Hibernos peterent solito cum more recessus
Attides,in nidis vna remansit auis:
Deprendere nefas ad tempora verna reuersæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.

Libro 11.de laud.Stil.versu primo,ita ex manuscripto legendum videtur:

Hactenus armatæ laudes.nunc qualibus Orbem.

cùm in excusis Vrbem reperias.nã id sequentia euincunt, ait enim:

At Stilicho non diuitias,aurique relictum
Pondus,sed geminos axes.tantúmque reseruat
Depositum teneris quantum sol igneus ambit.

In laudibus Herculis dicitur Taurus medio lunæ sidere editus, nescio an huc etiam respiciat illud Eustathij ἐν τετράδι γεννηθέντες quarta luna nati. & illud Martialis.

An magis Herculeo Germanice misit ab astro,
Hanc tibi vel frater,vel pater ipse feram.

Vide & Seruium in illud:Nil iam ex testibus vllis debentem.

In Cõſ.3. Honorij Theodorius ait Stiliconem ſibi fuiſſe in omnibus bellis ſocium atque id amplificat:

Odryſium pariter Getico fœdauimus Hebrum

Sanguine.

In omnibus excuſis & aliquot manu exaratis Othryſium, feré pro Odryſio notaui. Sanè Mars neſcio cur dicatur à monte Theſſaliæ cùm colatur potius in Thracia quæ & Odryſe ὀδρυσὴ. Idem lapſus vel in optimis exemplaribus Martialis. verùm libro II. In Rufinum legitur ſine menda:

Da caput Othryſiis, truncam mereantur Achiui.

quia propter lanienam & ſtragem Theſſalonicæ editam conſilio Rufini, caput ipſius vrbi offenſæ debebatur.

Cap. XII.

IN IIII. Conſ. Honorij. In veteri codice quæ ſequitur dictio ita erat expreſſa, vt vix de ea ſtatuerim:

Protectaque portas.

Teſtudo feriat.

Dixiſſes ſcriptum eſſe Proiecta. quod interpretari licet de Teſtudine ſeu machina bellica quæ in portam hoſtilem emiſſa ſit, in eámque irruat. Sic Senecæ dicuntur in venerem proiecti, qui in furias ignémque ruunt. quinetiam Proiectus eſt aliquando extenſio & ſeu προβολή Cicero de Orat. dixit: Brachium proiectum quaſi quoddam telum. Sed quia teſtudo depingitur crudo corio aut alia materia cõtecta, atque modò caput exerat, modò ſubducat τὸ Protecta, quod ferè in omnibus excuſis, meruit recipi. vide & Notit. Libro 3. Raptus erat etiam diuerſa lectio cuius non habui rationẽ, ſed eam, ne quid ignores, hîc iuuat apponere:

Qualis peſtiferas animarum ad crimina taxos

Torua Megæra ruit.

quaſi dicat Megæram in Acherontea ſilua taxos euertere ſeu incidere, ad puniendas aut luſtrandas ſontes & crimine pollutas animas. atque hunc locum forté clarat Statius:

Nec dum trunca luſtrauerat obuia taxo

Eumenis.

Apud Claud. etiam Stilicho ſiluas vmbone ruebat. & Horat. Iniurioſo ne pede proruas Stãtem calumniam. Sed enim vulgaris lectio ſatis plana eſt. Cæterùm doctus Parrhaſius in hunc lib. 3. præfatur ſe lucubrationes ſuas in cætera Claudiani poëmata emiſſurũ. In 4. Hon. Cõſulatum. poëta refert Leges veteres ſub iuuene Principe emendatas. Gallus quidam temporibus Karoli Magni ex Ida-

cio scribit Theodosium magnũ Anno Imperij sui vndecimo Romam cum filio Honorio ingressum leges Romanorum integra emendatione edidisse. ne verò hæc intelligas de nostro C. Theodosiano quia Theodosius Iunior eius nepos has partes sibi vẽdicauit. deinde Anianus ex præceptione Alarici Regis Tholosæ. Ceterùm Augustus Cęsar monuit olim Senatum ne leges fixas refigeret, peiorem enim esse nouationem bonã, quàm vel deteriora antiquorum instituta.

Lib. I. in Rufinum doctus Delrius hæc ita accipit contra vulgi opinionem:

Tacitique sepultos

Suspirant gemitus.

vt dicat sepultos gemitus suspirare, cui adsidet vet. Panegyris:

Nobis incluso gemitu mærentibus.

Cap. XIII.

Lib. I. de laudibus Stil. Poëta loquitur de industria & prouisione Fl. Stilichonis, eúmque nautę perito comparat, qui:

Exiguo claui flexu declinat aquarum

Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina.

quæ videntur desumpta è Panegiri ad Constantium Cæsarem quę falsò tribuitur Maximiano. agitur enim de expeditione maritima Britanniam versus. Ita vt eius exercitus die pluuio vela faceret ac ventum quia directus non erat captaret obliquum. ad quem locum etiam nonnihil pertinere videtur illud Ammiani de draconibus (quorũ meminit poeta In Ruf. II. & in 6. Hon. cõsulatũ) Dracones, inquit, hastarum summitatibus gẽmatis illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarúmque volumina obliquãtes in ventum. quę lect. ex I. Cuiacij ingenio prouenit eam sanè monitu ipsius in ora mei codicis notaui, ac facilè credo quid certius esse quàm cõiecturam. Item ex Am. verbis: hiatu vasto perflatiles est qui libẽter legat apud Claud. Quid fissa draconum ora velint? sed &, Fixa, vetusta marmora comprobant, & quæ depinxit Lipsius.

Libro de Bello Gildoniaco pulchrè Claudianus attingit historiam.

ductósque Camillus,

Trans murum pueros obsessæ reddidit vrbi.

Magister ludi (ait v. Max.) nobilissimos pueros velut ambulandi gratia eductos in castra Romanorum perduxerat. At de ea re. Senatus censuit vt pueri vinctum Magistrum virgis cædẽtes in patriam remitterentur, ô quàm circunspectiùs egit poeta, qui in omnibus decorũ seruat, quis enim admittat facilè sanctum Senatum ita de-

creuiſſe,aut factum huiuſmodi probet?contra illud Iuuenalis:

Dij maiorum vmbris tenuem & ſine pondere terram
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco.

Sané id contra bonos mores ac honeſtatem, imò contra artem æqui & boni. atque in his rebus diuini muſarum alumni quibuſdã hiſtoricis palmam præripiunt. niſi eadem ratione magiſtrum ac diſcipulum ſenatus punire voluerit, vt proditionis correos : hoc enim caſu qui agit, patitur.

Libro de Bello Getico dixit figura ſumpta à remigibus.

Nunc inſtare manu, nunc toto pectore niti
Communi pro luce decet.

In duobus manuſcr. Varia lectio : in hoc enim, Pectore, in altero, Robore : ſed malim Pectore, nam Silius:

Et ſimul adductis percuſſa ad pectora tonſis.

Lib. I. In Rufinum quædam antea notauimus in illum locum:

proh ſæuior enſe
Parcendi rabies, conceſſáque vita dolori

Verùm huc etiam pertinere videntur quædam in C. Th. De bonis proſcriptorum. ij enim Nuditatem lugent, & gladio acerbiorẽ ſtilum patiuntur.

CAP. XIIII.

IN Epigrammate de Perdicca quædam videntur ſub obſcura, quibus ſi aliqua lux per me affulſit non eſt tanta, vt non etiam hæc Ouidij aliquid proficiant; de Cupidine autem loquitur:

Namque pharetratus dum dat puer oſcula matri
Inſcius extanti diſtrinxit arundine pectus

In Epigr. de Perdicca oblitus ſum Policaſtes filiæ Neſtoris.
Sub initium IIII. Conſ. Honorij poeticè dixit ac μετωνυμικῶς :

Arx incenſa Iubæ.

Qui locus aliter à Delrio accipitur : Firmúmque Gildenis fratrem intelligit. & verò Claudianus aut Mauritaniam, aut Africam denotat à Theodoſio comite debellatam; aut Cirtam, ſeu mauis Cirtham; ita enim P. Mela : Vrbium quas habet Mauritania maximæ ſunt Cirta procul mari nũc Sitianorum colonia quondam Regum domus Iubæ & Syphacis. vide reliqua.

In poematio de laudibus Nili eſt dictio quæ mihi ſæpius iniecit ſcrupulum.conſului enim,puto, omnes geographos neque hilum

profeci. Ortelius de quo plura ſperabam quia in his rebus λαμπυρίζει nihil noui adfert. hi verò ſunt verſus Claudiani:

Hunc bibit effrenus Garamas, domitórque ferarum.

Cyrrheus. qui vaſta colit ſub rupibus antra, Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos. Plantini editiones habent Cyrtæus à Cirtha vrbe, opinor, de qua ſuprà. Ex v. cod. Cuiacij legendum putabam Cyreneus tribus Syllabis, præferebat enim Cirenus. Sane in Cyrenaico tractu ſunt Garamantes de quibus poeta. Sed & Scoppa legi vult. Candeus, quod non placet vllo modo. Quis verò ille populus, qui vaſta colit ſub rupibus antra? Troglodite nimirum dicti ἀπὸ τῶν τρώγλων à ſpecubus, ſunt enim populi Æthiopiæ ſub Ægypto in ſinum Arabiæ & mare rubrum vergentes: hi ſpecus excauant, hæ illis domus. vide Plinium.

Lib. II. In laudes Stilichonis eſt verſus elegans ac ſubtilis quem tibi edo.

Ocyor excuſſo per nubila ſidere tendit.

Sunt autem ἀπόρροιαι ſeu fluxus ignis ætherij ait Seruius: vnde in Panegyri Manlij: Quæ flamma per auras Excutiat rutilos tractus. Aratus: Καὶ διὰ νύκτα μέλαιναν ὄπ' ἀστέρες ἀΐσσωσι ταρφέα. quæ Pleniùs explicat Maro in Georgicis: Sæpe etiam ſtellas vento impendente videbis Præcipites cælo labi, noctíſque per vmbras Flāmarum longos à cælo albeſcere tractus.

In IIII. Conſ. Honorij: Quis miſcuit ignes Sidonij rubríque maris, id eſt gemmas, vt à nobis iam notatum eſt; verùm adde illud Martialis.

Gemmatum Scithicis vt luceat ignibus aurum.

Scythas ſmaragdos eleganter dixit Sid.

CAP. XV.

IN IIII. Conſ. Honorij. vetus codex hunc verſum ita exhibet.

Perfidiam damnas? Meti ſatiabere pœnis.

Itaque ſtatim conieci primam ſyllabam in nomine iſto produci, quod mihi confirmauit Seruius in VIII. Æn. vbi.

Haud procul inde citæ Metium in diuerſa quadrigæ.

Nomen, inquit, mutilauit metri cauſa. & verò, omnes quos habuit Pierius codices (habuit autem omnium vetuſtiſſimos) Metū præferunt. Sed magis eſt vt ſit ſynæreſis, vt Ferreî & Aureîs apud virg. neque enim dubito, quin Metius verum ſit. at in genitiuo commodè magis verſum ingreditur. ſic in antiquis inſcr. HonorI

ac TheodosI reperias. ita etiam apud Claudianum licet reponere MetI, ac MucI. neque id latuit Sidonium cuius versus est citra exceptionem aut dubium: Occuluit refugi nutantia federa MetI.

Libro De Bello Getico, antiquus liber habuit.

Viuúsque redit color vrbibus ægris.

At in excusis quos viderim Calor sese offert. ego alterum elegi, quia venustius. viuus autem color est roseus seu purpureus, seu inter candorem & ruborem, vel pulcra temperie mistus. vnde purpurei olores dicuntur Horat. cuius rationem reddit Seruius. Eleganter verò Flos vmbriæ Propertius:

Et color est toties roseo collatus Eoo,
Cùm tibi quæsitus candor in ore foret.

In eiusdem libri Præfationem citaui Inscript. veterem, vbi pro Attamen repone Adtamen, vt disertè monet G. Fabr qui viderat. Is etiam pro Κλαυδιανον Κλαυδιανω habet sed magis credo Pierio. In Inscr. Stilichonis Adque non Atque.

Lib. I. Proserp. sub initium videtur loqui de Phæbo vt iam asserui:

Claram dispergere culmina lucem
Aduentum testata Dei.

Atque huc videtur respicere locus Propertij loquentis de templo Apollinis seu Phœbi.

Auro solis erat supra fastigia currus. ad quæ non dubito quin alluserit poeta noster, in re multis retro sæculis præsumpta, exemplo Virgilij qui toties alludit ad morem Romanorum vel sui æui vbi agit de Troianis & Rutulis. scitum est verò quid sit apud Gellium de Velinis portubus.

Item in Proserp. v. codex habuit, Si tu nota Ceres, non Sancta. sic Virg. Notâ maior. & Hîc postquàm Iliacas vestes notúmque Cubile Inspexit. vt libro III. Prof. Ceres: Ceu natam prestat gremio, castumque cubile, Desertósque thoros, & sicubi sederat olim Perlegit.

CAP. XVI.

LIbro II. in Eutropiũ versus hic satis est difficilis mea quidem sententia:

Contexit varius penetrans Calcedona nidor.

Quæ lectio in quibusdam variat, nam & Contexitur legi in quodam libro. sed Cuiacianum exemplar habuit.

Contexti varius penetrat Calcedona nidor

Quid si transposita litera, vt sit Contexit pro Contexti librarij lapsu. ego verò Contextim legendum augurabar quæ vox si Latina est vt est, nisi me animus fallit, non video cur rejiciatur. Sed enim vulgaris lectio idem signare videtur. Itaque non inuitus retineo.

In Panegyri Manlij. est locus satis reconditus sed notabilis:

Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis quàm qui responsa secutus
Obruit Eoas classes, vrbésque carinis
Vexit & arsuras Medo subduxit Athenas.

Tangit Græcam historiam. Themistocles nempe oraculo obediens ciuibus Atheniensium suasit vt relicta vrbe, muris ligneis saluti suæ consulerent, id est nauali pugna periclitarentur: ideoque vrbem carinis Vexit, vt est in v. cod. atqui in alio manu exarato legimus Texit, sed alterum præualet: vt mihi persuasit vir elegans & clari iudicij I. Turnerius. Vrbem igitur vehere, ciues vehere est. eadem figura dixit Ouidius ex Virgilio: Cùm Troiam Æneas Italos portaret in agros, Est dea sacriferas pæne secuta rates. Vide quæso Plutarchum in vita ducis illius magnanimi, sed patriæ desertoris.

Lib. II. In Ruf. Delmatiæ in v. c. non Dalmatiæ: quod mihi placuit, cùm scirem antiquos Lucani codices ita præferre, & Græcis id obseruatum. Sed enim vet. inscriptio habet Delmaticum.

Libro. II. In Eutr. legitur in v. c. Flos Syriæ feruit spolijs, quod non est contemptibile. At Del. ni fallor indicauit in manuscr. suo legi Seruit, cuius etiam habenda est ratio.

Libro III. In laud. Stil. hæc ita in excusis omnibus:

Sed quod iucundior esset
Lucis honoratæ fructus.

Nos veterem librum secuti sumus, & tamen expende, si libet.

In Manlij cons. hunc versum ita repræsentat v. codex:

Abductóque hominum cumulent æraria sensu.

Græcis profectò ἀργύριον ψυχή. Ouid. Viscera nostra tuæ dilaniantur opes. aliàs: Addicto censu, satis propriè.

CAP. XVIII.

IN consulatu Honorij VII. Poeta noster sui nobilis iudicij ac moderationis scintillam acutè exerit, stat enim medius inter gentilem & Christianam, vt ita loquar, historiam; in his videlicet, vbi de M. Aur. Antonini cælesti victoria (quæ contigit anno salutis CLXXVI.) contra Quados init rationem.

Tunc

Tunc contenta polo, mortalis nescia teli
Pugna fuit. Chaldæa mago seu carmina ritu
Armauere deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Hîc vir summæ doctrinæ zelo pietatis accensus hac vtitur apostrophe ad hunc auctorem: Prorsus & tu &, quem secutus videris, Cocceius Dio falsi conuincimini. ego verò nihil contra Claudianum in meis Annot. pronuntiare ausus sum, neque putaui quid tale ipsum mereri, quia potiùs credit deum bono principi in rebus angustis venire suppetias. quod Constantius ac Theodosius magni Impp. experti sunt. sed enim orthodoxi nostri pleniore ore hæc vnico Dei filio vero Deo adscribebant, gentiles autem quia Christum vel sponte, vel fortuitu nesciebant ea quidem Deo cæli & terræ conditori & arbitro, aut superis vel imis deorum ferebant accepta. Exemplo erũt Dio & Xiphilinus. Ex iis quædam, vt sinet memoria, indicabo. Ethnicus auctor sed illustris, ait Romanos milites solis ardore ac siti propè exanimes repenti imbre fuisse releuatós dei beneficio. dein subiungit hoc Arnuphi cuidã magici ritus peritissimo ex vulgi sententia tribui. cùm verò propinquaret hostilis exercitus vehemens grãdo, & fulmina obuiam ac destinatò sese immiserunt, & quæ iuuit pluuia Romanos, olei instar fuit vstulatis. Simile quid etiam in Africa Anno XLIII. contigisse tradit historia. quinetiam lib. LX. multa edisserit de pluuia quæ incantationibus elicitur. Præterea legionem Fulminatricem, quam ab euentu asserui, pluribus annis ante Marci huius Imperium fuisse notant inscriptiones aliquot. quid plura? in columna Antonini quam Sixtus V. PP. magna impensa erexit huius miraculi monimentum apparet; nempe Iuppiter pluuius alis decoratus, promissa barba, extẽsis brachiis sub quibus fulgurum caducorũ species. hinc milites Romani integri pluuium excipiunt fauorabilem, inde Quadi ceu igne flagrantes equis fulgere tactis decidui. quæ tibi satis demonstrant schema paganicum. At enim auctor Epitomes pulcrè famæ mendacium explodit, eáque omnia Christianorum precibus euenisse commemorat. atque in hanc rem, opinor, Tertulianus dicit: Quãdo non geniculationibus & ieiunationibus nostris siccitates sunt depulsæ? Idem: si litteræ Marci Aurelij grauissimi Imp. requirantur quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. vbi autem hæc Epistola inueniatur docet Delrius: eã sane studio veritatis excitus tibi ederẽ si libellus hic sineret. Scias verò hæc pleniùs tractari in admiranda magni illius Baronij Historia, neque enim nisi cutem huius capituli nobis adsumimus.

CAP. XIX.

IAMEN ab Historia delenifica inuitus diſcedo. iuuatque haud vulgaria detegere de magico ritu & ſuperſtitione ludicra, quam nec Claudianus neque alius quiſquam frugi approbauerit. vt ſuprà attigimus. Cedrenus itaque auctor Græcus tradit à Libanio ſophiſta (ſi diis placet) & Iamblico galli gallinacei diuinationem fuiſſe inſtitutam. Scripſerant nimirum in puluere litteras Græcorum XXIIII. at ſingulis vt granum frumenti impoſitum eſt gallus ſeu pullus emiſſus grana litterarum Θ. Ε. Ο. Δ. abſtulit. ac deſignationem Imperatoris poſt Valentem futuri ambiguam reliquit: vnde multi Theodoſij Theodori ac Theodoti ſibi vita erepta ex heredes fuere: inter quos Theodoſius, Comes qui, vt tacitè queritur Pacatus coram eius filio, tali augurio Imperator eſſe debuerat. Ad hanc rem etiam nõnihil pertinere videtur locus Ammiani lib. XXIX. Viſus, inquit, adoleſcẽs in balneis admouere marmori manus vtriuſque digitos alternatim, & pectori, ſeptémq; vocales litteras numeraſſe; ad ſtomachi remediũ prodeſſe id arbitratus, at in iudiciũ tractus percuſſ⁹ eſt gladio poſt tormenta: quaſi hæc in Principis forent exitium. eiuſmodi ſane amuletum inſcius repræſentat Elias Vinetus vir alioqui probus & nobilis induſtriæ ex veteri ſepulcro & cadauere quod ante LX. annos prope Inculiſmam repertum eſt. Erat lamina precioſa circa regionem cordis vbi ſeptem vocales græcæ ita ſuas ſedes vndiquaque variabant.

α ε η ι ο υ ω
ω υ ο ι η ε α
ε η ι ο υ ω α
υ ο ι η ε α ω
η ι ο υ ω α ε
ο ι η ε α ω υ
ι ο υ ω α ε η

Ex quibus minimo iam negotio colligas hæc homini ſuperſtitioſo fuiſſe ad ſtomachi dolorem ſeu ad palpitationem remedium. at enim quidem non dubitauit hoc rarum & nobile, quamuis haud magna in re, monimentum inter ſuppoſititia referre. quod ſane nõ fecit conſilio aut auſpiciis magni illius, qui vadimoniũ quoduis potius deſereret, ſat ſcio, quàm Vineti ſui cauſam bona fide ac rei veritate ſubnixam. Dicunt tamen ab homine tanto illuſtrari Alamanniam, quod facilè euincit eius Lampas ſplendidè accenſa, & Martialis, cui locis plus quingentis vt aiunt fecit medicinam, quã Ignorabat fortè Iunius archiater: verùm vt ad rem redeam Q. Serenus vir in arte ſua haud futilis hemitritæum depelli ait, ſi

Inscribis chartæ quod dicitur Abracadabra,
Vt magis atque magis desint elementa figuris,

Abracadabra
Abracadabr
Abracadab
Abracad
Abraca
Abrac
Abra
Abr
Ab
A

Prætererea idem vir erudite simplex, & vbi opus est subtilis febri quartanæ mox grassaturæ ita medicari præcipit:

Mæoniæ Iliados quartum suppone timenti

Quin etiam, quotidiana Triticeum metuit granum, si credere dignum est, quod fuerit repertum sub pane fracto. aut si ossa in septis domorum inuēta collo appenderis. sunt infinita alia apud opptimos auctores.

Neque Basilidis impij sectatores, vt pulcrè notauit rex hominũ Baronius, ab hac labe immunes fuere. Is verò septē elementis concepit summæ Virtutis nomen, ex qua dij reliqui dimanarēt, numero trecenti sexaginta quinque, quibus euidens summi omniũ deorũ Αβρασαξ nomē cōpositũ est. nēpe vt explicant Irenæus, Tertullianus, & Augustinus viri sancti α & β vnum & duo ρ & α centũ & vnũ σ & α ducenta & vnum ξ sexaginta indicat. Idem planus fingebat 365. membra in homine, & vniçuique virtutē adsignabat. Nuper autem è ruderibus gēma amethystina Romæ eruta est, quã habuit Fuluius Vrsinus. In ea sculptus visitur adolescēs græcis characteribus satis belle insignitus. eius vertici bacillus hæret, in pectore vmbilico tenus hæc inscripta elementa decē lineis ordinata: nec femori vtroque, aut brachiis, aut cruribus sua deest inscriptio. altera manus clypeum, altera bidentem gerit, in quo hæ litteræ, sed quadratæ φηνθρεαξλ ωαμουλαχ αβεασαξθουθ. postica effigies leonem ac tauri caput exhibet quod ad Deũ Mithram referri haud obscuris indiciis mihi persuaderē, nisi hæc signa ad geniturain eius qui gestabat referret tantus historicus. vnde Claudiani Epig. in curetiũ & librum I. in Rufinum dè gente chaldea & signis sagacibus.

CAP. XX.

MIHI verò silentium eram indicturus, cùm notarũ aliquot denuo in memoriam venit. quibus hæc verè Miscella augeantur: id enim agunt obnixè typographi, à quibus meo magno ma-

lo me abesse reor. neque enim vna me conficient plaga, vt spero, dum nimis festina opera se mihi probare satagunt.

Libro II. Raptus dixit poeta:

Se sponte relaxat

Squalor, & æternam patitur rarescere noctem.

Vbi quidam Clarescere. sed Ammianus li. 26. ita loquitur: Apronianus opera curabat enixa vt veneficos qui tunc rarescebant, indicatis consciis morte mulctaret.

Eodem li. II. vulgati libri ita præferunt hunc versum.

Illi multifidos crinis sinuatur in orbes.

Quod sanè agnoscit alter cod. è Bibl. Cuiacij. neque absonum credo quamuis sibilus aurem attingat, nā Ouidius auctor puræ latinitatis ita cecinit de capillis dominæ:

Quam se præbuerant ferro patienter & igni,

Vt fieret torto nexilis orbe sinus.

In carmine ad Hadrianum P F. P. hic versus quibusdam fuit suspectus variéque legitur in manuscriptis:

Darium famuli manibus doluisse peremptum,

At Ouidius in Ibin etiam produxit hoc modo:

Vtque necatorum Darei fraude secundi,

Sic tua succendens deuoret ora cinis.

Tres quippe Darei vel Darij fuere apud Persas. hunc verò secūdum Germaniæ historicus eundem facit cum Assuero, cui Ester laudatissima placuit.

Lib. I. Eutropium bellè increpat Claudianus in hunc modum.

Tu potes alterius studijs hærere Mineruæ:

Tu telas non tela pati.

Quibus videtur imitatus Ouidium, qui è contra ad Achillem:

Quid facis Aeacide? non sunt tua munera lanæ,

Tu titulos alia Palladis arte pete.

Quid plura? certe nisi tēperarē digitis hæc penna per æquor papiriū ad fastidiū vsque legentis volitaret, adeo multa vel in memoria, vel in scriptis habeo, quæ ad huius poetæ lucem pertineant.

Cæterùm ne paginæ aliquot vacarent I. Cuiacij viri incōparabilis Oratiunculā ad Henricū III. Regem Galliarum anno 1588. mense martio Parisijs habitā cūm responso eiusdem Principis natiui sermonis elegātia admirabilis hîc apponā. Adfui autē Doctori nostro Reginæ matris, vbi Rex consiliabat, sacrariū inituro. horū hæc Latina est sententia quātùm ex ipso postea elicere potui. habuit verò chartulām vbi hæc fere delineata erant ad memoriæ, si opus fuisset, subsidium, quam per transennam vidi cum staret pro foribus sacri cubiculi.

IA. CVIACII VERBA.

FORTBAN Mirere, Princeps Inuictissime, quod tuę maiestatis fulgure nō deterrit⁹, quinimò delinit⁹ ausim teipsū cōfidētiæ meæ testem facere. sed (quæ vera laus) ingens dicendi stimulus, faustíq; signū exitus erit tua principij seueritas. vt me iam tibi corā seruiēdi cupido solicitet vix effabilis. quod nisi tu, pręstiterit nemo. Aetas hæc annis obsita adminiculum orat, sex vtiq; lustra & plus eo Iuris professioni dedim⁹, nec de me, opinor, togata gēs quiritationē vllo meo merito instituat; aut diligētiæ minoris vel iniqua valetudine insimulet. Idē semper fui qui fuerā. sed enim prouincia illa grauior indies mihi successorē dari, quasi euocato, tacitè deposcit. Afficiūt me etiā variè erūpentes licet inaspicuo lumine scintillulæ, nec vana armorū auguria. Mun⁹ solitū & quod melli hactenus abit spōte in desuetudinē. idq; saltē intermittere, nisi abnueris, stat sententia. neq; verò video cui votiuā hanc tabulā vuidásque & humiles sortis meæ exuuias potius quā tibi, ô maris terræq; florētioris Arbiter adfigere deceat. sic fiet nimirū vt serenitatis tuæ radiis propior, aut, honore aliquo recēti per te auct⁹ vel in tenebris micem. aut si quid fortuna Galliæ titubauerit animulā hāc per omnia extrema in sinu matris vrbium volens mea vice exhalare queam. Atque hæc voti mei summa pridem meditata nunc è recessu intimo sua vi se eliminat: quam si aliorsum acceperis è tui conspectus luce abscedam, quò me fundi mei duxerit calamitas.

REGIS MAGNI RESPONSVM.

AGNOSCO in te, Cuiaci, animi haud quaquam erga me infidelis argumēta. quare vix est vt petitioni tuæ refragari velim. nam si militia functis sæpenumerò honesta missione prospexi; minimè mirum videbitur si tibi vigiliis ac laboribus quadam tenus attrito ocium cum dignitate faciam. verùm quia me publica etiam tangit hac in parte vtilitas, videóque tuo corpusculo subesse pauxillum roboris, vt impar nō sis omnimodò curis, quas vestra illa studia dicuntur exigere; præoptem sanè, vt tantisper voto iuuentutis non solùm nostræ sed, vt audio, Germanicæ indulgeas, dum ego te ab isto profundo quasi manu educam in vadum; vbi leuiore animi contentione ac periculo, maiori tuo bono & honore fluctues. Quod si fixum estne diutius muneri tuo adsis; nos quoque tibi vel inuiti subsidio erimus: quæ enim à me habuisti si non sunt artibus tuis paria, dabitur fortè opera ne benignitatem meam frustra lacessisse videaris. quod vt aptiùs fiat, poteris meum Cancellarium conuenire, atque apud eum tua desideria & sensa deponere: ille enim mihi de te sentire vt qui optimè visus est: quod equidem tuo meritò libens tribuerim. Atque ita Princeps iucundissimus sed maiestatis eximiæ nutu blandiente virum diuinum à se dimisit.

S. PAVLINI EPISTOLA ELEGANTISSIMA ET PIA IN PRIMIS.

NON AB RATIONE EDITA, AC locis aliquot restituta:

Cum nobili & pio carmine quod hactenus Claudiano alteri adscriptum est.

Iouio fratri. Paulinus salutem.

FILIIS nostris Posthumino & Theridio patriam de Campania quam nostri gratia accessere petentibus, non scribere vnanimitati tuæ contra officium & affectum putaui. Non ab eo tantùm præcauens ne viderer communis obseruātiæ studium insolita à te mihi negligentia præterire, sed multo etiam illud magis ne de tua in Deum mente secùs crederer iudicare, si omnem scribendi tibi occasionem diligens, per viros religionis insalutatum te tanquam à sanctis hominibus abhorrentem prætermitterem; cùm certè studiosus Christiani nominis comprobatórque propositi etiam nostri amore doceaRis, Suscipe igitur libens non illos ex meis litteris, sed litteras meas de illis probans, qui summa id ipsum sanctitate curarunt, vt religioni haberent vel patriam te non adeundo reuisere, vel te sine meis scriptis adire. Aptè autem mihi visa est ad id quoque huiusmodi tabellariorum persona congruere, vt aliquid de pristina illa epistola responderem tibi, quam tu ad illas mihi litteras, quibus ma-

nifestum diuinæ potestatis in elementis & curæ circa nos beneficium prædicaueram, retulisti. Nam profectò retines me de tuis scriptis, id de quo tunc gratulans responderam comperisse, vnde suaseram ne casibus Dei munus adscriberes, & fortè magis quàm numine arbitreris argentum illud sancti commercij inter hibernos turbines & nautas auaros amisso custode seruatum, in illud potissimùm littus eiecta naui, in quo familiare nobis oppidum tibi patrimonium tutissimis rem nostram finibus exceperat. Sed tu iterum mihi de tempestatis iniuria magis querulus quàm de clementia Dei gratus, omnis motus elementorum inter quos diuina tantum manus humanam salutem tueri valet, actúsque nostros quos summi Domini potestas regit, & pro nostris meritis vertit, aut dirigit, vacuis fatorum fortunæque numinibus tanquam æmulis Deo potestatibus subdidisti, in quo ne te existimes Deo detulisse, cùm iniuriosè potius vt erat Dei beneficium esse nolueris, dicens ideo hæc à diuina potestate secerni oportere, quia casum magis quàm Deum deceant mala. Id autem sine dubio malum esse, quo periculum sæpe homines aut damnum capessunt: In quorum malorum (vt video) numero tẽpestates locas, quibus aut in terra agrorum sæpe vastitas, aut in naui naufragorum ærumna capiatur. Sed hanc sententiam video de illis obortam magistris, qui sapientia sua superbi, sapientiã Dei quærere dedignati, à finibus veritatis exules agũt, adsertores opinionum suarum, qui missis per inane magnum mentibus euanuerunt (sicut scriptum est & probatur) in cogitationibus suis, & pro suis arbitriis opera Dei & consilia finxerunt. Illis mare vel cælum casu regi commouerique videatur, qui mundum istum aut sine rectore vacuum, aut ociante neglectum Deo, fortuitis lapsibus volui disputant, aut nullo auctore compositum, vt principij, ita finis expertem. Quod corporea qua mundus iste, cuius singuli portio sumus, natura non obtinet, quia omnis compago resolubilis; aut quod stultius est ex semetipso creatum volunt, tanquam vlla res ipsa sibi possit esse

-causa nascendi, vt sit eadem creator, pariter & creatura, id est opifex & opus: quæ vt nomine, ita & genere ac statu discrepare perspicuum est. Quis enim non videt mundum istum corporeum vi incorporea gubernari, notámque molem infusam atque permixtam magno vniuersitatis corpori diuini spiritus mente qua facta est agitari ad vitam! temperari ad vsum? contineri ad statum? ordinari ad diuturnitatem? Cùm ergo constet quod cernitur aut sentitur alienæ opis vt consistat & maneat indigere, non potest ambigi aliunde etiam vt crearetur eguisse. Quod cùm ita sit, omnia ex Deo orta fateamur necesse est. Quia nisi prophanis in dubium venire non potest, mundum Deo auctore confectum: proinde ventos & omnia quæ intra mũdum, partes molis eiusdem, & quasi viscera corporis sint, non ad alterius regimen esse referenda, quia neque regi continerique paterentur diuinorum operum virtutes, hoc est, substantiæ naturarum omnium in tanta discordia sui, nisi ab ea tantùm natura atque virtute, hoc est Deo vno omnium conditore, à quo vno fieri ordinarique potuerunt, & cuius leges nisi seruarẽt, statum suum non obtinerent, Multò autem ineptius est, vllam culpare naturam & malam dicere: quoniam si à Deo omnia, & Deus bonus est, omnia profectò quæ fecit Deus bona. Si qua autem sunt in arcanis statutorum eius altiora sensibus & cogitationibus nostris, etiamsi rationem eorum consequi & colligere non possumus, tutiùs tamen nobis est magis occultas esse rationes quã nullas credere. Quia non ambigẽdum omnia Dei esse, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta. Itaque si totum mundũ Deus qui condidit & gubernat, quo in loco, vel cui creaturæ casus & fatum aut fortuna dominabitur? Si de motibus vel ordinibus astrorum (vt quidam volunt) pendent de igniculis non solùm Deo, sed & mundo ipso minoribus, immò etiam mundi ipsius tertiam partem ministerio famulæ lucis ornantibus, istam quam Deo ęmulam facis potestatem trahunt. Nam certè diuinę potestatis est elementa turbare, ventorúmque violentiam vel excitare

positam,

positam, vel incitatam refrenare, & furoribus tempestatum vel dedere; vel eripere mortales. Qua potestate cum omnis creatura pareat vni omniũ creatori subdita, quomodo iis diuina vis & potestas datur, quæ non solùm nomine creatoris, sed etiam creaturæ specie carent, vacua non spirituum, neque corporum nomina gerendis, vel significandis rebus aptata; Si quidem & fors verbum dubitantis sit, & fatum profantis expressio, & casus significatio cadentium vel accidentium, tamen ab vsu erroris antiqui ob ignorantiam Dei, rationis inopes, cassa nomina tãquàm in Deo nomina, quæque sint in speciem corporatam stultis cogitationibus fingunt, stultiúsque quàm finxerint, donant honore diuino: vnde & Spes & Nemesis & Amor, atque etiam Furor in simulacris coluntur, & occipiti caluo sacratur Occasio, & tua ista Fortuna lubrico malè nixa globo fingitur, nec minore mendacio fata simulantur. vitas hominum nere de calathis, aut trutinare de lancibus: quod deliramentum ne vulgo imputemus, aut nimiùm philosophos admiremur, Platone etiam delirante narratur, qui in gremio anus pensum necessitatis exponit, & tres ei filias addit concinnantes & versantes fusum, & per fila ludentes, hoc scilicet lanificio autumnans eas conficere res hominum, & tempora cuique signata detexere: tantum abusus est humanis auribus arrogantia inanis facundiæ, vt ridiculam anilis fabulæ cãtilenam non erubesceret scriptis suis, quibus de diuina etiam natura quasi conscius disputare audebat, inserere. Sed nobis in illo sermonis tantùm Attici comitas, non inanis fabulæ spectanda concinnitas: quæ demulcendis tantùm auribus edita sunt, non debent sensuum fundamenta conuellere, quin potius vt ratio & veritas docet, omnia operum Dei in quibus consistimus, & quorum pars sumus, omniáque munerum eius, quibus inter vitæ istius fragilis & caducæ incerta regimur atque seruamur, ad ipsum referamus, nihílque ab illius potestate nostro remoueamus errore, quia velimus nolimus, ipse nostri vt omniũ & creator & Deus est. Et quia quãtus est, bonitas

&c sapientia & origo orationis est, nihil nisi ratione constituit, & ad materiam suæ bonitatis creauit. Ipsi omne quod sumus impendamus, & quæ illi placita sunt, studeamus discere, & facere curemus. Tunc defæcata mēte puriùs intuentes, videbimus hanc esse veritatem, vt à Deo sint cuncta quæ sunt, & hanc esse consequentiam, vt omnia Dei facta pulcherrima sint, & non sit malum quod bonum habeat auctorem, qui cuncta per mundum nostris vsibus præparauit, & nostris vtilitatibus agit, & ita istius vniuersitatis opus condidit, vt alia ad seruiendum, alia ad exercendum, alia ad dominādum creauit. Itaque corporis animalibúsque naturis homines ratione dominamur. Sed ne ipsa potestatis nostræ licentia resoluamur, vtiliter exercemur aduersis, aut spiritibus dæmonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipsorum sæpe elementorum motibus, videlicet vt exagitati curis prudētiæ & metu diuinitatis acuamur. A quo nos quæ deberet magis gratificos Domino æterno facere securitas, negligentes facit. Vnde & magister gentium Apostolus ait arcano diuinę pietatis consilio, & magno humanę salutis emolumento, opponi quosdam obices cursibus nostris, & aduersis secūda mutari, vt morbos, damna, discrimina, quia tribulatio patientię robur operetur, & patientia probationem fidei pariat, & prēmium glorię conferat. Quod certè virtus capere nisi victrix non potest, non habitura victorię facultatem, nisi cum aliqua priùs difficultate certauerit. Quod cùm prudentię tuę quam & ingenitam & eruditam habes, litteris quoque ipsis, quas vtinam iam vt iudicio, ita & studio sacris literis posthaberes, potuerit intimari, quibus egregiè clarorum indicibus aut philosophia virorum virtutes ad nobilem famam, non nisi per labores & pericula emicuisse memorantur, admodum miror, cur in veritate perspicua diuini muneris ita volueris caligare, vt mirabilem illam nauis iactatę salutem, & euidentibus signis procuratam nostrę rei diuinitus terra maríque custodiam, fortuitis euentibus dederis, tantámque occasioné diuinę prędicationis effuderis. Erige in sum-

mam ſapientię mentem tuam, & ipſum veri luminis fomitem Chriſtum pete, quia fideles animas illuminat, & pectora caſta perlabitur: quod & te ita ſentire docuiſti, licet pro excuſatione prętenderis imparem te adhuc, & ideo non capacem Dei, quia terrenis rebus & curis obſeſſus, ab altiore ſuſpectu cęleſtium quaſi nubibus interpoſitis arcearis. Sed vtinam iſta tam verè poſſis obtendere, quàm facundè potes, Arguit enim ipſa facundię tuę doctrinęque fœcunditas, voluntatem tibi potius in ſacris literis parem, quàm aut vacationem, aut facultatem abeſſe. Non enim opinor dormiens, aut aliud agens tantas oris aut pectoris diuitias coegiſti. Omnium poëtarum floribus ſpiras, omnium oratorum fluminibus exundas, philoſophię quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam diues literis, Romanum os Atticis fauis imples: Quęſo te vbi tunc tributa ſunt, cùm Tullium & Demoſthenem perlegis, vel iam vſitatiorum de ſaturitate faſtidiens lectionum Xenophontem, Platonem, Catonem, Varronémque perlectos reuoluis, multóſque prȩterea quorum nos fortè nec nomina, tu etiam volumina tenes, vt iſtis occuperis immunis & liber, vt Chriſtum, hoc eſt ſapientiam Dei diſcas. Tributarius & occupatus es, vacat tibi vt & philoſophus ſis, non vacat, vt Chriſtianus ſis, Verte potius ſententiam, verte facundiam. Nam animi philoſophiam non deponas licet, dum eam fide condias, & religione conſerta vtare ſapientiùs, vt ſis Dei philoſophus & Dei vates, non quęrendo, ſed imitando Deum, ſapiens, vt non tam lingua, quàm vita eruditus, tam diſſeras magna, quàm facias. Eſto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo, verè in Chriſto ſapientię prędicator, & tandem tacitus vanitati pernicioſam iſtam inanium dulcedinem literarū, quaſi illos patrię oblitteratores de baccarum ſuauitate lotophagos, vt Sirenarum carmina, blādimentorum docentium cantus euita. Et quia licet quędam plerunque de inanibus fabulis vt de vulgaribus aliqua prouerbiis in vſum veri ac ſerij ſermonis aſſumere dicam non literas tantùm, ſed & omnes rerum tēporalium

ſpecies nobis eſſe lotofagos vel Sirenas. Nam & voluptatum peſtifera dulcedo patriæ nobis obliuionem facit, cùm homini Deum, qui eſt patria omnium communis oblitterat, & illecebræ cupiditatum illam Sirenarum fabulam veritate cladis imitantur. Nam quod illæ Sirenes fuiſſe finguntur, id verè ſunt illecebræ cupiditatũ & blandimenta vitiorum. Habent enim in ſpecie lenocinium, in guſtu venenum, quorũ vſus in crimine, pretium in morte numeratur. Has oportet vltra Vlyſſis aſtutiam cauti, non auribus tãtùm, ſed & oculis obſeratis & animo, quaſi nauigio præteruolante fugiamus, ne ſollicitati delectatione lethifera, in criminũ ſaxa rapiamur, & ſcopulo mortis adfixi, naufragium ſalutis obeamus. Atque vtinam vel nudis nobis ex iſtius mundi ſalo liceat euadere, ſi in tempore iſto quo in fragilitate corporea & poſſeſſionum, lubrica tanquàm in nauigij fatiſcentis infida cõpage fluitamus, exuere nos ad enatandum impedimentis angentibus quaſi veſtibus madidis, & fidem ſalutarem, qua in virtute Chriſti Dei vexillo crucis nitimur, quaſi tabulam perfugij meminerimus inuadere, vt de rebus fluentibus ſpem ſolidam comparemus, & de noxia cupiditatum materia, aliquid ad innocẽtiam ſalutémque rapiamus. Quod videlicet vt Deo ſeruientes, cupiditatibus imperãtes, neceſſitatis modò deſideria terminemus, & neceſſarios habẽtes habitus non quæramus ſuperfluos apparatus. Quia recordari admonemur nos nihil intuliſſe in hunc mundum, neque auferre poſſe: quæ veritas in tantum valet, vt de gentilibus philoſophorum, qui vel extremæ veritatis lineas celſioribus ingeniis attigerunt, inquirendæ tãtùm, nedum ſequendæ ſapientiæ vacari non poſſe ſenſerint, niſi pecuniarum onera quaſi ſtercorum etiã in mare quidam proiicerent. ſed tu diuiſionẽ cum Deo facito, & quaſi mutuo beneficio redde ſummo patri gratiã, qui tamen de iis quæcunq; tibi donauit ingenita, aut adiecit extrinſecus, te tãtúm à te repoſcit. Habeas licet tibi & tuis cũcta quæ poſſides, tantùm id curans, vt horum quoque largitorem Deũ eſſe fatearis. Nihil enim habemus, quod

non acceperimus, qui in hunc (vt dixi) mundum nudi venimus. Ingenij autem tui facultas, & omnes mentis ac linguæ opes deo dedica, immolans ei ficut scriptum est, sacrificium laudis, ore facundo, & corde deuoto. Illicò vt ad superna penetralia aciem mentis intenderis, aperiet ad te faciem suam veritas, téq; ipsum reserabit tibi. Nam diuinæ veritatis agnitu id quoque vt nosmetipsos nouerimus, assequimur. Vnde enim putas tãtam miseris mortalibus vel superbiæ, vel ignauiæ peruersitatem inoleuisse, vt non colentes Deum dæmoniis aut elementis subditis sibi seruiant, aquas, ignem, sidera, arbores & simulacra venerantes, cum impiissima diuinæ maiestatis iniuria? Cuius nomine siue dæmonas siue creaturas colant, seruos honorant: pro quo iis tenebris cæcari merentur, vt quia deum verum intelligere nolunt, etiam sui ignoratione feriantur: quia liberatũr homo illuminatus fide, vt ordinem atque mensuram sui generis intelligens, Deũ tantùm cuius vnitas ineffabili trinitate censetur, se esse subiectum: cæteris verò omnibus creaturis si rationabiles sũt, parem: sin verò corporeę, superiorẽ esse cognoscat. Qua mediocritate homo temperatus, neque à salutis sorte delabitur, neque à dignitate naturę, fitque conscius veritatis, compos sapientię, seruus iustitię, liber erroris, dominúsque vitiorum. Quibus anima non Deo seruiens seruire damnatur. Quę deinde vt proprij status exul per omnes cogitationum suarum aut alienarum opiniones deuias viàs spargitur, per philosophos vaga ac per hariolos curiosa, superstitioni religiosa, religioni prophana, spem inter ac metum semper ambiguis affectionibus pendens. Hinc omni vento cuiuslibet doctrinę circumlata, quia diuini timoris vacua, sapientię caput non habet quasi trũcis sensibus, vnde intellectum rerum trahat, vbi sententiam statuat ignara, cùm se frustra omnibus cælo terráq; regionibus peruagata cogitatione distraxerit in creaturis conspicuis, & in omnibus vacuis casuum atque fatorum vim vniuersam, qua mundus agitur constituit; Tam falsi prauíque tenax quàm nuncia veri. Tua verò mens quæ

ignita de cęlesti semine diuinum iam spirat ardorem, in ipsam arcem sapientię Christum fide pręuia dirigatur. Patior esse copiam tibi in nostris quoque studiis possidendę philosophorum facundiæ, dum aduersam veris desinas amare sapientiam. Meliùs enim, tenere te potius diuina quærentem, quàm quærere disputantē. Mitte illos semper in tenebris ignorantiæ volutatos, in contentionibus eruditæ loquacitatis assumptos, & altercatione væsana cum suis phantasmatis famulatos, semper quærentes sapientiam, & nunquam inuenientes. Quia quem nolunt credere Deum, intelligere non merentur. Tibi satis fit ab illis linguę copiam & oris ornatum quasi quædam de hostilibus armis spolia cæpisse, vt eorum nudus erroribus, & vestitus eloquiis, fucum illum facundię quo decipit vana sapientia, plenis rebus accommodes, ne vacuum figmentorum, sed medullatum veritatis corpus exornās, non solis placitura auribus, sed & mentibus hominum profutura mediteris.

ST. CL. NOTÆ
IN EPISTOLAM
D. PAVLINI.

EPISTOLA D. Paulini ad Iouium à me non sine consilio edita est. eius enim simile est argumentum ac stilus cum Exhortatione eleganti quam idem antea versibus texuerat. hinc verò quiuis mediocriter oculatus statim colliget Paulino non parum detrahi ab ijs qui Claudiano Mamerti Episcopi germano carmen vno sæculo anterius ac plus eo adscribunt. id facinus etiam fecere quatuor Plantinianæ editiones. Agitur autem hîc præcipuè de Fato ac diuina Prouidentia. Argentum quippe sacri commercij id est pijs vsibus destinatum inter turbines & nautas auaros amisso custode seruatum est ac nauis eiecta in littus, in quo familiare Paulini oppidum, ita res in tuto posita est. At Iouius ea omnia fortunæ tribuit.

Extat verò Hieroclis græci qui Libanij ætate effloruit breue ſcriptum, vnde hæc elucidari queant, ſi lumine ſuo non ſatis fulgêret hic orator, & poeta eximius.

Rectore vacuum] hæc omnia vno ductu repræſentat Claudianus noſter libro I. in Rufinum.

Platone] locum parilem habes in eiuſdem poematio, vel exhortatione. vide & ipſum Platonem.

Et qvia qvantvs] hæc vltima dictio in veteri libro repetitur, & verè ni fallor. nam Terentius latinorum ſeu mauis Afrorum cultiſſimus dixit: Tu quãtus quantus. ſed hoc ſcribendi cõpendiũ in Pád. Florentinis pulchrè viſitur. in Panegyri Pacati: Quaſi parum habeam timere quod Video, quod timeam. & in vet. codice Liuij: Amicitias immortales inimicitias eſſe debere.

Clarorvm Indicibus] Hîc per Indices nihil aliud ſignari puto quàm titulos & ſtemmata nobilitatis. Tibullus: Quid quaque Index ſub imagine ſignet: vide inibi Ios. Scaligerum virum natalibus inclitum, vt noſtram ſequare ſententiam minore ſcrupulo.

Oris diuitias] eadem phraſi vtitur in ſuo poematio, infrà dicet linguæ opes.

Tribvta] de Tributis ac Tributarijs vide Caſſiodorum neque non C. Theodoſij lege 32. de Er. mil. an. vbi pro quo ipſe legendum QuoIpſe pro Cui ipſe.

Pecvniarvm onera] Auſonius: *Spargit Ariſtippus medijs in ſyrtibus aurum.*

Tam Falsi]. Hic verſus è IIII. Æneidos deſumptus eſt.

Cæterùm hic Pontius Paulinus fuit alumnus & conterraneus D. Auſonij Aquitani ſeu Bit. à quo miris modis ob elegantiam laudatur, & à B. Hieronymo. Fuit verò coſul adhuc iuuenis ſed non ordinarius, opinor: quærendum vt reliquerit vir tantus quibus conſſ. geſſerit conſulatum. Trabeam tamen ſortitus eſt & honeſtamenta nominis vt Quintilianus. anno ætatis XL. feriò pietatem amplexus eſt. exin fuit Nolanus præſul. Fuit & alius Paulinus Burdig. qui deuius, Româ furijs Alarichi direptâ, Attali tyranni partibus adhæſit, ita vt fieret ſub eo Comes S. L. poſtea tamen reſipuit. Miſcellus ſanè ac debilis poeta, vt eius Euchariſticon probat nimis. extant verò adhuc Paulinæ gentis veſtigia in Aquitania prima & ſecunda quarum populi ſunt Bituriges hi Viuiſci illi Cubi. Burdigalæ viſitur Podium Paulini & Auarici: nouimus Paulinorum domum. neque dubito de Palladiorum ibidem memoria.

S. PAVLINI EXHORTATIO.

Paulinus Iouio S.

Iam mihi polliceor sacris tua carmine libris
Condere, téque Dei flammatum numine Christi
Ora soluturum summo facunda parenti.
Incipe diuinis tantùm dare pectora rebus,
Subiectósque deo sensus attollere terra,
Mox oculis cælo noua lux orietur aperto,
Intrabitque sacer tacito per operta meatu
Spiritus, & læto quatiet tua viscera flatu.
Eia age tende chelyn; fœcundum concute pectus,
Magna mouens, abeat solitis impensa facultas
Carminibus, maior rerum tibi nascitur ordo.
Non modò iudicium Paridis, nec bella gigantum
Falsa canas; fuerat puerili ludus in æuo
Iste tuus quondam, decuerunt ludicra paruum.
Nunc animis grauior, quantum prouectior annis,
Aspernare leues maturo corde Camœnas,
Et qualem castis iam congrua moribus ætas,
Atque tui specimen venerabile postulat oris,
Suscipe materiam; diuinos concipe sensus.
Si decus è falsis aliquod, noménque tulisti,
De vacuis magnum rebus, cùm ficta vetustis
Carminibus caneres, vel cùm terrena referres
Gesta triumphantum laudans insignia regum:
Non equidem ex illis tu laudem sumere dignus,
Quos magis ornabas opulenti munere verbi.
Quantò maior ab his cedit tibi gloria cœptis,
In quibus & linguam exercens, mentem quoque sanctam
Erudies, laudémque simul vitámque capesses?

Dumque leges catus, & scribes miracula summi
Vera Dei, propior disces & charior ipsi
Esse Deo, quem dum credens miraris, amare
Incipies, & amando deum redamabere Christo.
Hactenus illa tuæ vanos tuba vocis in vsus
Persona, diuinos modò celsius intonet actus:
Nosse moues causas rerum & primordia mundi.
Ne vagus innumeros Epicuri somnia mundos,
Quos atomus demens per inane parentibus edit,
Irritus in vacuum spatiato pectore quæras:
Legifer antiquo venerandus nomine Moses,
Compositum prima referens ab origine mundum,
Instituente Deo curas tibi soluet inanes:
Formatúmque hominem limo & spiramine sacro
Adflatum referens, cuius sis munere cunctis
Celsior in terra spirantibus, ipse docebit.
Nec te ceu lapides Pyrrhæ, argillamúe Promethei
Contemnas, quem summa manus vultúque animóque
Sublimem, & propria dignatus imagine finxit.
Cognosces itidem, ne pergas tradere fatis
Arbitrium nostri, quæ nos sententia leto
Vinxerit, & cuius vitam sub lege trahamus.
Si mentem cælo iacis altiùs, & super astra
Scire cupis quid sit, vel quid fuerit prius æuo
Et mundo & sæclis docet vlteriora Iohannes.
Principio verbum, inquit, erat, Deus obside verbo
Gaudebat, verbúmque Dei simul & Deus idem
Verbum erat, hoc verbum est sine quo nihil, omnia per quod
Facta vigent, quod cuncta regit, cui subdita parent
Omnia, & æterno natura omnis famulatu
Strata deo geniti nomen genitoris adorat.
Cunctáque per genteis in maiestate paterna
Regnantem dominum iam lingua fatetur Iesum,
Nomine quo fundata salus stat nostra, fidésque
Nititur, æternæ tendens in sæcula vitæ.
Huius diuino mortales munere fulti
Adsequimur fragilem castis euincere factis

Naturam, & rigidæ disrumpere vincula mortis,
Et non corporeis in corpore legibus uti,
Sectantes diuina dei vestigia Christi.
Mente animam corpúsq; sacris moderante sub armis,
Mens quoniam subiecta Deo capit arma salutis,
Inq; animam carnémq; suam regnum obtinet, & fit
Iure potens homo quisque sui, qui deditus vni
Aeternùm domino proprios regnator in artus
Efficitur, vitijs inuictus & osor iniqui,
Fortior aduersis virtutibus, ordine iusto
Verus homo, quia mente potens, in qua rationis
Lumen habet, famulos nullo certamine sensus
Temperat, & placidis sua pectora flectit habenis:
Tu cui mens generosa superni seminis igne
Ardet, in ætherios animo conscende recessus,
Et gremio domini caput insere, mox inhianti
Proflua lacte sacro largus dabit vbera Christus,
Diuinóque tuam perfundet lumine mentem;
Vt videas pulsa caligine magna tremendi
Iura Dei, quibus omniparens sapientia Christus
In se se ipse manens semper nouat omnia rerum,
Atque vt vult operum deus arbiter ipse suorum
Continet & mutat species, & tempora vitæ
Porrigit aut retrahit, cælum, mare, sidera, ventos,
Quæ fecit virtute regens, docet exitus ingens
Aegypti, mersúsque mari refluente tyrannus.
Et priùs ipse graues elementa per omnia motus
Expertus: quẽ cuncta tremant, cui cũcta ministrẽt.
Tempore namque vno tellus communis habebat
Iudæos, quæ sola Deo tunc læta fuit gens:
Et tamen illa Dei grauis hostibus ira superbis
Permixtos inter populos discreta cucurrit.
Iam scio non dicens, quòd fors incerta procellis
Et mare casus agat, mare cùm discedere iussum
Discessisse legas, siccámque rigentibus vndis
Inter aquas patuisse viam, rursúsque solutum
Aequor ad imperium sancti virgámque prophetæ

In liquidos remeasse sinus: in vtroque maris vis
Paruit, vt sanctis iter & vindicta daretur.
Quid profugus Tharsum vates, quem sorte pericli
In mare deiectum spatioso belua rictu
Cepit, & innocuum vasta ructauit ab aluo?
Nonne docet ditione dei mare & astra moueri?
Námque deum frustra fugiens, quem cuncta tenentẽ
Nemo fugit, mouit cæli simul & maris iras.
Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoscens timuit per se quasi conscia tutum
Ferre reum, & ventis fugitiuum vinxit & vndis.
Iste propheta deo lectus terrere minaci
Peccantes monitu populos, postquam graue dixit
Exitium fregítque reos, auertit & iras
Numinis, impenso lauit sua crimina fletu,
Extremúmq; diem fugit bene versa Niniue.
Num rex ille habuit fatum, qui morte propinqua
Orauit dominum, quem leges nouerat vnum
Flectere posse suas, consumptum vt tenderet æuum
Longius, & meruit tria ducere lustra superstes
Annis ipse suis, & non sua viuere sæcla?
Nunc tria miremur texentem fata Platonem
Aut Arati numeros, aut picta Manæthonis astra?
Dicant quæso, vbi tunc rapidas nascentibus horas
Ponebant, & quæ quibus ibant sidera signis.
Cùm pius Isaïas fidei virtute precatus
Verteret astrorum cursus, cælíque meatus
Turbaret, iussi retroacto lumine solis?
Vel ducis imperio sancti cùm sisteret idem
Dilata sol nocte diem, vt victoria sacri
Propagaretur populi: stetit orbe recurso
Libra poli, vt magnos caperet lux aucta triumphos?
Quid sobolis virtúsque Dei & sapientia Christus,
Nónne satis vanis curas erroribus aufert?
Nósque simul monitis & factis edocet, vnum
Cuncta Deum regere, nihil vt sine mente putemus
Principis esse Dei? dicens non arbore frondem,

Aëre non volucrem sine iussu decidere, & cùm
Omnipotens verbo sternit mare, vel pede calcat,
Et verbo morbos abigit, vel dæmonas vrget,
Aut reduces animas in corpora functa remittit,
Iámque diu exanimos tumulis iubet ire reclusis,
Integrátque putres, vita remeante, sepultos:
Nonne potestatem propriam satis indicat auctor,
Qui solus naturam omnem vitámque gubernat?
His, precor, his potius studiúmque operámque legendis
Scribendísque voue, cane grandia cœpta Tonantis.
Scribe creaturam verbo primordia rerum,
Et chaos ante diem, primæque crepuscula lucis,
Quæque dehinc varijs elementa perennia sæclis
Dicta, vel acta deo per sancta volumina disces,
Quæ docuit tabulis legalibus indita Moses:
Aut euangelici quæ lex noua testamenti
Signat operta priùs retegens mysteria Christo.
Tunc te diuinum verè memorabo poëtam.
Et quasi dulcis aquæ potum tua carmina ducam:
Cùm mihi nectareos summis à fontibus haustus,
Præbebunt dominum rerum recinentia Christum,
Atque tuam pollere deo testantia mentem,
Vt simul oris opes à te mentísque capessam,
Et quam cognato iunctum mihi fœdere lætor,
Gratuler hunc sancta sub religione propinquum,
Nec cum mortali soluendis corpore vinclis
Perpetuò sanctum complectar pignore fratrem.

¶ Lege felix Ióui in Christo Iesu Domino nostro.

HIEROCLES SOPHISTA PLATONIS ET ARISTOTELIS CONCILIATÒR HÆC PRÆclara de libero Arbitrio, & diuina prouidentia enuntiat.

Τὸ ἐφ' ἡμῖν τὴν Πρόνοιαν συνεισάγη καὶ ἡ Πρόνοια τὸ ἐφ' ἡμῖν. ἡ γὰρ ἡμετέρα προαίρεσις τὴν δικαίαν εἱμαρμένην κρατύνει. καὶ αὐτὴ τὴν αὐτεξούσιον ἡμῶν κίνησιν βεβαιοῖ. deinde. Νόμοις ἐμμένοντες, καὶ εὐχαῖς χρώμενοι, καὶ εὐβουλίαν τιμῶντες τῶν μεγίστων ἀγαθῶν τευξόμεθα.

St. Cl.

NOTÆ IN POEMATION SEV EXHORTATIONEM D. PAVLINI.

EIA age] hic versus è Statio & Marone fluxit.

GIGANTVM]Nisi hæc ad cognatum scriberet Paulinus crederem Claudiano Ægyptio dicta, is enim bella gigantum attigit.

REGVM] Indicat Panegyres Imp.dictas vel in laudes eorum cõpositas,quales sunt Cl.aut Sidonij.

NOSSE moues]Hæc visa mihi satis obscura, sed τὸ Moues idem est quod laboras.

ATOMIS]Eleganter adiecit Parentibus.ex iis enim mundum esse editum Epicuri dogma pronuntiat.

ARBITRIVM] Hæc nobilis quæstio non solum ab orthodoxis, sed etiã ab antiquis philosophis præclarè agitata est. Sed enim pulchrè orat Ausonius: Bene posse adsit tranquilla facultas. vide quæso libellum Hieroclis περὶ Προνοίας καὶ Εἱμαρμένης, καὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν πρὸς θείαν ἡγεμονίαν συντάξεως.

GENITI] In v. cod. Ingeniti, id est fortè, Non geniti Ausonius: *Non genito genitore Deus.*

IVRE potens]Claudianus: *Cum poteris rex esse tui, Græci bellè* Αὐτοκράτωρ.

MERSVS)Cl.Mergantur volucres vt Pharaonis equi.

VATES] Ionas propheta missus Niniuẽ aliò fugere tentauit, sed orta tempestate in mare proiicitur. hunc piscis absorbet, dein vbi euomuit prædam, Ionas illico Niniuitis prædicat,eosque Deo cõciliat & conuertit.

LECTVS terrere]Bella & poëtica locutio,id est electus à Deo vt terreret imò deterreret populum à vitiis.

NVM rex] Dei verba per prophetam Isaiam non Esaiam : Ecce sanaui te die tertio ascendes templum Domini,& addam diebus tuis quindecim annos.4.*Regum*,

FATVM]est quasi vox diuinæ mentis atque id nominis in vera& sana ratione vsurpare licet,vt fecit auctor ille Græcus profanæ alioqui pietatis. alij Ethnici præcipuè in occidente grauiùs peccabant, vt hic arguitur Iouius.

TRIA fata]Idem supra in Epistola. Inde & Apuleius homo Platonicus:Tres Parcæ tria Fata sunt numero, cum ratione temporis facientia.

ARATI]Productam corripuit Græca licentia.Ouidius. *Cum Sole*

& Luna semper Aratus erit. atque ita vsus C. Germanicus & Cinna.

MANÆTHONIS] Hoc nomen variat. Manęthus enim apud Suidam homo Ægyptius dedit poëma de Astris.

ESAIAS [Ita legitur in vet. codice, Isaiam dicẽdum suprà monuimus è Vatablo. Inuocauit autem Isaias Dominum & reduxit vmbram per lineas quibus iam descẽderat, ídque in gratiam Ezechiæ. In vulgatis verò legebatur Ezechias, ἀντὶ τοῦ Isaias qui precatus est, vt habetur in textu.

VEL Ducis] Iosue intelligitur: Steterunt enim Sol & Luna ipsius precatu.

VT Victoria] In altero cod. hic versus ita legitur: Dilata solem nocte vt victoria sacri.

PROPAGARETVR] Sic in v. cod. aliàs Profligaretur: Suetonius dixit Propagare commeatum, quod producere est in libro excuso. additũ erat ad oram Prolongaretur, quod fortè verũ est. Seneca de Benef. vt prolõgetur tibi dies mortis nihil proficiet ad felicitatem.

PERENNIA] In omnibus excusis: Per omnia, & in vet. cod. Peremnia. Lapsu parili scribebant fortè olim solemnia.

DVLCIS aquæ] Venustas natiua licet rustica. Virgilius carmen ita laudaui, vt dicere & tale esse Quale per æstum. Dulcis aquæ sali ente sitim restinguere riuo.

ORIS opes] In Epistola dixit oris delitias, & linguæ opes.

NEC cum] Ait amicitiæ vincla minimè solutum iri cum vinculis corporis.

Q. AVRELII

SYMMACHI

V. C. PRÆF. V.

RELATIONES VI.

D.D. IMPP. HONORIO AC THEODOSIO · SEMPER AVGG. SYMMACHVS. PR. V. I.

QVÆCVNQVE geruntur me tacere non conuenit pro debito famulatus, quem Maiestati vestræ semper exhibeo. Cùm diu Episcopus Zosimus graui incommodo laboraret, vsque adeo vt frequenter mortuus iactaretur, accidit vt secundo die post ingressum meum vita decederet. Statim, vt conuenerat, populum alloquendo commonui, vt cum quieto clericorum tractatu, omnia finirentur, nec se rebus disponendis misceret turbatio popularis. Siquidem certum esset in eligendo Episcopo Dei omnipotentis expectandum esse iudicium, Domini Impp. Honori & Theodosi, Pij, Felices, & Inclyti, victores, semper Augusti. Admonui & corporatos, Officij quoque intermi natus sum, ac Maiores deterrui regionis, ne quis quietem vrbis vestræ turbare tentaret. quod ita custoditum est, vt sine strepitu omnia finirentur, Verùm cùm vir sanctus Eulalius ad Ecclesiam Lateranensem de exequiis prioris Episcopi à populo & à clericis fuisset adductus, ibi per biduum cum maxima multitudine, & compluribus sacerdotibus remoratus est; vt expectaretur dies consuetus, quo posset solenniter ordinari. Cùm hic ita essent, subitò aliquanti presbyteri cum Bonifacio eiusdem ordinis ad Theodoræ Ecclesiam, collecto populo properarũt, itaque habito

tractatu ipſum ordinare Epiſcopũ velle cœperunt. Quod vbi comperi, omnes qui pariter erant, ad me vt venirent, Presbyteros depopoſci; ac reſidens cum clariſſimo viro Tribuno Sereniano eos admonui, ne quid temere fieri paterentur, aut contra ſacræ legis ordinem venirent, aut contra conſuetudinis rationem. ſed tanta pertinacia reſtiterunt, vt quidquid minatum fuerit facere minimè dubitarent. Nam etiam presbyterum Bonifacium in Eccleſia Marcelli ordinandum eſſe duxerunt, atque cum eo ad Sancti Petri Baſilicam proceſſerunt. Et quoniam Pietatis veſtræ eſt de hac parte ferre iudicium, ſtatim pro cõpetenti ſolicitudine veſtram Maieſtatem credidi conſulendam, vt quod de hac parte Pietas veſtra decernat, præcepto veſtri numinis euidenter informet. Dat. IIII. Kal. Ianuarij.

D.D. IMPP. HONORIO AC THEODOSIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS PR. V. II.

VBI primùm ſacer ſermo pietatis veſtræ expectationem populi celeritate præuenit, omne quod ſibi diuerſitas voluntatum vſurpauerat de Epiſcoporum electione ſubmouit, ac diuina prouiſione inter initia reſecauit, quod tarditate imperitę multitudinis creſcentibus ſtudiis, difficilius potuiſſet auferri, Domini Imperatores. Ob quam rem ſtatim debito famulatu implere quę fuerant impetrata properaui, &, quod felicitati Clementię veſtræ adſcribendum eſt, res noui exempli & maximæ contentionis magníque certaminis, vt ſine commotione cœpta fuerat, ita ſalua clemẽtia veſtra cum totius multitudinis quiete finita eſt. Nam cúm eo tempore ad me ſacra perlata eſſet auctoritas, quo ſancti diei erat celebranda ſolennitas: ſtatim vt oportebat miſſo Primiſcrinio Bonifacium ad me venire admonui, quod pręceptum fuerat, agniturum: ac ſe à proceſſione quam ſibi inhibitam didicerat abſtineret, qui conuentione contempta proceſſit atque eum quem dixeram dedit populo verberandum.

dum. Quod vbi nuntiatum est habito cum vicario Tribuno Sereniano tractatu ad Sanctum Paulum, quo conuenerat, ei sacra exemplaria pro cautela direxi, nequid in iniuriam publicam, de præceptis in missa, tẽptaret, & partem officij pariter destinaui. Sed neutrum fieri passus cũ ad vrbem vellet pariter cum populo remeare statim ad portas iam contubernales quam apparitores accurrerunt qui eum in statutum fuerat vrbem vestram ingredi prohiberent. verùm ipsos quoque contemnendos credidit atq; violẽter ingressus à certa vrbis parte pluribus occurrentibus est repulsus, nec permissus quod cogitabat implere. Quod vbi turba quæ comitabatur aspexit sine aliquo tumultu dispersa est. Ipse verò extra murum deductus non longè ab vrbe remoratur, qui ne occultè per noctem ingressus vrbem ad Ecclesiam cõuolaret, & rursus populi studia commoueret, communi tractatu pro competenti solicitudine contubernales & apparitores quatuor illic sine iniuria eius obseruare disposui, expectãs quod pietas vestra decernat, vt quies possit, quę hactenus seruata est perdurare. Circa partem verò Eulalij Episcopi venerabilis viri qui eo die pęnè cum omni multitudine ad sancti Apostoli Petri Basilicam solemnia celebrabat, vbi primùm Pietatis vestræ præcepta sunt publicata fuit totius lætitia ciuitatis. Vnde ea quæ populus Romanus publico gaudio diuersis acclamationibus agens gratias Maiestati vestræ credidi publicanda & Relationi meæ vniuersa subieci, vt agnosceret Pietas vestra & quanta quiete vrbis totius correcta sunt, quæ male fuerant admissa temeritate paucorum, & quanta gratia suscepta sint, quę Clementia vestra diuino iudicio & perseuerandæ religionis reuerentia decernenda credidit, & pro quiete Romani populi in perpetuum seruanda constituit. Dat. vi. Id, Ianuarij.

D.D. IMPP. HONORIO AC THEODOSIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS PR. V. III.

CVM v.c. Anthonius Decurio sacri Palatij vestri cũ cælesti præceptione ad vrbem venerabilem conuenisset omni genere festinaui quatenus præceptis nominis vestri obedientiam commodarem. Nam statim conuentis procerib⁹ sacra Iussio publicata &ad Religiosos viros Bonifacium Eulalium missa conuentio est Domini Imperatores. Clericos quoque eorum præcepi pariter admoneri vt nihil futuro, cognoscente Pietate vestri, deesset examini, vnde hæc omnia gestorum serie comprehẽsa ad plenam instructionem subter annexui. Verùm postquam pars vtraque populi diuersis seditionibus exagitaretur singulos admonitione missa conueni: ne ad vnam Ecclesiam conuenirent & quod fieri non licebat, inter se multitudo confligeret. Sed hoc illis visum est, credo, suspectum, quo quietem suadendam credidi hominibus perturbare volentibus ciuitatem, ob quam rem ambæ partes calumniosissimè crediderunt cõtestationibus appetendum, vt errorem suum compositis mendaciis excusarent. Quod ne in aliquo Clementiam vestram lateat eadem quæ obtulerunt Actis inserta transmisi, ne quidquam suppressum esse quererẽtur. Superest vt apud Clementiam vestram nullius partis studiis famuli vestri appetantur absentia, qui semper Maiestati vestræ puris seruitiis approbati; ne ab impugnatione & fauore ambarum partium vt decebat credidisse putãdum. Dat. 8. Kal. Feb.

DOMINO SEMPER ILLVSTRI ET PER CVNCTA MAGNIFICO MERITÓQVE SVBLIMI AC præcelso Constantio Symmachus PR. V. IV.

QVÆCVNQVE subitò nullo opinãte proueniunt: nec ad culpam iudicis referri possunt, & populum rationis ignarum insperata nouitate perturbant. vir namque religiosus Eulalius xv. Kal. Aprilis vrbem me nesciente meridianis horis ingressus est quẽ credidi aliquod secum

pertulisse præceptum. Verùm eadem die circa vesperum Spoletinus Episcopus missis litteris me credidit admonendum quod sacra ad se manātia in vrbe die sancto Paschę iussus sit celebrare, quod pręceptū ante penitus ignoraui, Domine semper illustris & in cūctis magnifice meritóq; sublimis ac præcelse patrone. Quod cū mihi prius sancti Eulalij innotuisset aduentus, statim parendum credidi Inuictissimi Principis imperatis, Verùm cū interdicto die vrbem Sanctus Achilleus esset ingressus cōmotio extitit populorum, vt ab vna parte multitudo armata ferro & telis ad forum militari habitu conueniret. Et cum conuocatis proceribus processissem, vt habito tractatu pro quiete vrbis populum alloquēdo compescerem, primò ad conuentum venerunt: deinde cum expectaretur sancti Achillei præsentia, vt quę iussa fuerant publicaret, multitudine resistēte venire non potuit. & cum ad forum Vespasiani tam ego, quàm vir Spectabilis vicarius perurgēte populo fuissemus ingressi, vt quietem vtriusque partis multitudini suaderemus, subitò armati serui telis & saxis aliquanti etiam ferro populum partis Eulalij aggressi sunt, qui inermes conuenerunt, vt quod præceptum de Episcopo Spoletino esset, cognoscerent, quosque ita sauciauerunt qui parati aduersus imparatos venerant, vt me quoque & virum spectabilem vicarium crederent appetendos, dum seditioso furore nullam admittunt penitus rationem, nisi ad liberandum nos Diuinitas adfuisset. egressíque per secretiorem partem ictum saxorum & impetum conspirantis multitudinis vitaremus, minimè potuissemus euadere quorum maiorem partem in seruis cōstat fuisse, ex quibus aliquanti agniti atque tenti, sunt audiendi. Vnde quid partium mearum sit excellētiæ vestræ suggerere properaui. vt certum finem rebus cognitis quę gestæ sunt magnitudo vestra decernat. Cùm ita sanctus Eulalius fuisset ingressus & tertia die secutus esset Episcopus Spoletinus, nec aliqua ad me data virtutū vestrarum quæ sequerer præcepta venissent, perturbatio totius plebis quæ in se & in periculum iudicum sæuiret exorta est.

& ni celeri reſponſo ante diem venerabilem Paſchæ quid fieri debeat iuſſeritis minãtur ſe populi inuicem pugnaturos, dum de Lateranenſi Baſilica alterutrum ſe exiſtimãt excluſuros. Ne quid igitur aduerſi (quod ſublimitatis veſtræ felicitas auertat) eueniat, peto vt euidenti præcepto excludi furioſæ contentionis periculoſam pertinaciam cenſeatis. Data x. Kal. Aprilis.

DOMINO SEMPER ILLVSTRI ET MAGNIFICO MERITOQVE SVBLIMI AC PRÆCELSO Conſtantio Symmachus. PR.. V, V.

VBI primùm ſacra Domini noſtri Inuictiſſimi Principis præcepta perlata ſunt, ſtatim vt cõuenerat debitum tribus famulatũ. ſed Eulalius ea obſtinatione quã ſine Præcepto ſacro vrbem ingreſſus eſt, etiam egredi cõſtrictus per omnes poteſtates pari pertinacia detrectauit. nam veſpertinis horis per officium Vrbanũ id quod præceperat Inuictiſſimus Imperator ea die qua perlatum eſt innotuiſſe agnoſcitur, Domine ſemper Illuſtris, & Sacratiſſime; magnifice meritóq; ſublimis ac præcelſe patrone. quo lecto mãdauit ſe diligentiùs tractaturum, nec tamen inſtanter admonitus exire curauit. Alia verò die rurſum per omnem apparitionem etiã nocturnis horis admonitus collecta multitudine Lateranenſem Baſilicam auſu temerario credidit inuadendam. verùm habito tractatu cum proceribus omnibus Officiis deſtinatis vt pelleretur iniunctum eſt. nam & vir ſpectabilis vicarius ad eandẽ Baſilicam ire decreuerat, ſed primo accedere præ nimio terrore non potuit. Ego autem tam Corporatis directis quã omni Officio ideò illuc ire non potui nequis mihi ęmulus faceret religionis inuidiam. Tamen ſalua excellentia veſtra irruẽtibus plurib⁹ Corporatis & Maioribus regionũ, qui præceptis Imperialibus ſeruiunt de eadẽ Eccleſia fugatus Eulalius de vrbe expulſus eſt, atque adiunctis apparitoribus illuc directus: vbi iuſſus fuerat reſidere. Mandatum etiam vt vir religioſus ſanctus Achilleus Epiſcopus cum quiete quę iuſſa ſunt, illo eiecto, ſine ſtrepitu populi

pro ſanctorum dierum reuerentia celebraret. Nam ad cuſtodiam Baſilicæ Lateranẽſis apparitores appoſui, ne cui alij redderetur. Partis quoque Eulalij aliquanti capti clerici ſeditionis auctores, de quibus quid iubeatur expecto. Et quoniam de iis interim quę geſta ſunt vniuerſa virtutibus veſtris credidi ſuggerẽda quidquid ſequentibus dieb⁹ pro quiete vrbis, quam veſtra felicitas regit ſuggeſtum fuerit ſigillatim pro rerum fide & ordine melioribus indicijs nuntiabo.

DD. IMPP. HONORIO ET THEODOSIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS PF. V. VI.

QVæcunque Deo auctore firmantur meritò diuino Pietatis veſtræ iudicio firmantur. Nuper namq;. cũ ad me famulum veſtrum ſacra clemẽtiæ veſtræ emanaſſet auctoritas quaſi ãbiguitate ſubmota venerabilis viri Bonifacij Epiſcopi maieſtas veſtra ſacerdotium roborauit. Tam grata vniuerſis quę iuſſa ſunt extitere, vt hoc & ordo ampliſſimus & Romanus populus comprobaret Domini Imperatores Honori & Theodoſi Pij, fælices, Inuicti, Triũphatores ſemper Aug. Nã cũ ſtatuta cæleſtia per me eſſent recitata populis & edictis ex more poſitis publicata: tantus feruor & lætitia totius extitit ciuitatis vt ſcilicet & religionem redditam & pręſtitã quietis ſecuritatẽ omnes gratulatione congrua teſtarentur. Interiecto itaq; biduo vrbem ſupra memoratus venerabilis Epiſcopus omni accurrente plebe ingreſſus eſt, ſicut Serenitas veſtra conſtituit. Officij quoque mei obſequia minimè defuerũt, nec iam aliqua diſſentio remanet populorum & omnes diuino iudicio & Maieſtatis veſtræ acquieuerunt voluntati. Ceſſantibus verò ſtudijs omnes quod præcepto Dei admoniti ſtatuiſtis ſentire cęperunt. atque acclamantibus quę ſubiecta ſunt gaudij ſui cauſas plebs Romana teſtata eſt, ac Serenitati veſtrę gratias in dies ſingulos agere non deſiſtit. quorum Prouiſio ſicut pacem orbis tuetur: ita quietem Vrbis reſtituit, populóque concordiam.

ST. CL.
IN Q. A. SYMMACHI RELATIONES NOTÆ.

HÆ SYMMACHI Relationes haud ignobilis historiæ sunt indices. citantur ab Illustriss. Cæsare Baronio ex Codice antiquo qui habetur in bibliotheca Vaticana. Scriptæ sunt Anno salutis CCCC XVIII. & CCCC XIX. Siquis verò hactenus credidit Symmachum orthodoxæ fidei semper fuisse aduersatum.inueniet hîc vnde illâ cedat sententiâ. videtur quidem hic stylus paulo remissior, in eo tamen splendor aliquis & cygnea pulchritudo remanet. Multa sanè aspera vir ille honoratus pertulit, nec tamen succubuit. Sæpiùs vidit status Imperij mutationem; vidit in vrbe seditiones; sensit Maximum, Eugenium, Alarichum sæculi incommoda, & orbis incendiarios, vt scilicet tandem aliquando veræ pietatis insignia mereretur, hęc est radicis amaræ dulcedo. Tres fuisse symmachos non dubito nempe auum Lucium, Qui notum patrem & filium de quo lib. VII. Ep. Hunc verò filium vocat Ausonius,atque veteranum se à tyrone superari.

IN RELAT. I.

TVRBATIO popularis] Vt olim Impp. plurimi vel inuiti à militibus cum acclamatione leuabantur, sic etiam, opinor, antiqui illi Pontifices populo studia in contraria diuiso quasi humeris partiũ ad hoc sublime fastigium ad mouebantur, id probat satis Damasi & Vrsicini contentio à populo Romano excitata. vix enim est vt Damasus Hispanæ olim pietatis ad hæc poetici ingenij,eóque minùs ad fastum, aut ambitionẽ,Persicos-ve apparatus procliuis, id commiserit.nam gestatio illa nil signare videtur aliud,quàm humilitatis in sublime erectę triumphum,nec voluntarium.quo honore si qui abusi sunt,næ illi rem haud magnam præstitere ad suã salutẽ.

EPISCOPO. hæc est vera & antiquissima Romani Pontificis appellatio. quod etiam firmat v. inscr. Culmen Apostolicum cum Cælestinus haberet Primus & in tota fulgeret Episcopus vrbe.

DOMINI IMPP.] Hinc patet Orbis terrarum sub geminis Principibus vnitum & laudabile Regimen.quamuis enim Theodosius iunior Orientis gubernacula teneret, ei tamen, vt Rauennæ cum Honorio patruo agenti, hæc etiam directa sunt, dicit verò se famu-

lum posteà respectu Dominorum, ídque more aulico.

CORPORATOS] Id nominis habent qui sunt ex corpore collegij, vel ciuitatis: quales sunt pistores, frumenti & olei portitores, aliísque populi Romani vsibus destinati. vide eundem Sym. in Epistolis. Sanè hoc genere hominum nihil est concitatius.

OFFICII. hic locus est satis obscurus. nisi legas: Officium, nam viri Illustris P F. V. vt ex Notitia didici Officiũ est tale: Princeps. Cornicularius. Adiutor commentariensis. & plures. aliàs etiã officium pro ministris Magistratuum, Præsidum, Comitum in Iure accipi solet. quid si Symmachus scripserit? *Officijs quoque interminatus sum*. Sed verius est Officij interminari, pro, Admonere seriò & minis adhibitis. Increpitare moræ. Silio.

EVLALIVS adductus] Aduerte populi væsaniam, qui se rei sacræ immisceat: ac miserum sed piuin, vt ita dicam, Eulaliũ paucis clericulis septum in sedem honoris tanti propè intruserit.

MAIORES.] Est qui credat Seniores hoc est meritis & pietate graues (vt Maro loquitur) intelligi; qui in regione vrbis aliqua cæteris antecellant. ita vt motus vel prohibere possint, vel compescere tacita quadam dignitatis prærogatiua. quid si Magistri vicorum Vrbis regionum XIIII. vt est in vet. Inscriptione? aut Seniores propinqui, Cod. lib. IX. tit. XVI. aut seniores plebis.

BONIFACIVM.] Hic venerabilis vir infirmum neque caducum adeò parietem incumbit; habet enim plures presbyteros sibi deditos, quorum suffragia præualent, imò sufficiunt in eligendo Pontifice. Extant verò Litteræ eorum ad Honorium in hanc rem, quibus acceptis Imperator ad Symmachum scripsit vt agat cum Bonifacij & Eulalij partibus, vt ambo se Rauennam conferant ad VI. Id. Februarij. cui Relatione tertià respõdet. Scias verò has Symmachi relationes ἀμοιβαίως se habere atque extare in Vaticano rescripta ad singulas, quibus suas inscriptiones reposui. Est verò Titulus in Codice Iustiniani de Relationibus, quæ fiunt cum iudex in lite dubia negotiũ refert ad Principem, vt statuat quid opus sit facto. éstque Relatio nihil aliud fere quàm consultatio.

SERENIANO] Non dubito quin vir ille fuerit Tribunus & notarius, vt Claudianus poeta. quæ claritudo est eiusmodi, vt Marcellinus ea fretus Collationi carthagine cõtra Donatum habitæ, quasi cognitor præfuerit. éstque Clarissimatus dignitas. eáque nota insignitur: V. C. Idem Relatione quarta dicitur vir spectabilis. erat enim etiam Vicarius Vrbis Romæ V. S. sub quo Consulares campaniæ, Thusciæ & alij.

ADMONVI] Seuera est huius verbi vt plurimum significatio. vt notauimus ad Claudianum. sed vir miti sapientia & lenitate conspicuus hîc temperiem adhibet. vt qui etiam plebis & aliorum cõ-

tumelias damnáq; illata olim æquo animo tulerit. id clamat Trãstyberina domus, quæ cum esset amænissima & domini tanti solatium à ciuibus ingratis incensa est.

MINATVM] Symmachi minaciæ, vt vides, non tanti sunt, vt peruicaciam istius multitudinis inhibere queant. dicebant verò olim Minare opinor. nam & Plautus: Quid minitabas te facturũ?

STVDIIS) sic omnino virg. scinditur incertum studia in contraria vulgus.

IN RELAT. II.

PRIMISCRINIO) De hoc vide eiusdem sym. Epistolas. Recensetur autem sub Officio Præfecti Vrbis: Primiscrinius, siue Numerarius.

VICARIO) de eo iam diximus vbi de Sereniano actum est.

IN MISSA) Romana editio pulcherrima sanè, sed nonà mendis omninò libera præferebat: Immissa. ego cum apud idoneum auctorẽ vbi vbi sit notauerim Missæ nomẽ pro Epistola quæ missa sit, vnius litterulæ particulam hinc resilire siui. Notabis verò Rescriptum Principis in his Relationibus plus decies variari, & quidem satis bellè in hunc modum: Præceptum numinis vestri. Sermo pietatis vestræ. Impetrata. Sacra auctoritas. Sacra exemplaria. Responsum. Sacra iussio. Statuta cælestia. Cælestis præceptio. Missa verò hîc fortè magis conuenit epistolę quæ à PF. V. emanauerit. vt sit Admonitio, vel Conuentio missa, ita enim Symmachus vtitur. Græci verò dicunt ἐπιστέλλειν ἐπιστολάς.

OFFICII mei) Supra quid sit Officium Præfecti Vrbis declaraui. si plura cupis vide librum Notitiæ hactenus satis malè habitum, aut neglectum.

AGENS gratias) omisit verbum: Testatus est. ni fallor. vt sit: Vnde ea quæ populus Romanus publico gaudio diuersis acclamationibus restatus est. sic Rel. VI. Gaudij sui causas plebs Romana testata est.

IN RELAT. III.

DECVRIO) Is propriè videtur esse decurio, qui alicuius ordinis est princeps; qui caput est Decuriæ. hîc verò Aphthonius designatur inter officia Palatina primas obtinere, siue is Memorialis, siue Agens in rebus fuerit. fuerunt etiam qui libellos petitionum Imperatori offerebant. vide Cod. de petitione bonorum sublata.

ADMONITIONE missa conueni) Fortean credas symmachũ illos non cõuenisse per se, vel adijsse. Vt sit phrasis iuridica. sic propè reum actor conuenire dicitur, id est vocare in ius. Fieri tamen potest vt adierit metu maioris mali, aut vt morem gereret pacifico Principi.

SVSPECTVM) Tanta fuit semper Symmachi miseria, vt ei sui

melliti

melliti mores, & modestia singularis nihil nisi amariciem & calũnias pepererit. præsertim apud eos qui maiori pietate ac zelo censeri volebant. Extat eiusdem Epistola insignis ad Theodosium vbi à quodam accusatus queritur: Naturæ humanæ vitio probitatem subiacere liuori, dum crudo mendacio insontis fama petitur. cùm ipse Damasus Episcopus neget vllum Religionis sectatorem ipsius opera contumeliam pertulisse. tandem erumpit in hæc verba: Qui Præfecturã sine ambitu meruimus, sine offensione ponamus: Experientur me sub Imperiali disceptatione constantem, qui nocentem probare non possunt.

CALVMNIOSISSIME.) Propriè, nam Calumnia in se malitiam vel mendacium, vel dolum continet. nec ea vtitur tantùm qui agit, sed & qui excipit, aut se excusat, vt hîc videre est. Miror autem Symmachum qui tunc demum erat christianus & quidem non rusticus, ita obnoxium fuisse iniuriæ: id sanè non est religionis vitium, sed inuidiæ rabies.

PVTANDVM) Locus videtur mutilus, nec vt par est definit hæc Relatio, alioqui breuitatis copiosæ. sed forte vitium est typographi Itali. qui ita debuit exprimere: *Nec ab impugnatione aut fauore ambarum partium credidi esse putandum.* id est iudicandum, aut pronunciãdum, aut sanè vlteriùs disquirendum. dixit enim Terent. Rem ipsam putemus. Statuam putare æstimare est. Cic. nam τὸ Ab. non imperitè abundat.

IN RELAT. IIII.

CONSTANTIO) hic Princeps Nobilissimus bellica virtute nimium quantùm excelluit, nam Constantinum qui Gallias infestabat iussu Imperatoris deleuit, ita vt Gallula Roma Arelas à regis tyrannici superbia liberata sit. ergo illi meritò Placidiam sororem nuptum dedit Honorius, eúmque Cęsarem ac paulo post Imperatorem fecit, vt testatur eius Rescriptum ad Volusianum. in hac verò Relatione seruilis plebeculæ notatur insolentia, quæ Prefectum Vrbis ac ipsius Vicarium multis iam sauciatis fuit læsura, nisi Diuinitas eis ad fuisset.

AD SE manantia) Quæ ipsi fortè ex officio, vel ordine, vel Principis iussu incumbebant.

VESPASIANI) vix est vt reperias alib. Forum hoc. sed accipitur pro loco insigni, vbi conuentus hominum fieret. fortè ad arcum T. Vespasiani.

SAXIS) De re simili Virg. ait: Iámque faces & saxa volant; furor arma ministrat.

NI CELERI responso) In Codice Romano perperam excusum erat: In celeri responso, quod tibi obtrudere nolui.

IIIi

IN RELAT. V.

PROCERIBVS) Eosdem esse puto qui & maiores regionis suprà dicti sunt, & dicentur posteà. Virgilius etiam extulit: Delectos populi ad proceres. cuiusmodi homines statura eminentiore censentur, & specie quadam magnifica, apud vulgus. Nostri vocitent eos propemodum gallos parœciæ, τῆς παροικίας.

RELIGIONIS inuidiam) Iam plura de æmulis symmachi retulimus, qui quamlibet deuotus, tamen fermento veteri inquinatus credebatur.

VRBIS quam vestra.) Olim putaui Stilichonis potentiam, & nimium populi erga ipsum fauorem Honorio ita suspectum fuisse vt propterea vrbe se abdicaret: verùm eo iam extincto non facilè video cur in paludosa Rauenna locatus sedem Imperij pridem à se desertam Constantio subiecerit. nisi fortè hæ solennes intemperiæ ipsi nauseam mouerint, ac maiore animi tranquillitate in secessu, quem suâ præsentiâ satis illustrabat, pietatis officia exercuerit. nec enim fuit bello vtilis, sed deuotioni & otio addictus.

IN RELAT. VI.

ORDO) Sic alibi locutus est. sed & lib. x. Epistolarum dixit: Vbi primùm Senatus amplissimus, sempérque vester subiecta legibus vitia cognouit. Maiorianus in Ep. ad Senatum de ortu sui Imperij: Bene valete, inquit, Sanctissimi ordinis Patres Conscripti.

SERENITAS) Iam non indignor amplius cuidam nationi, cui hæc aut similis loquendi formula sæpius vsurpatur. hæc enim est mera ciuilitas. sed antiquioribus infrequens neque Gallica libertas eò adduci potest, vel in magnis nominibus. Plin. ad Traianum. Non est simplicitatis meæ dissimulare apud bonitatem tuam. Hęc verò tenui filo, & quasi aliud agendo contexta. plura sunt tamen, quàm putaram.

DAMASI PP. HIERONYMI ET AMBROSII QVÆDAM POETICA, & aliorum.

B. DAMASI I.

Martyris hic tumulus magno sub vertice montis
Gorgonium retinet, seruat qui altaria Christi:
Hîc, quicunque venit, sanctorum limina quærat,
Inueniet vicina in sede habitare beatos,
Ad cælum pariter pietas quos vexit euntes.

DAMASI EPISCOPI.

II.

Quid loquar, aut sileam? prohibet dolor ipse fateri,
Hic tumulus lacrimas retinet, cognosce, parentum
Proiectæ fuerat primo quæ iuncta marito,
Pulchra decore suo, solo contenta pudore,
Heu dilecta satis miseræ genitricis amore.
Accipe, quid multis? thalami post fœdera prima
Erepta ex oculis Flori genitoris abiuit,
Aetheriam cupiens cæli conscendere lucem.
Hæc DAMASVS præstat cunctis solatia luctus.

VIXIT AN. XVI. M. X. DIES XXV. DEP. III. KAL. IAN. FL. MEROBAVDEII ET FL. SATVRNINO CONSS.

III.

Marcelline tuos pariter Petre nosce triumphos:
Percussor retulit DAMASO mihi, cùm puer essem,

Hæc sibi carnificem rabidum mandata dedisse
Sæpibus in mediis vestra vt tunc colla secaret,
Ne tumulum vestrum quisquam cognoscere posset.

IIII.

Constantina deum venerans Christóque dicata,
Omnibus impensis deuota mente paratis,
Numine diuino multùm, Christóque iuuante
Sacrauit templum victricis virginis Agnes.
Templorum quod vincit opus, terrenáque cuncta:
Aurea nam rutilant summi fastigia tecti;
Nomen enim Christi celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem,
Inuictum solus cælis inferre triumphum.
Dignum, Agne, munus martyr, deuotáq; Christo,
Ex opibus nostris per sæcula longa tenebis.
O felix virgo, memorandi nominis Agnes.

EIVSDEM EPITAPHIVM à seipso editum.

V.

QVi gradiens pelagi fluctus cõpressit amaros,
Viuere qui præstat morientia semina terræ,
Soluere qui potuit Lazaro sua vincula mortis,
Post tenebras fratrem, post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariæ donare sorori,
Post cineres Damasum faciet, quia surgere credo.

B. HIERONYMI.

VI.

PSallere qui docuit dulci modulamine sanctos
Nouerat iste Decem legis qui verba dedisset,
Quot digitis citharam chordis, totidémque dicauit
Nomina, vel signum, numerum, crux ipsa notaret.

B. AMBROSII.

VII.

VRanio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad læuam detulit Ambrosius:
Hæc meriti merces, vt sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans alluat exuuias.

SIXTI PP.

VIII.

Gens sacranda polis hîc semine nascitur almo,
 Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.
Virgineo fœtu genitrix Ecclesia natos
 Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum regnum sperate hoc fonte renati,
 Non recipit felix Vita semel genitos.
Fons hic est vitæ qui totum diluit orbem,
 Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere peccator, sacro purgande fluento,
 Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum.
Insons esse volens, isto mundare lauacro,
 Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentum est distantia, quos facit vnum
 vnus fons, vnus Spiritus, vna fides.
Nec numerus quenquam scelerum, nec forma suorum
 Terreat, hoc natus flumine sanctus eris.

EPITAPHIVM PROBI VIRI ILLVSTRIS.

IX.

Eximij resolutus in ætheris æquore tantum
 Curris iter cunctis integer à vitiis.
Nomine quod resonas imitatus moribus æquè,
 Iordane ablutus nunc Probus es melior.
Diues opum, clarúsque genus, præclarus honore,
 Fascibus Inlustris, Consule dignus auo:
Bis gemina populos Præfectus sede gubernans,
 Has mundi phaleras, hos procerum titulos
Transcendis, senior donatus munere Christi;
 Hic est verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare priùs mensæ regalis honore,
 Principis alloquio, regis amicitia:
Nunc, propter Christo, Sanctorum sede potitus
 Luce noua frueris, lux tibi Christus adest.
O nunquam deflende tuis, dum vita maneret
 Corporis, atque artus spiritus hos regeret.

Primus eras, nullíque Patrum virtute secundus,
Nunc renouatus habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nulla velamina culpa,
Et nouus insuetis incola liminibus.
His solare tuos, quanquam solatia mæsta
Gratia non quærat, Gratia, Christe, tua.
Viuit in æterna paradisi sede beatus,
Qui noua decedens muneris ætherij.
Vestimenta tulit, quo demigrante Belial
Cessit, & ingemuit hîc nihil esse suum.
Hunc tu, Christe, choris iungas cælestibus oro;
Te canat, & placidum iugiter aspiciat.
Quíque tuo semper dilectus pendet ab ore
Auxilium suboli, coniugióque ferat.

PROBI ET PROBÆ.
Epitaphium.
X.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
Dices, quantus erat qui Probus hîc situs est:
Consulibus proauis, socerísque, & Consule maior
Quòd geminas consul reddidit ipse domos.
Præfectus quartùm tota dilectus in orbe,
Sed fama emensus quidquid in orbe hominum est.
Aeternos heu Roma tibi qui posceret annos,
Cur non vota tui vixit adusque boni?
Nam cùm sex denos mensis suspenderet annos,
Dilectæ gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periisse Probum meritis pro talibus absit
Credas, Roma, tuum: viuit & astra tenet.
Virtutis, Fidei, Pietatis, Honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti coniux tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, iungat vt vrna pares.
Felix heu nimium felix, dum vita maneret,
Digno iuncta viro, digna simul tumulo.

B. PAVLINI.

XI.

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit:
Hîc & Apostolicas præsentat gratia vires,
Magnus in paruo puluere pignoribus.
Hic pater Andræas, & magno nomine Lucas,
Martyr & illustri sanguine Nazarius:
Quósque suo Deus Ambrosio post longa reuelat
Sæcula Protasium cum pare Geruasio:
Hîc simul vna pium complectitur arcula cœtum,
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

XII.

Abluitis quicunque animas & membra lauacris
Cernite propositas ad bona facta vias.
Adstat perfectæ Martinus regula vitæ,
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati;
Exemplar Sanctis ille sit, iste reis.

XIII.

Pax tibi sit quicunque Dei penetralia Christi
Pectore pacifico candidus ingrederis.

XIIII.

Quisquis ab æde Dei perfectus ordine votis
Egrederis, remea corpore, corde mane.

XV.

Alma domus triplici parte ingredientibus arcum,
Testaturque piam ianua trina fidem.

ST. CL.

NOTÆ IN CARMINA DAMASI PP. ET ALIORVM.

IN EPIGR. I.

MARTYRIS] Hoc Epigramma seu maius Epitaphium extat Romæ in Titulo Equitij vt notauit Illustriss. Baronius: ne verò quis dubitaret de auctore Damasus ipse nomen suum posuit: vnde colligas quanta fuerit ipsius pietas, vel, ô rem nimis præclaram! candida & litterata ambitio; quam bonæ mentis sororem dicas non iniuria. vt non tâti ipsi fuerit ditari oblationibus matronarum, aut vehiculo insidere, aut circunspectè vestiri vt loquitur A. Marcellinus miles natione Græcus. Vena autem Damasi nescio quid Iuuenci aut Sedulij aut Arati subolet. quibus alioqui non est religio magna in syllaba sed in vita. Cæterùm vide Martyrologium, vt huius Epig. historiam intelligas.

IN EP. II.

QVID] Citauimus alibi hęc, sed non omnia: itaque noluimus hîc prætérire. Agitur verò de Proiecta, quam puellam aut virginem appellare liceat ob eximium pudorem & ætatem adhuc floridam quamuis marita esset. nam oriente, Ecclesia. ita quosdam incessit deuotio vt illecebræ concubij mutuo consensu in pietatem resilirent. Vix autem à sinu parentis Flori domum sui coniugis inierat cum ad cælestes nuptias anima eius properauit erat sedecim annorum vt paret ex subscriptione, ex qua A Contij Fastos fortè emédare queas intus enim: MEROBALDVS II. ET SATVRNINVS, qui quidem comites fuere anno CCC.LXXXIII. sub Gratiano Imperatore & aliis.

IN EP. III.

MARCELLINE] Hi duo passi sunt sub Diocletiano. Anno CCC. II. Damaso adhuc pęne infantulo. cùm enim obierit anno CCC. LCXXIIII. consequens est vt vixerit SXXXII. annos. erat ergo tunc bimulus. Scias verò Epigramma non esse integrum nósque amisisse sequentia propter defectum prosodiæ. Libenter enim ei hac in re consultum volumus. ideóque veritus non addere aliud Epigrãma, vbi prima in dictione, lacus erat producta.

IN EP. IV.

CONSTANTINA) In suburbano Nomentanæ est insignis Memoria

moria S. Agnetis à Constantini filia dedicata, vt ait Bar. sed miror ego nominis Agnes inflexionem, nisi agnis in versu quarto legas. & apud Prudentium: Agnis sepulchrum est Romulea in domo. vide Romam docti Fabricij. sed fortè. Agne dicta quasi Ἁγνὴ nam Plat.. Ἁγνὸς γάμων signat purum à nuptiis: & hæc fuit virgo. Cæterùm S. Agnetis Politianæ Heleonora Borbonia Regis amita Religiosarum Maxima officium solenne à Clemente. PP. nuper obtinuit. Agne profectò dicitur v-c. Ian. Parrhasio.

IN EP. V.

QVI] Fertur Damasus hoc de se Epitaphium posteris reliquisse, quod sanè est valde pium neque quidquam pote simplicius. quod verò Lazarus hîc primam habet breuem nescio in Damaso, an verò aliis id debeatur, sed facilè adducor vt credam, litterę duplici vim tãtùm simplicis tribuisse, quod in nomine ipsius auditu tenus percipias nisi velis τό sua in eodem versu abundare. sed pænultima nescio quid nimis lentùm ac rude sonare videretur.

IN EP. VI.

PSALLERE] Hoc Epigramma prodiit ex peruetusto codice Ecclesiæ Treuericæ in Gallia Belgica. estque in laudem Psalterij Dauidis. in quod etiam versus Damasi extant quorum initium: Nunc Damasi monitis aures præbete benignas. Hîc verò alluditur ad Decalogum & Decachordon. ad nomen X P I (si licet imitari vetustatem) ad Crucis figuram & ad literam Latinam X quæ numerum signat denarium. tales erant figurę in Labaro Impp. Orientis atque aliorũ, vidimúsque expressas in Basilica D. Ludouici, quem generis auctorem laudat Principum maximus. vide Epistolam Paulini vndecimam ad Seuerum.

IN EP. VII.

VRANIO] Dungalam scriptorem nobilem, qui sub Ludouico Pio vixerit, citat C. Baronius apud quem inuentum est, hoc Epigramma, elegans profectò ac dignum B. Ambrosio, qui vt patet ex ipsius scriptis poësin deperibat, quo nomine apud tetricos haud ita bene audiit, ita enim ad Grat. Imperatorem loquitur de mente praua quorundam: Si quis id contra licitum putat, agnoscat, non solùm sententias: sed & versiculos poëtarum scripturis diuinis insertos: at verò hodie frigidula quędam hominum secta inoleuit, cui pulchra omnia & cordatè expressa moueant stomachum. hi sanè aut desipiunt, aut inciti sunt, ne malignos dicam.

IN EP. VIII.

GENS] Magnus C. Baronius ait sub Theodosio Iuniore & Valentiniano monumentum octangulum à Sixto PP. esse positũ, in quod ipse his pulcherrimis elegis decorauit. certant enim vel structura, vel sono cum poësi anterioris sæculi. Si tamen in tempora

Zosimi illius acutissimi vt Constantino infensi incidissent non linguam, non calamum abstinuisset, atque in tanti Imperatoris Basilicam acria iecisset conuicia. sed quid facias vim Baptismi sponte ignoranti: Tradit etiam Bar. hæc esse ab eodem prolata contra Pelagianos qui negabant originis peccatum. Eleganter verò Paulinus,

Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestisque sacras fonte maritat aquas.

IN EP. IX.

EXIMII] Hoc egregium antiquitatis monimentum, vt alibi diximus, debet posteritas Maffæo vegio viro ac poëtæ nobilissimo, qui sex mensibus ante quam Nicolaus V. PP. Mausolæum Probi imò templum tantæ rei ignarus dirueret hæc descripsit, quæ vix puto reperias in magno inscriptionũ veterum volumine. sed enim iu lucem edidit Princeps historiæ Ecclesiasticæ.

ÆQVORE] Mira fortè videatur locutio, sed ei qui non legerit apud Virg. campos aëris de quibus Ausonius: Aëris in campis memorat quos musa Maronis. quod nobis Paradisum indicat. vide etiam quæ scripta sunt de Elia.

PROBVS] Ad hoc facit Ausonij locus: An ille venturi sciens Mũdi supremus arbiter Qualem creauit moribus Iussit vocari nomine? fuit verò variæ cuiusdam eloquentiæ vt qui laconica breuitate Menelaum vinceret, Vlyssis grãdinem, mella Nestoris, ac Tullij artificium (si fas) præteriret.

FASCIBVS] Fuit Consul cum Imp. Gratiano idque Anno CCC. LXXI. vnde Ausonio dicitur Collega Augusti Consulis. sed eodem tempore fuit PF. P. cum verò dicit Primùm In secundis fascibus non quod secundùm foret Consul, sed quia à Principe secundus videtur ante alios primus.

AVO] Probi patet cui nomen Probino fuit, sub Constantino Iuniore iniit Consulatũ cum Marcellino Cõstantini magni auspiciis.

BIS] Innuit eum quater Præfecturam Prætorij gessisse, quod facilè deprehenderis ex inscriptionibus C. Theodosiani, vt ex sequẽte Epitaphio. Claudianus Præfectum Prẹt. Italiæ, Illirico, & Africæ. non etiam Orientis designat aut Galliarum. Scias autem PF. P. vice sacra vbique iudicasse: quod PF. V. & vicario eius concessum est. Illustriss. vir explicat de rebus Pontificiis quod non arbitrabar.

SENIOR] Rectè primam arripuit nam in deprauatis codicibus hæc dictio in locum τοῦ Serior irrepsit. sanè serior ætas eleganter à Tibullo pro senectute dicitur. hanc verò disce Probum non nisi grauem senio in gremium Ecclesiæ se recepisse, priùs enim erat tũ credere quàm baptizari, hodie parentum fidei non ab ratione id committitur.

MENSÆ] Am. Marcellinus. Honore mensæ regalis adeo ante po-

situs aliis. diximus plura alibi. vide & Cassiodorum. Paulinus pulchrè dixit: Pignora sanctorum diuinæ gloria mensę-

PRIMVS] Ausonius eleganter: Qui solus exceptis tribus Heris herorũ primus est: qui tres sunt Valentinianus, Valens & Gratianus Impp. apud Sozimum legi Familiam Aniciorum quæ omnia præ diuitiis poterat Attalo in Augustum à Gothis electo inuidisse. & verò postea duo ex illa gente Impp. fuerunt.

ARTVS] Ex Marone: Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

IN EP. X.

SVBLIMES] Probo suo fuit, multis annis superstes Proba Faltonia quam malè Falconiam vocant. tandémque viri sui manibus ex voto sociata. de hac vide Claudianum & Annot. ea profectò vel superauit: vel impleuit laudes Corneliæ Graccorum matris. extant eius Centones antiquam satis laudati.

SEX DENOS] Peritè loquitur & pressè, cùm indicat tantùm non sexagenarium Probum.

ÆTHRA] Nouè dictum longè melius quàm ab illo veteri qui Æthera cella in plurali extulit.

PARCVS] At Marcellinus: Probus claritudine generis & potẽtię cognitus orbi Romano per quẽ vniuersum pænè patrimonia sparsa possedit, iustè an secus non iudicioli est nostri. Hũc quasi gemina quædam, vt poëtæ fingunt, fortuna præpetibus pennis vehens nunc beneficum ostendebat & amicos altiùs erigentem, aliquoties insidiatorem dirum. tædet reliqua addere propter honorem quem Probæ semper animo meo detuli. sed hæc satis sua luce conspicua est.

DIGNA] Sic Ausonius: Æternum placidos manes cõplexa mariti viua thorum quondam, functa foue tumulum.

ECCE) Hæc sunt composita in commendationem Fundanæ Basiliculæ. Fundi sunt oppidum quod familiare fuit Paulino, nam in possessionem & patrimonium prætentum vocat. Misit verò picturam Seuero in apside ædificij designatam siue collocãdam: de qua voce sic Paulinus: Sed de hac Apsida, an Apside magis dicere debuerim tu videris, ego nescire me fateor. Vides quàm ingenua sit illi confessio, quámque ille perpaucorum hominum fuerit? hodie omnia sciũt qui nihil sciunt. neque ideo hanc vocem ignorabat vir sanctus ac eruditus, sed tunc non ei venerat in mentem. Ἀψὶς autem ni fallor est opus arcuatum siue arquatum & fornici adsimile, cuiusmodi sunt sacella quædam illustria in templis augustioribus, aut sacrę ianuę in arcus speciem inclinatæ.

NAZARIVS] Quidam viri magni nominis inter quos P. Gyllius laudãt à pietate Nazarium auctorem prædam illius Panegyrici, de

quo etiam agit Ausonius. At eundem non esse crediderim cũ hoc. nisi enim me fallit memoria Nazarius Paulini è viuis excessit priusquám Constantinus Magnus imperaret.

XII.

ABLVITIS] Suprà laudauimus Sixti PP, epigramma, sed hoc ei præferre non dubitamus, quamuis non eadem materia se efferant.

XIII.

PAX] Vellem qui Ecclesias ingrediuntur hoc distichum in oculis, vel in memoria haberent: non enim est precari Deum nisi cui sit animi tranquillitas, procul ira malóque affectu: neque sine pace religio subsistit & è contra Ausonius: Quem nunquam pietas, nunquam bona solicitat pax.

XIV.

QVISQVIS] Est enim qui votis vtcunque peractis & leuiter salutata Ecclesia idem sit qui fuerat: In hunc verò loquendi modum quo vtitur Paulinus licet alia de re ita Ausonius: Vado sed sine me quia te sine. & paulò pôst. Vado tamen sed dimidius, vado minor ipso dimidio, nec me iam locus vnus habet. Separor vnus ego sed partem sumo minorem ipse mei, tecum pars mea maior abit. Ei sane, cui ab æde Dei egresso hæc vsu venerint, vera inest deuotio.

ALMA DOMVS] Id est Ecclesia, quæ propria est (auctore Arnobio) Christianorum: cùm Templa dicantur gentilium. Innuit verò Sanctæ Trinitatis mysterium.

SELECTA QVAEDAM EX A. IANI PARRHASII COMMENTARIIS IN CLAVDIANVM.

ST. CL. LECTORI BENE AFFECTO. S.

ID unum scilicet restabat, Lector, ut petitioni librariorum fieret satis. quum enim ijs iam per me licuisset Delrij viri Spectabilis Notas mihi adiungere, paulo momento hæc etiam Parrhasii doctissimi selecta sitiuere. quod sanè desiderium quamuis speciem honestatis aliquam præ se ferat, neque ab eo longè absit utilitatis ratio; meis tamen ingratiis pæne contigit. quippe nefas quodam modo esse ducebam aliorum insignes vigilias meo labori postimo accedere. sed quando hic mos hodie in prælis inualuit, eo tandem me delabi passus sum. Velim igitur tibi persuadeas me vtriúsque eruditioni non parum tribuere; vt qui habeant pleráq; nec obuia cuilibet, nec inania: quinimo pulcra & ex ipsis musarum adytis depromta. Quod si minus bene mihi cum ipsis aliquando conuenit, scias id non de industria magis quàm fortuitu euenire. plura siquidem, nec pœnitet, ipsis adhuc mihi incognitis nedum perlectis notauerã. At quia Ianus hic plurimus est in exquirẽdis veterum opibus, ac sæpe à violario Claudiani digreditur, tantùm flores delibaui quæ ad poetæ explicationẽ visa sunt magis facere. ei verò suam orthographiã in aliquot vocibus reliqui, neq; græcis accẽtũ vllũ addidi, ratus id ipsi cũ Politiano fuisse cõmune. Alia insuper quidã attigere. nã, vt omittã eiusdẽ Parrhasii Quæsita per epistolam, Bapt. Pius in Annot. prioribus & post. L. Scoppa, Flauius, & Nannius versus aliquot coniecturis sunt prosecuti. verùm hæc à nobis olim explorata, nec tanti sunt vt eorum habenda ratio videatur. Vale.

ARGVMENTA
LIBRORVM DE RAPTV PROSERPINÆ EX EDITIONE IANI PARRHASII.

PERIOCHE I.

DVx Erebi Pluton molitur bella Tonanti
Quòd dulces natos exoptatósque Hymenæos
Nesciat: exorant Parcę ne classica pulset
Rauca priùs quàm grata Iouē connubia poscat.
Ditis Atlantiades celeres fert iussa per auras.
Audierat mandata pater: secúmque volutat
Diuersos ducens animos quę tale sequatur
Coniugium: patrui tandem Proserpina lecto
Damnatur; quam flaua Ceres, heu cęca futuri!
Æthere deserto, siculis commiserat oris,
Turrigerę que petit Cybeles secura penates.
Accelerat pręcepta Venus, iussúsque parentis
Pallas, & ipsa comes Veneri soror addita Phębi.
Vt ventum ad sedes plaudentem pectine telas
Germanam offendunt, rediturę munera matri.

PERIOCHE II.

Postera quum primo nituere crepuscula Phœbo,
Fraude Dionea riguos Proserpina saltus,
Sic parcę iussere, petit, confisa sororum
Pręsidio; famulę longo post ordine nymphę.
Itur in ęterno vestitos gramine campos,
Et prima sub luce legunt. quum rore serenus
Albet ager, sparsósque bibunt violaria succos.
Sed postquam medio sol altior adstitit orbe:
Ecce polum nox atra rapit: tremefactáque nutat
Insula cornipedum fremitu cursúque rotarum.
Diffugiunt nymphæ. rapitur Proserpina curru
Implorátque deas. verùm reuerentia patris
Obstitit auxilio. nam Iuppiter æthere summo

Pacificas rubri contorsit fulminis alas
Confessus generum: stygiáque Hymeneus in aula
Personat, & læti peragunt conuiuia manes.

PERIOCHE III.

Iuppiter vt superum iàm consedisse Senatum
Conspicit accitu Thaumantidos, orsus ab alto
Exponit solio: Cur vitæ larga prioris
Commoda sustulerit, regnatáque sæcula patri.
Scilicet vt curis acuat mortalia corda
Nunc ne se toties questu Natura fatiget
Chaonio statuisse homines auertere ritu.
Atque ideò Cererem longo discurrere luctu
Decretum: donec notę lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges. pœnásque minatur
Si quisquam Cereri raptorem prodere diuûm
Audeat. illa diu Phrygiis bacchata sub antris
Nocturno tandem monitu sua tecta reuisit
Agnoscítque domus cladem. petit ilicet amens
Æthera. cúmque nihil miseram lamenta iuuarent
Cælicolûm patuere doli. tum faucibus Ætnæ
Succensas quatiens pinus erroribus aptas
Noctiuagis, oras siculas accincta peragrat.

OPVSCVLVM QVOD SATIS CONSTAT non esse antiquum : eius verò lemma non alienum videtur à superioribus.

PRÆFATIO.

Legiferæ per matris iter, flexúsque draconum
Aerios, mundíque plagas non deside penna
Ne noua vis errare facit: licet accola Nili
Musarum antistes sua per vestigia ductum
Indignetur opus, sed enim pręnobilis auctor
Imperat, atque ausis spondet iuuenilibus auram.
Nec fas est renuisse viro, quem Iuris & æqui
Diua potens reuerenter habet, quo præside rerum
Ipsa videt sua templa coli, & spirare columnas.

SELECTA QVAEDAM EX A. IANI PARRHASII COMMENTARIIS IN CLAVDIANVM.

IN PRÆF. PROSERPINÆ.

INVENTA. Inuenire & Reperire hoc differunt quod alterum studij est, alterum fortunæ. Ouidius: Tu non inuenta reperta es.

NOTO. Hauster latinè dicitur ab hauriendis aquis. vt quidam tradunt. eadem græci nominis ratio est. nam votis humor apud eos. vt monet Gellius.

IN LIB. I. RAPTVS PROS.

IVNONIS. Statius: Stygiæque seueros Iunonis thalamos.

MENS CONGESTA. A negotio omni seuocatus animus secũque esse coactus, inquit Cicero. quid si, mens congesta, intelligatur retrorsus auocatus animus ad cogitandum? vide quid sit cogitare apud Varronem.

DEI. Apollinis. vel Cereris. quippe diis vtrumque sexum vetustas dedit, vt docent Seruius & Macrobius.

ROSEAS. Maro sanguineas, sed Claudianus quod horroris erat à re diuina submouit.

HEDERA. Alexander ea coronatus ex India rediit auctore Plinio. hederæ inest spiritus qui in furorem concitat, & ebrietatem inducit.

AVARIS. pecuniæ cupidis. aut auaras opes dixit ab affectu, quod homines auaros reddant.

BARATHRO. Imo Tartari fundo. vide Hom. & Virgilium. Barathrum græci vocãt quaquauersum profundum locũ, vnde emergi non possit. C. Balbus Argon. II. Inferni qualis sub nocte Barathri.

ÆGEON. Plinius in iis quæ de dubio sermone composuit; sunt quædam. ait, quæ ad nos vsque per proprios gentis suæ vultus formamque custodiuntur. vt Platon, Xenophon, Ægeon.

GENIBVS

GENIBVS. hæc à supplicibus attingebantur. ad hæc manus tendebant. hæc vt aras adorabant veteres, vt tradit Plinius. Misericordiæ sedes seruio.

DVCVNT. Tibullus: ensem Immiti sæuus duxerat arte faber. inde æs ductile.

PER NVBILA. per aërem, quem dixit auium. Stat. sonat auius æther. alij Perauia legunt composita dictione, quod non displicet.

SALVE. & hoc triste omen est. nam mortuos ita salutabant veteres: Salue & Vale.

MODVLATVR. C. Seuerus: Pinea frondosi coma murmurat Apennini. Septimius in re. agraria: Pinea brachia cùm trepidant audio canticulum Zephyri.

DITIS NOTA. Aristophanes in Nubibus equum denominat à græca littera C quæ aliàs Σ ipsius tergo inusta, Saphorum.

IN PRÆFATIONEM LIB. II. RAPTVS PROSERPINÆ.

LEO REDITVRVS. arguté. nam cælitùs à Lunæ globo lapsus est. vt ait Nigidius, & Lutatius in II. Thebaidos. Seneca: Leo flāmiferis æstibus ardens Iterum è cælo cadet. quia semel lapsus erat in monte prope Nemeam. Pythagoras dixit domos, agros, syluas, & saltus inesse Lunæ.

SOLVS AMAZONIO. Solus. id est sine socio, vel vnus omnium.

CINCTVS. arcu. vel, Cinctus absoluté. nam Cinctus, expeditus & strenuus: vt contrà discinctus mollis & effeminatus dicitur.

CERVAM. Cornibus aureis, vt ait Pindarus à Grammaticis notatur, quòd feminæ cornua non habeāt. at Seneca: Mænali pernix fera multo decorum præferens auro caput. nam quid impedit, vt ait zenodotus, pro diuerso regionis ingenio non eundem corporis habitum ceruis informari.

IN LIBRVM II. RAPTVS PROS.

SVMMA parte. laterum tenus qua serpentibus homo committitur. nam serpentum crura gigantes habuerunt.

GYRO. ambita. quidam codices habent, Ferro: quod magis conuenit.

SILVÆ. arboris. pars à toto. Virg. Quales quom vertice celso Aëriæ quercus aut coniferæ cyparissi Constiterant silua alta Iouis.

CLYPEVM. Palladi clypeum tribuit vetustas ad indicandum

orbem terrarum regi à sapientibus. auctor Capella.

ROSEIS. à colore luminis, aut pulcris. Virg. Rosea ceruice refulsit. Maximianus: Vernarent propriis ora serena rosis. Hermes in tumulo coniugis: Rosa grata Dione & flores grati nymphis & lilia sera.

ALVMNIS. sole & luna quos educabat. sed & quæ nutrit alumna Latinè dicitur. Virg. ad Messalam: Non illa quidem communis alumna omnibus iniecta tellus tumulabit arena. Tacitus in dialogo de oratoribus: Est, inquit, magna ista & notabilis eloquentia, alumnæ licentiæ: quam stulti libertatem vocant.

LÆVA PARTE. Sinistro brachio. sed altior in recessu sensus. nam grecus auctor Seuerianus pluribus explicatè contendit, ab opifice omnium deo Solem primo iactum deinde Lunam & eam quidem in occidentis confinio constitutam. in aduersa verò cæli regione solem. nam in siderum ratione quod in astronomico docet Hyginus Cęli dextra pars, Oriens; Sinistra occidẽs appellatur. Plinius: Omnium, inquit, siderum errantium meatus interque ea solis & lunæ contrarium mundo agere cursum, id est læuum: illo semper in dextram præcipiti etrusci aruspices dextram appellauerunt, quæ septentrioni subiaceat, sinistrum quæ ad meridianum terræ occasum, auctore Higyno. Orpheus ait solem quum dexter est Auroram gignere, quum læuus est noctem.

ADEMTIS. omissis scutis: quæ breuissima & in modum dimidiæ lunæ gestabant Amazones.

GETAS. Hos Afer Dionysius ad Aquilonem statuit in Scythia, non procul ab Istro. Geta etiam seruile nomen. Sedulius: Tragicóue boatu Ridiculóue Gete.

ÆTNA parẽs florum. Aristoteles inter naturæ miracula tanta ibi copia flores prouenire scribit vt neque canes sagire, neque inde nisi per vim abduci queant.

PHOENIX. Extat Lactantij Firmiani carmen argumento Phœnicis non iniucundum. vbi vox Iulæa quid sibi velit nonnulli dubitant. itáque operæ precium facturus videor si tacitum non reliquero. Iulus bestiolæ genus est apud Lycophtonem quam centipedam vulgò vocant. sed placet intelligas Iulęas voces suaues, nam Iulis oppidum fuit insulæ Ceæ quæ Symonidis patria, qui Melicus à suauitate cantus dictus est.

MEDIO sereno. nam quum vndique circum loca nubila sint, vt diximus, medium cæli spacium quod Ennensibus campis imminet serenum est: O ridiculos quosdam, qui cuiusmodi homines sunt, ad poetæ sensum quum non aspirarent & mutilatum locum suspicarentur contexere sagum purpuræ tentauerunt id est Claudiani versibus ineptissimum suum carmen inserere.

SEMITA. Dubium non est, inquit Seneca, quin Arcus sit solis imago roscida & caua nube concepta. videmus enim quum fistula aliquo loco rupta est aquam per tenue foramen elidi, quæ sparsa contra solem obliqué positum faciem Arcus representat. Idem videbis accidere siquando volueris obseruare fullonem quum os aqua impleuit & vestimenta tendiculis diducta leuiter aspergit, apparet, varios edi colores in illo aëre asperso, quales in arcu fulgere solent.

SYLVA. propriè dicitur vnde materia cæditur, à græco quod est ὕλη.

LAVRVS Daphne græcè dicitur ab intentiua particula δα & φωνή. quia ingenti cum strepitu crematur. Eustathius primo Iliados ait Laurum fragosiùs combustam portendere aliquid boni. Tibullus Laurus vbi bona signa dedit. propertius: Et tacet extincto laurus adusta foco.

ADMITTIT in altum. ad imum perspicuus est. non excludit visus. Serenus: Summa boni est alacres homini contingere visus.

PERGVM. pergusam Naso dixit. Homerus etiam per apocopen multa protulit. Simmias Dodonem, Dodo extulit. Epicarmus Syracusas, Syraco. Lycophron Aborigenes, Borigenes: Iphigeniam, Iphin: Asclepium Epium. quin & Æschylus Tiphyn, Iphin dixit.

DOLORIS. Nonnulli cum Politiano veterem lectionem interpolant. & scribunt Cruoris atque ad Rosam referunt ex Aphthonio. Plus tamen apud me antiquorum codicum fides & auctoritas valet, in quibus, Doloris vbique scriptum. quom rosas paulo post poeta commemoret.

FVNDI. Fundus est quidquid solo continetur Ager verò fundi species ad hominum vsum comparatus. Sunt que fundi infinitum malint à verbo fundo, quod non displicet.

REGES. Rex apum sine aculeo est. Noluit illum natura sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, telúmque detraxit & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc, inquit Seneca, regibus ingens est.

DISCI. Discus pertusus & planus lapis quo non pueri solùm, sed indolis heroicæ viri græco more exercebantur. Iactabatur aluta vinctus aut solus in duo referendo & periculum erat, & apparebat ars. sunt qui orbiculatum fuisse tradunt quibus Hammonius non accedit, Superiora Tryphon de proprietate græci sermonis libro v. Pindarus etiam discos lapideos appellauit.

FRONTE retusa. perfracto cerebro. sed præstat ad ipsum deum referre, cuius in fronte radios amisso puero retusos & hebetatos

fuiſſe poeta ſentit: qualem fulminato Phaethonte ſcribit Ouidius. vt conueniat cum ſequenti: Hunc fracta Cephiſus arundine luget.

ALPINA glacies. eleganter ambigit. quis enim credat in hac orbis plaga homines habitare. at Tibullus: Teſtis Inalpinus. non Arupinus vt quidam inuerterunt. Feſtus verò ait Alpes à niuium candore appellatas, quoniam græci ἀλφον nos Album, Sabini Alpon dicunt.

ACVMEN. Summa celeritas mentis, ait Hom. & Thales, præſertim ſi curis æſtuat. habéntque mens & iaculum ſimilitudinis inter ſe quandam cognationem. nam & per haſtam mentis acumen in Pallade repreſentatur, vt placet Capellæ.

MVNDVM Pythagoras Mundum primus appellauit. Democritus & Epicurus inane immenſum, & infinitos in eo mundos ſtatuerunt. Irata Pallas orbem terrarum ſuperis & ſibi vindicauit. alioqui in ſortitione Mundi Tellus indiuiſa permanſit & fratribus communis. Statius VIII. Thebaidos. O rerum media indiuiſáque magnis Fratribus.

AVIDOS tranſire. Cic. pro Quintio. Concilium cæpit euertere.

GENERVM. ſponte filiam Plutoni concedendo Iuppiter generum teſtatur.

ELYSIOS cãpos. Plutarchus Dion & Philoſtratus in inſulis quas alij Britannicas, alij Atlanticas vocant ad Oceanum ſtatuunt. quibus aſtipulatur Euripides, Heſiodus & Homerus. Eoſdem Caſtor gener Deiotari in lunæ globo conſtituit. vnde inſtitutũ ait, vt Natalibus apud Romanos qui eſſent illuſtribus, lunulas in calceis ferrent. argumentò quòd obita morte rurſus animi ſubiectam pedibus lunam calcabunt. id quod Lucanus & Papinius adfirmarunt.

DOLORES. Papinius: Fœdera conciliant noua, ſolanturque timorem.

RARESCERE. tenuari.

NOX picta Dea parens omnium Orpheo, quæ & Cypris. inde veteris comœdiæ poeta Ariſtophanes Amorem nocte genitũ dicit.

IN LIBRVM III. RAPTVS PROSERPINÆ.

HIc Elegiam alieniſſimo loco librarius male ſedulus inſeruerat. arbitratus huic etiam libro addendam præfationem. ſed in antiquis codicibus Panegyrico VI. Conſulatus Honorij præludit. quorum fidem ſecutus expungendam cenſeo veteris Praxiphanis,

& Aristarchi exemplo, qui prooemium sustulerunt ab Hesiodi Georgicis, quod in antiquis exemplaribus non extabat.

CONSIDERE iussi. Nam Iouis iniussu non auderent. Statius Th. I. Nec protinus ausi Cœlicolæ, veniam donec Pater ipse sedendi Tranquilla iubet esse manu.

CÆLESTIBVS. Diis superis & quos selectos appellant. quorum nomina Ennius vno disticho complexus est.

FAVNI. Horum maximus Par dicitur, Penelopes filius ex Vlysse; vt ait Macrobius. vel ex Mercurio susceptus. Duris verò Samius ait Penelopen per Vlyssis absentiam procis omnibus sui copiam fecisse, quorum promiscuo concubitu sit natus Par.

ADDVXERE curas. Effecerunt vt rursus illis vacem, atque animum intendam.

SOLICITÆ. Visum nobis est quasi calcar hominibus addere ad inuestigandas artes. Virgilius: Curis acuens mortalia corda, Nec torpere graui passus sua regna veterno.

LIVESCERE. Philo Iudæus de mundi creatione, ait: Opificem rerum omnium Deum esse bonum, nec vlli inuidere. Phocylides: Non inuidet, inquit, Luna Soli; non Tellus Cælo, non Amnes Ponto.

NOCVISSE. Stoïci in Deo gratiam quidem esse, iram non esse contendebant. Cicero in off. Nocere deos non putat. Sophocles: Inhonora Pestis, inquit, est; Nam Deo beneficos esse oportet, illa verò perdit homines. Pindarus tamen ait vbi dij semel profuere, bis postea nocere.

EGESTAS. Arrianus libro de Prouidentia scribit à Gaditanis Egestatem & Artem structis aris honorari: Egestatem vt placata non obsit, Artem velut egestatis remedium. Lucanus Fœcunda virorum paupertas.

NATVRA. Neque fas est, ait Columella, existimare rerum naturam quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donauit, quasi quodam morbo sterilitate affectum.

OCVLORVM orbes. Quandoque dicuntur foramina frontis concaua intra quæ latent oculi. Statius: Tunc varios orbes. Prudentius: Illic vtrisque obtutibus orbes cauatos præferens. Lactantius: Orbes ipsos humoris puri ac liquore plenos esse voluit. alij legunt: Ignes, & luminum scintillas intelligunt.

COLORANTVR. Frontinus Stratag. lib. I. Strigosiores notabat equos, & coloratiora hominum, vt ex via. corpora, id est, fusca.

ETIAMNVM adhuc. Integra pars orationis Plinio familiaris.

TE NON Caspia. Colorem traxit è Virgilio. Quod si legas: Si tu nota Ceres, & me non Caspia tigris Edidit. idem sensus erit nam & hoc, & illo modo Ceres crudelitatis arguitur.

INIVSSÆ. Statius:nomēnque beatum Iniussæ scripsere manus.

MIRANTIA. Pectora mirantia quod nulla ex causa pulsarentur.alij frigido sensu mœrentia legunt.

ATTONITVS stabulo. Duas papinij comparationes in vnam contulit.

CATERVÆ. Magna ferarum vis,& armenti vastatrix. aut hostilis aliqua manus, quod placet.

EFFVSA COMAS. discissos & solutos habens crines.

CANOS. albos ab ætate crines.

LAXAVIT. Trogus:vbi dolor vocē laxauerat, nihil aliud quàm pacorum vocabat.

ALCYONEVS. Hercules cōfossus telis occubuit.ait Lycophron. intérque eius filias septem quas nominat Egesander,fuit pallene.

TIMORI cessit.Stat.versúsque dolor dat terga timori.

EMPTVM velit. Virg. Tempus erit magno quum optauerit emptum Paulus ad legem Aquil.quem tu magno emptum velles.

FLOREBAT. Statius:Florebant hilares inconcussíque penates.

ÆTNÆA rura. sic plerique omnes codices non Ennæa. nam & Oppianus Περσεφόνην ἥρπαζεν ὑπ᾽ αἰτναίοιο πάγοιο. id est Sed quam persephonem rapuit sub montibus Ætnæ.

LVBRICA. Ætatis lubricum dicit Fabius adolescentiam, in qua qui sunt,facilè labantur.

RAPIT polum. aufert æthram. quod sumpsit ex illo Virgiliano: Eripiunt subitò nubes cœlúmque diémque Teucrorum ex oculis.

STREPITV. Tibullus:Neu strepitus terrete pedum.alij Fremitu. &,pulsúque rotatum.

MORTIFER. auriga Mortis.Seneca de plutone: Tecum cōseruit pestiferas manus.

LVTOR permansit in herbis. sunt qui Liuor emendent. Nos antiquam lectionem tuemur. nec improbamus quod in aliis exemplaribus,Luror,legimus.

AFFLATVM. eius anheli tu contactum & inspiratum:

PALLERE ligustra.Ex albis lutea fieri.

PERSPICVVS fons. Clausula vnius syllabæ gratiam addit. Virgilius: sæpe exiguus mus,conspicitur sus. procumbit humi bos.

MATRE hyrcana. Fœta tigri quæ sæuior est vt inquit plinius.

ACHEMENIO. Regi persarum quem ex Achemenia tribu mos erat optare.

MARITO. Dij boni quæ quorumdam præceps audacia, qui vbi minus ipsi explicatam habent historiam statim contra fidem veteris litteraturæ pro sua libidine verba interpolant, vt hoc in loco quum nusquam legissent tygres vento concipere virgula Aristarchi censoria.Marino pro Marito substituerunt.nos Marito legendum cē-

fuimus ex Oppiano. αὐτῷ γὰρ πεθέειν ἰκέλη ζεφύρῳ γενέτηϊ. id est: Nam similis Zephyro planta pernice patent. Mouit Claudianũ quod equabus Hispanis in agro Vlyssi ponenti idem euenire legerat apud Varronem.

VIRENTIBVS. Quippe è quadrupedum genere tam varia tigris est, quàm pauo inter alites auctore Oppiano.

VITREÆ. Hanc artem captandi tigres D. Ambrosius. Hexam. lib. VI. pluribus verbis exequitur de natura loquens: Illa, inquit, tigridis interpellat ferocitatem, & imminẽtem iam prædæ reflectit. Raptor Sphæram de vitro proiicit. at illa imagine sui luditur, & sobolem putat. castam versat imaginem, & quasi lactatura fœtus residet. sic pietatis suæ studio decepta & vindictã amittit & prolem.

ACIN. Ouidius: præterit & ripas herbifer Aci tuas. In catholicis probi legimus. Cis omnia terminata si non fuerint generis cõmunis græca sunt: hinc Acis in Sicilia fluuius in genitiuo declinatur Acis. carmini tamen obsecutus Ouidius dixit: Acidis in genitiuo.

DATVR. vulgo traditur. Statius in Syluis: Asopus genuisse datur.

ZANCLI. melius ita quam Caci. nam Zanclus vrbi Siciliæ cui suppositus est nomen dedit, vt tradit Stephanus. aliam causam tradit Nicander ab historia: Illic enim ferunt absconsam falcem qua Cœlum patrem Saturnus execuit: quippe falcem Siculi Zanclon vocant. alij codices habent Cœi. C. Balbus Argon. III. Fundo veluti quam Cœus in imo vincla Iouis, fractóque trahens adamantẽ catenas Saturnum Tityúmque vocat, spémque ætheris amens cõcipit.

MIMANTIS. Silius: Mixtus Athlas Pindo, Rhodopéque adiuncta Mimanti.

INCERTA. quo fortuna defert bipennim coniicit obuias quasque arbores sine vllo discrimine ferro prosternens.

PETITVRA. Ecce cur nõ certos idus libraret, quia nihil interesse arbitrabatur, quàm priùs arborem deiiceret. quippe cui erat impetus vel ipsum Iouem si se efferret eodem pacto vulnerare.

ORONTES. Amnis hic ab anteriore Syria caput tollit mox inter Apameam & Antiochiam demergitur in hiatum quem Charybdim vocant, inde quinque millibus passuum per cuniculum lapsus rursus emergit. Typhon antea dicebatur à gigante illic fulminato, vt ait Strabo. Mox ab eo qui ripas ponte iunxit Orontis nomẽ accepit. Is Indus genere fuit in alueo fluuij sepultus: cuius simile cõditorium cubitis vndecim eóque amplius longum cum cadauere paris magnitudinis effossum est ab Imperatore quodam Romano, qui fluuium nauium capacem ab Antiochia vsque ad eius hostium fecit. auctore Pausania. Antiochiam secat si Dionysio poëtæ credimus.

NVTRITOR. In cuius ripis ſpectatiſſimæ lauri virent. & alluſit ad Daphnen Antiochiæ ſuburbium, quod octuaginta ſtadiorum ambitu claudebatur, vt Strabo refert. Loci meminit Iulianus Cæſar in Myſopogone. Auſonius: Phœbęæ lauri domus Antiochia. Ceterùm Apollinis Daphnei lucus immenſæ proceritatis ait cupreſſos in memoriam Cypariſſi pueri. vide Philoſtratum.

FVLVIS. Ignis repercuſſit, nam quum fulgor in aquas incidit fuluum colorem reddit, qui de viridi atque rufo mixtus videtur, vt ait Gellius.

ETRVSCVM. Tyrrheni maris ora. nam Thuſcia velut ἑτερος ὁρος Etruria dicta eſt. quippe qua Romanos fines alluit Tiberis Etruriæ terminus fuit. Iuuenalis: Imperij fines Tiberinum virgo natauit. Alij dictos Etruſcos autumant ab eiuſdem regionis oppido Atria, quam Diomedes condidit. Æthriam primò nominatum ſcribit Stephanus vel ἀπο τȢ την αἰθραν ασκειν, propter auguriorum peritiam. quod ſi verum, oporteret eius nominis primam produci, quam corripi tamen frequentiùs obſeruabis.

SCYLLÆA. Tedarum ſplendor, inquit; Scyllæ ſpecus euerberat In freto ſiculo Scylla ſaxum eſt appulſis noxium. Palephatus, inter ea quæ fidem non capiunt, meretricem fuiſſe Scyllam tradit quæ quum degluberet amatores indignatione deorum in maris mōſtrum conuerſa ſit. Virg. ad Meſſalam: Docta Palephatia teſtatur voce papyrus & ita noſtra caſtigatione Minutianus impreſſit. in aliis: Noſtra Palepaphia teſtatur voce Pachynus.

REDVCTIS. Lucis metu coercitis canibus.

AD CL.

AD CL.

CLAVDIANI V. C. OPERA.

MARTINI ANTONII DEL-RIO NOTÆ.

MART. ANT. DEL-RIO BONO LECTORI S. D.

EGO *verò non casu nec temerè, quod tibi in mẽtem venire poterat sed de industria diuturna receptum consuetudine scriptorum Cl. Claudiani ordinem in his notis mutaui. Prudenter etenim mihi facturus videbar, ea si serie notas digererẽ, qua libros, quibus adiiciuntur, à poëta compositos iudicabam: secutus, cùm quidem ipsius auctoritatem, tum etiam illorum temporum historiam; quibus ea contigerunt, quæ egregij vatis carminibus lautißimè commemorantur. Primo loco Panegyrim de Olibrij & Probini consulatu, scriptam ab vrbe condita* ∞ C. XLVI. *anno, collocaui: quo quia grauißimi quique scriptores militari tumultu Rufinum, cui Arcadij tutelam moriens Theodosius reliquerat, occisum testantur, duos illos insignes in eundem libros subiunxi. Tum Panegyres totidem, tertij nempe & quarti consulatus Honorij A. scriptæ annis* ∞ C. XLVII. & ∞ C. XLIX. *succedunt. Sequuntur carmina quibus augustarum solemnia nuptiarum & bellum Gildonicum celebrantur. Iccirco nimirum, quia Honorius A. quartùm cos. Mariam, quàm ibi pariter ex Stiliconis domo pactus erat, in matrimonium duxit: & paucis post diebus Gildonem, totius Africæ tyrannidem, occupantem, Mascezil parua manu, victum trucidauit, id vt credam. Claud (ipsius testimonio inducor, qui inquit:*

Coniugij necdum festiuos gaudia cantus
Sopierant, cecinit fuso Gildone triumphus,
Et calidis thalami successit laurea sertis:
Sumeret vt pariter princeps nomẽnque mariti,

Victorísque decus.

Præsertim cum sequentis anni ∞ C. L. Coss. fuerint Fl. Manlius Theodorus & Fl. Eutropius quem noster indicat, cæso Gildodone, consulatu, propter magnorum & atrocium facinorum crimina, deiectum, ait:

—Lybiæ post prælia, crimen
Concidit Eoum: rursúsque Oriente subacto,
Consule defensæ surgunt Stilichone secures.

Vnde præterea docemur libris in Eutropium adnecti (nam Manlij Theodori Panegyris quin libros illos antecedat non dubito) Panegyres eas debere, quæ primum consulatum Fl. Stilichonis, anni ∞ C. LI. laudant. At ∞ CLIV. Romani nobilem illam, de Gothorum rege Alarico, victoriam, multis barbarorum millibus propter Pollentiam auxiliarij militis Alani potissimum virtute interfectis, obtinuerunt. Haud dubiè enim hæc sextum Honorij Imp. consulatum proximè præcessit. Sanè Claudianus hoc innuit, in illiusmet consulatus Panegyri:

Sed mihi iampridem captum Parnassia Maurum
Pieriis egit fidibus chelis: arma Getarum
Nuper apud socerum plectro celebrata recenti:
Aduentus nunc sacra tui lubet edere Musis,
Gratáque patratis exordia sumere bellis.

anno igitur M. CLX. quo sexto consulatu Honorius ornatus fuit, earum etiam trabearum panegyrim poëta conscripsit: eáque iure optimo isti præmittitur, quæ Stilichone II. consule est decantata quoniam hanc anno M. CLVI. recitauit. De secundo verò consulatu hac tractari, non primo, quemadmodum aliis duabus ex eius præfatione patet, & ibi admonui. Postremo fermè loco libros de raptu Proserpinæ statui, quòd nouissimè scripti, vt ex præfatione illis præfixa facilè colligitur, aut pòtius scribi cœpti, videantur. Reliqua neque quo tempore fecerit, neque quomodo ordinarit, equidem adhuc satis intelligo: imò nec alium quemquam, intelligere arbitror, ideò non initio posui, sed in calcem reieci. Porrò quod ad me; talem in castigando diligentiam adhibui, qualem iuris studia, in quæ incumbo toto animo, permiserunt: vt subsecíuis nonnumquam horis (quas enim alij aliis studiis tribuunt; ego bonis litteris, ex quibus maximam, &, vt puto, non inhonestam capio voluptatem, dare

ſoleo) ſeu quod verius, horarum exiguis partibus, manu ſcriptorũ, & veterum impreſſorum, recentiorum quoque codicum collatione, nonnulla flagitia, quorum denſis tenebris clari carminis ſplendidum lumen offundebatur, aut planè tollerem, aut ſaltem indicarem : notus breuiſſimus (nam longiores nec per temporis anguſtiam licebat, nec ſi licuiſſet, volebam) concinnatus; quæ & varietatem lectionum, & quarumdam emendationum rationes, obſeruationes etiam quaſdam complectuntur: adhibito modo, vt multorum leuium errorum nullam mentionem facerem; inanis operæ atque exilis animi cenſens ex rebus tam minutis vel gloriam captare, vel iis, me ſcribendo, te legendo, fatigare. Eadem eſt ratio cur non omnes vulgatos codices, ſed Lugduni tãtùm, à Beringis anno CIↃↃ. LI. *excuſum, emendarim : cùm minùs vitiatus foret. illius itaque ſemper notis lectionem præpoſui. Hæc, ne te conſilij mei ratio lateret, præmittenda duxi. Vale; & ſi quando, vt fit, in ſaxum impegero, tu id nõ nouum, non turpe, ſed vulgatum, ſed humanum exiſtima.*

Louanij A. D. IIV. *Kal. Decemb.* ∞ IↃ. LXX.

AD PANEGYRIM DE OLYBRII ET PROBINI FRATRVM CONSVLATV NOTÆ.

IN PROBVM ET PROBINVM ATQVE OLYBRIVM FRATRES. Quid hac inſcriptione ineptius dici queat non video; tamẽ ea in pleriſq. libris habetur. Reſtituenda eſt hoc modo: DE PROBINI ET OLYBRII FRATRVM CONSVLATV. vel, quod potius eſt: DE OLYBRII ET PRO. &c. nam & ſic penè tradunt membranæ: & Olybrius primus Conſ. fuit; & Probus non horum frater, ſed pater erat.

Seu genus Auchenium. vet. lib. Ancherium, neutrum benè. vocabantur hi coſſ. Sex. Anicius Hermogenianus Olybrius, & Sex. Anicius Probinus. quare arbitror, hoc loco, Anicium, ſcribendũ. nec eſt quòd quis arbitretur priorem ſyllabam corripi debere, cùm tam, Annicij, quàm, Anicij ſcribatur.

Auniadæ. vet. lib. potentes Aniadæ, lego Anniadæ, geminato nn: ab his enim. qui hîc celebrantur, originem repetebant: qua de re nonnulla Auſonius epiſt. ad Probum, & Prudentius lib. I. contra Symmachum.

Per faſces numerantur aui. D. Hieronymus ad Demetriadem. ſcilicet nunc mihi Proborum & Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, & inluſtris Anicij ſanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus erit, qui non meruerit conſulatum.

Prima ſede relicta Auchenijs. ait Anniciis, propter nobilitatem generis, illud à Senatu priuilegij conceſſum, vt dicendæ primo loco ſententiæ ius haberent: porrò & hic, Anniciis, recenſeo.

Fratre retruſo. ſiue ſic vt tres impreſſi; ſiue, retuſo, vt alij totidem; ſiue legamus cum manuſc. recuſſo, ad ſententiam quidem, non multum intereſt; quo ad elegantiam verò non parũ. namque, recuſſo, eandem hoc loco vim obtinet quam percuſſo, apud Lucre-

tium lib. v. Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitere, ínque dies maius lumen conuertere nobis. Ad ſpeciem, quantum ſolis ſecedit ab orbe, Donicum eum contra pleno bęne lumine fulſit. Itęm alibi: Recta aut obliqua percuſſus luce refulget. Prudentius, repercuſſo, dixit: Aut, ſi fuſca polum ſuffundit palla ſerenum, Oppoſituſq; quotiens radiorum ſpicula nimbus, Igne repercuſſo mentitos ſpargit in orbeis.

Gelido ſi quem, &c. Horatius. Od. I. Manet ſub Ioue frigido venator.

Denſo currentia munera nimbo. vet. lib. quem mihi donauit Ludouicus Carrion Iuriſconſ. primarum artium princeps denſos c. m. nimbos. & paullò poſt: ſed quis tellure reuulſa Sollicitis fodiens miretur collibus aurum. nihil repono, neque reponendum puto Sententia eſt: Si quis in imis terræ radicibus aurum fodiens, inuectam quantitatem aliquam miratur; admiretur ille potiùs liberalitatem Probi; qui tantum quotidie largiebatur, quantum ſtagna Tagi, &c.

Reſonent ſi. manuſc. pateant ſi. quod Vicetina editio, omnium quas vidi antiquiſſima, confirmat.

Acta Probi narrare queam. elegantiùs vet. cod. numerare eritque amplius illo Ciceronianeo; non dicam exornare, ſed enarrare C. Cæſar. &c.

Italia late, &c. fuit Sex. Petronius Probus; vt hinc & ex inſcriptionibus duabus, quæ Romæ in domo Cæſia viſuntur, & Ammiano, denique aliis ſcriptoribus patet; quater præfectus Prætorio Italię, Illirici ac Africæ, conſúlque Galliarum ordinarius.

& longo. egregiè vet. lib. lento.

Poſtquam fulmineis. Poſtquam Theodoſius Imperator tyrannis deuictis, Alpes Iulias patefecit.

Geminiſq. fidem. Maximo primùm, deinde Eugenio.

Traduntur permixto. truduntur; agnoſcunt Vicet. & Pariſienſes: Lugdun. & Baſileenſ. traduntur: manuſc. & Moguntini, quod nō repudio turbantur.

Gradiuus in aruo. vet. lib. Hæmo. ſic Papin. I. Thebaid. Geticóque pecus ſtabulare ſub Hæmo.

De Hæmo Liuius L. XL. vet. lib. tertio abhinc verſu, ſplendōribus Hæmum.

Inhorruit acri. Solus Vicetin. acriter: vnde ceteri acri, effecerūt ingenioſè: niſi in vet. codic. inueniretur; atrum: & luci, minimè cædui, nihil, aut parum admodum, lucerent.

Labores. ex ſequenti verſu apparet legendum, cùm v. l. vapores. porrò ne quis fallatur: hæc, non ab Honorio. ſed Theodoſio ſeniore, qui nondum è viuis exceſſerat dicuntur.

Paribus. vt enim maximi, sic & Eugenij, viui potius erat.

Araxes. Hermol Barbarus in Plinium castigat. Iaxes, qui Bactrianorum est, legit: cui, cùm tam vet. lib. quàm vulgati quotquot vidi (præter Vicetin. qui insulsè, Artaxerxes) omnes repugnent, & vno ore, Araxes, tradant, neque ego assentior.

Quo iudice totum. qui hæc de Prætorio Hispaniæ intelligunt; nę illi se homines esse docent; eósque homines, qui nõnumquam grauiter labãtur. haud dubiè enim de Italię Prætorio, cui probus præfectus fuit, agit. legunt in membranis; vindice.

Auratas trabeas. nescio cur bono cuidam viro in mentem venerit existimare hîc muliebrem, seu matronalem trabeam describi: cùm non illa, sed consularis, qua consules labente imperio cœperunt vti, graphicè depingatur.

Cretam venatibus. emendo ex vet. lib. certis venatibus. Horatius: Metuende certa Phœbe sagitta.

Ille maritos. in quibusdam vulgatis codicibus; quatuor deinceps versus collocantur hi; Ceu sibi certantes sexus qui possit vterque Hunc legere, ad herum. taceat: Nereida nuptam Pelioni, duplici fecundam cõsule matrem, Felicémque vterum qui nomina parturit annis. quos nõ existimo esse τῦ ποιητῦ, verùm eius, qui crediderit aliquid desiderari? cùm reuera, si accuratè perpendas totũ locum, iis sublatis, nihil desideretur. Adde quòd & verbis & sententia ineptisint. Adde quòd neque in manus. neque in Vicetinis; Moguntinis, Parisiensibus habeantur. itaque eos delendos censui, vt adulterinos.

Tiberinus. genius Tiberis. Ennius annali. primo.
Te nũc sancta Venus precor, & genitrix patris nostri, vt nos de cælo visas cognata parumper: Téque Quirine pater veneror, Horámque Quirini, Téque pater Tiberine tuo cum flumine sancto.

Omnia nimbi. præclarè m.s. & Mogunt. quem plerũque, vet. German. appello. omina.

Taurini leuantur cornua. videntur itaque Romani Tiberinum homini cornuto assimilasse; quemadmodum Athenienses. Æliano teste, Cephissum. Euripedes in Ione. Cephisso; in Oreste, Oceano? Horatius Aufido: alij. Aliis fluminibus cornua ascribunt. rationẽ Sophoclis in Trachiniis interpres reddit.

Illi percurrens. non dubito, quin legendum sit, Ilia; quam Acron tradidit creditam Tiberino nupsisse? & quam ante aliquot carmina, dominam herilem vocauit, de qua Sidon ad maiorianũ: Pectus (*nempe Tiberini*) palla tegit. quã venerat Ilia cõiunx. emẽda: neuerat.

Aggere votum. Antiquo more, illis etiam num temporibus cõsules, cùm magistratum iniissent, vota pro salute principis & ciuium; atque pro imperij æternitate, nuncupabant. eò respicit.

Eurota Sparteue tuis. meus codex scriptus? Eurotha partáue. hinc ego coniicio: Eurota Spartane, sed cur Spartane? quia propter Spartani fluit.

Falsus olor. Iuppiter; qui, oloris forma, Lędam compressit. Eurip. in Helena.

Decernere caestis. quod Pollucis proprium fuit, vtrique tribuit.

Flaua que tenens querceta Maricae Liris. Primò sciendū, in mēbranis legi, terens: deinde eas, & cū iis Vicetin. continere, Mariscæ. posterius, quin vitiosum sit, dubitari nequit. Horatius: & innantē Maricæ litoribus tenuisse Lirim. Lucanus: & vmbrosa Liris per regna Maricæ Vestinis impulsus aquis. Maricam Nympham, Fauni vxorē fuisse tradit Seruius. Mariscæ verò, ficus sunt; de quibus Cato de re rust. cap. VIII. & ad horum similitudinem vlcera; ficos. Martialis ad Cæcilianum dixit; in podice τῶν βαλανοβορῶν nascentia.

Reparat arua. vet. lib. temperat: quod mihi probatur. temperat verò vligine sua flauū Oebalicæ terræ colorem. Vnde Virg. Georg. IIII. Qua niger humectat flauentia culta Galesus. Sidonius in Propentico: Picei latex Galesi.

Quadrifidum. totum annum, qui quatuor constat temporibus.

Imbuat vuis. vet. lib. Ambiat.

AD PRÆFATIONEM LIB. I. IN RVFINVM NOTÆ.

SANGVINEIS *tangeret.* eleganter vet. lib. & duo vulgati; tingeret. sic enim Virgil. vix suppositi tinguntur sanguine cultri.

Vipereo. Pythonis ab Apolline sagittis confixi.

Cephisus liquidus. quia Phœbo sacra loca recenset, licet vet. lib. repugnent, & Cocytos, vel, Cocytus, seruent, scribo. Cephissus: quo nomine septē fluuios appellatos tradit Strabo. noster de Phocensi loquitur; de quo Homerus in catalogo, Pindarus sæpè, Pausanias in Bœot. Lucanus lib. II. quos impiger ambit Fatidica Cephissus aqua. *Pythone.* Rufino.

AD LIB. I. IN RVFINVM NOTÆ.

SÆPE *mihi.* attendit fortè ad versus Euripidis act. III. Hecub. quorum initium est:

ὦ Ζεῦ τί λέξω. &c.

Censet ambigua, vel nulla putat, vel nescia veri. at quinam quæso nes-

cire Deos veritatem contenderunt? multi ſanè nullam illos rerum gerere humanarum curam putarunt, vt ex Laërtio patet. quare aſſentior manuſc. & quibuſdam excuſis habentibus; quæ numina ſenſu Ambiguo v. n. p. n. noſtri.

Vt lapſu grauiore. nam, vt ait ille, lento gradu diuina procedit ira, vt grauitate ſupplicij tarditatem compenſet. Vicetin maiore.

Impatiénſque ſui morbus. ἀνέλπια Demoſtheni.

A ſtirpe reciſis. Maro: ima quod ſtirpe reciſum.

Conuentúque. Victorinus Afer, quoriens præpoſitionem ſequetur vox inchoata à litteris, b. f. r. m. p. y. vox inquam quæ præpoſitioni iuncta ſignificationem eius confundat; com, non; cō ſcribendū tradit.

Laxare. non deſunt, qui legant, vexare: quod vocabulum vehementis eſt ſignificationis. Auctore A. Gellio lib. II.

Spicula. Athamas apud Ouid. parua Learchum Brachia tendentē rapit, & bis térque per auras More rotat fundæ.

Hac auſpice. Vide Sophoclem, Euripidem, Senecam.

Tigride. Tigris à celeritate nomen adepta, tum eſt rapidiſſima, cùm catulos lactat: qua de re carmina ſunt Claudiani tertio De raptu; quo loco noſter Oppianum ſecutus vento eas concipere tradit, licet Ariſtoteles, Plinius, Solinus, Pollux & Themiſtius cōtrà ſentiant.

Refluis incertis vndis. vet. cod. flauis, hinc erroneè, fluis, a omiſſo: vnde, refluis.

Ceraſta. de his quædam cognitione digna Nicander.

Me tradente. hic verſus ſic repræſentatur in vet. lib. Méque etiam tradente dolos, &c.

Fraudem prætexere riſu. ſic vulgati, vet. verò lib. fidem protegere. quid ſi, quod Carrioni placet, pertexere legamus?

Rabidóque magiſtram. membranæ, rapidóque: hoc eſt omnem in partem mobili, & expedito.

Muros Elyſæ. Eliſæ manuſ. ſed ſcribas, Eluſæ: Cæſar lib. III. Tarbelli, Bigerriones (fortè, Bigerri) Preciani. Vocates, Taruſates, Eluſates, quos neque Plinius, neq; Ammianus, neque itinerarij auctor Antoninus ignorant.

Sacriſque litaui. probabilior eſt m. ſ. lectio litati, Maro: ſacriſq; litatis, indulge hoſpitio, qualem hic veneficam Claudianus, eiuſdem modi etiam effinxere Tibullus ele. II. Lucanus lib. VI. Apuleius de aſino l. I. & II. Petronius demum Arbiter, cuius verſus, multis à me locis, vet. lib. comparatione, reſtitutos. non pigebit adſcribere: Quidquid in orbe vides paret mihi. florida tellus, Cùm volo ſiccatis areſcit languida ſucis. Cùm volo fundat aquas, ſcopulus atque arida ſaxa Niligenas iaculantur aquas, mihi Potus inertis.

Submittit fluctus; Zephiríque tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes. mihi flumina parent,
Hircanæque tigres, & iussi stare dracones.
Quid leuiora loquor? lunæ descendit imago,
Carminibus deducta meis: trepidúsque furentis
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent; taurorum vt flamma quiescat,
Virgineis extincta sacris; Phœbæáque Circe
Carminibus magicis socios mutarit Vlyßis.

Rex ad prima. Midas. nota res est.

Mœnius. Phrygij enim, vt ait lib. II. in Eutrop. dicti post Mœona regem Mœones.

Instabiléſque olim. ante nauigationem Argonautarum, testibus iis qui Argonautica conscripserunt.

Celsas qua. Nouæ Romæ descriptio.

Ac velut innumeros. Cur mare, omnia quò veniunt ex omni flumina parte, vt Carus ait poëta, incrementum nesciat, ratio petenda ex Aristotelis Μετεωρ. libro secundo capite secundo.

Solitum Crœsi, Cyrique tiara. membranæ Cyro solium, Crœso tiaras tribuunt: mea quidem sententia rectissimè. nam ad illud Horatij od. lib. II. respexit.

Redditum Cyri solio Phraatem. Sic ait Plutarchus: Μηθεὶς ἄλλος ἀνθρώπων καθίστον εἰς τὸν Κύρου θρόνον, πλὴν Ἀλεξάνδρου.

Regum. rectè quidam; regis. Pyrrhi videlicet.

Viuitur exiguo meliùs. Horatius: viuitur paruo bene.

Machina. vel balista, vel aries; qui à Leone imperatore in τακτικῶν lib. eleganter describitur.

Bellua. Tigris. cuius, inquit aliàs, Achemenio regi ludibria natos Auexit tremebundus eques, &c.

Extinguere. at m. s. exscindere, quod non est despiciendum.

Parcendi rabies. dum se, vt iis parcat, mortem differre simulat, multo sæuit crudeliùs, quàm si subito vitam euitaret, quemadmodum dixit vetus Tragœdus: malè igitur quidam; portenti

Concessaque vita dolori. supplicio. Arcadius & Honorius Augg. libro quinto, C. Iustin. ad l. Iuliam maiestatis: sint postremo tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatio, & vita supplicio.

Typhæo stridens Aquilone. emendatissimi libri; Riphæo, Aquilo flans à Septétrione in Riphæis montibus, qui à ῥιπίζω dicti sunt, plurimùm dominatur.

Augusto. Arcadio.

NNNm ij

Post trabeas. defunctus consulatu, cuius auratæ trabeæ erant ornamentum.

Vel Scinis Isthmiaca pinu. lege, non apud hunc modò scriptorem, verùm etiam Propertium, Ouidium, Senecam poëtam, Sinis nō, Scinis. Seneca philosophus de clementia lib. II. Nec interficere contenti sæuiunt, vt Sinis ille. (*sic ex vet. meo cod. emendo, cùm vulgò* Busiris, *legatur*) aut Procrustes. Fuit verò, si Plutarcho in Theseo, & Pausaniæ in Corinthiacis credimus, latro Istmum Peloponesi incolens, viatores incuruata pinu miserabilem in modum enecare solitus. Scholiastes tamen Euripidis Sinnim tradit viatores lectulo, quem ad eos vsus asseruabat, dimetiri, & de pedibus quicquid lectuli modum superabat, præscindere solitum. In vno m.s. legitur; Synon Iliaca pinu. vt ad equum Durium, de quo Homerus Od. ϑ. Euripides Troadibus, aliíq. multi, referatur: quod foret nimis lōgè petitum, nec amplius huic loco cōuenit vet. Germanica editio, quæ; Cyclops hamata pinu, de Polyphemo agens.

Schiron. consule si lubet, Diodorum lib. v. Pausaniam in Attica, Plutarchum in Theseo, & Ouid. Metamor. VII. qui crudelia tetri latronis facinora recensent. mendosè idem m.s. quem proximè citaui, Chiron: nam Chironis antra, non fuerūt, inquit Papinius, æqua nefandis Fratribus. hîc hominum nullos experta cruores Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni. Aut consanguineos fracti crateres in hostes: Sed pharetræ insontes & inania terga ferarum. Pindarus illum icc irco vocat, φηρ ἀγρότερον νόον ἔχοντ᾽ ἀνδρῶν φίλον. & Ouid. v. Fast. iustum senem nominat.

Sepultos. ore conclusos, neque inde in auras prodeuntes.

Solus medióque in. ita Paris. Basileen. & tres Lugdunenses manus. medio sese, sed vet. German. cum Vicetin. sese medio sed nulli rectè, restituo; medio solus sed.

Cum. de hac voce hoc custodire: vt quùm fuerit aduerbium temporis, per qu. siuè vnum u. siue duo, scribatis; at si erit coniunctio, per c. scribi debeat, Victorinus inquit.

Sidus dulce. Castorum; quorum simul alba nautis Stella refulsit; Defluit saxis agitatus humor.

Concidunt venti, fugiúntque nubes, Et minor, quòd sic oluere, ponto Vnda recumbit.

Geminis. fortassis vndarum & venti.

Inachius. Inachi nepos. fabulā eleganter doctis versibus Manilius expressit: idem fecit Ouidius: idipsum quoque duobus his, eruditorum hominum iudicio, meliùs Iouianus Pontanus præstitit.

Virginis. Andromedis seu, vt nonnullis placet, Ioppes, quæ nō cum mōstro marino esset exposita, sed demum, interempto cœto, liberata Persei coniunx fuit. iccirco non lego; coniugis.

Fulmineo igniuomo. de quo legitur Fulmen ab ore venit. flammísque furentibus ardet Spiritus: & terram non cæli flamma perurit. Sed flatus monstri.

Et à primis. quotquot eum sinum terræ incolunt, qui ab initio Orientis ad Occidentis vsque finem porrigitur.

Vis Hydræ, &c. hoc est Hydra. Scylla Chymera: quod dicendi genus Latini à Græcis sunt mutuati.

Desudat. exemplaria vel sic, vel, insudat, vel, defendit, vel, diffundit.

Iam gentes. qua de re dicetur postea.

Qui cornipedes in pocula vulnerat. Papinius Achillëide. Lactea Massagetæ veluti cùm pocula fuscant Sanguine puniceo. Simile de Concanis, qui Cantabriæ sunt, prodidit Lyricus poëta, car. lib. 3. & lætum equino sanguine Concanum. quo loco Dionys. Lambinus candidè fatetur nihil se tale neque de Concanis, neque Cantabris apud bonos scriptores inuenisse. Silius tamen, mea quidem opinione, non contemnendus poeta scripsit: & qui Massageten monstrans feritur parentem, Cornipedis fusa satiaris Concane vena.

Collecta. manuf. vnus & vetus Germanica editio collata: quod vereor recipere.

Vlta ducis socij. huius, dicam, quod res est, nomen me latet. indicanti maximas habebo gratias.

Coniuratísque Getarum. nota genus loquendi.

Vitanda Ceres. cùm rapto viuant, nullam sationis curam habent.

Fratrésque necare. vet. cod. vnus: frontémque secare. vet. German. frontémque secari. Vicetin. fratrésque secare, ceteri fratrésque necare. variæ lectiones in medio sunt, suum cuique iudiciũ sit. *Tendit.* Fl. Stilicho.

Ante tubas. antequam tubæ occinerent, ferrúmque expediretur.

Medo, ita quatuor vulgati, & sic in vniusm. scripti margine adnotatum est. vt de Xerxis expeditione intelligas. Sic etiam Sidonius: cui remige Medo turgida &c. ille tamen m. s. & ceteri in cõtextu, nudo, quia remiges plerúmque nudi brachia & humeros remigant.

Nigris ilicibus. opacis. Virgil. de ramo aureo:

Talis erat species auri frondentis opaca Ilice. vel, nigris, quia, Theophrasto teste, ilices nigram medullam habent. ait lib. 1. de hist. plant. cap. 9 μέλαιναι γὰρ δὴ πᾶσαι (videlicet earum arborum μήτραι, inter quas ilicem numerauit) καὶ τῆς δρυὸς, ἣν καλοῦσι μελάνδρυον.

Quercu. tropheo sequitur qui me de more tropheis Ditat, & hostiles suspendit in arbore cristas. huic enim illud respondet.

Tentoria curru. sic, quidam nonnulli vulgati, tentoria cursu. vet.

lib.veſtigia curſu. Idem poſt aliquot;multóque M.L.malo.

Nexúſue rotarum tende Pauor. Pauorem & Formidinem Martis famulos facit Heſiodum ſecutus: cuius in Herculis ſcuto hæc ſunt. τῷ δὲ φόβος καὶ δεῖμος ἐΰτροχον ἅρμα καὶ ἵππους. Ἤλασάν ἄψ ἐγγὺς καὶ ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης Εἰς δίφρον θῆκαν πολυδαίδαλον, αἶψα δ' ἔπειτα ἵππους μαστιέτην, ἵκοντο δὲ μακρὸν ὄλυμπον. quos in Theogonia idem Martis & Veneris filios conſtituit.

Reuocatáque. Bentinus,renouatáque.ſatis commodè.

Gelidæ ceſſant confinia libræ. iuſtitiã etenim qui vel pingunt, vel ſcalpunt,vel fingunt,τὰ ζυγὰ καὶ τὰ σταθμὰ addunt,indicantes cuncta illam hominum facta cogitationéſque σταθμίζειν καὶ ζυγοστατεῖν. Sed quare gelidæ? an quia Autumnale ſignum, & iccirco frigidum eſt? ſolus Vicetin. codex; geminę: quod ſi vet. lib. confirmaretur, non eſſet cur,gelidæ, retineremus, propter duas lances à ſtateræ iugo æqualiter dependentes.Non ſum neſcius, eo tempore quo ſol in Libræ domo verſatur,diei noctiſque vices æquales eſſe,Manil.æquãtem tempora (*ſic non*,tempore,*lego*)libram: ſed ea re gemina vocari nequit.

Et terras qui. exprimere voluit Prouerb.Cælum terræ miſcere.

Tonſa comas. bello ſuperatorum comæ tondebantur. Propertius: Sub quorum titulis Africa tonſa iacet.

Adunco. edi velim ex vet.lib. obunco. Virgilius: roſtróque immanis vultur obunco,inflexo,incuruo,ἐπικαμπύλῳ.Heſiod.

Rorabunt querceta fauis. Virgilius.

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Algæ. nam & virides,& rubræ ſunt, de quibus itémque ceteris algarum generibus copioſè poſt Theophraſtum & Plinium Amatus Luſitan.comment.in Dioſcoridem.

AD LIB. II. IN RVFINVM NOTÆ.

MVNDVS. Apud veterem poëtam ait,neſcio qui: Peruade Polum Splendida Mundi ſidera bigis Continuis, & apud Senecam Hercules inquit: Quis aſtra natus laudibus meruit ſuis Ex te & nouerca? quem tuli, mundum peto.Item Iuno, mundus puella ſerta Gnoſſiacę gerit, hoc eſt, cælum, κόσμος καὶ οὐρανὸς Platoni in Timeo ſunt eadem.

Cladem diuiſit. vnus cod.Manuſ.& Vortio dimiſit: ceteri. diuiſit. quod Latinum ſit,nec ne,aliò properanti non vacat inquirere:non memini me vſpiam ſimile legiſſet. Horat.diuidere fæminis carmina, & diuidere ſodalibus oſcula dixit,non in ſodales, vel,in fæminas.Nihilominus ſententia,vt ſic legatur.poſtulat.

Argæus. Solinus teſtatur Cappadociam, cuius Argæus eſt mons, aptiſſimam prouentui equorum. Cappadocum equorum celeritatem commendat Cyprianus.

Iniquo monte. Tauro, qui aſper eſt & ſalebroſus exſtantibus vndique ſaxis: ἀνώμαλος.

Vrbs etiam. Byzantium.

Æmula Romæ. icicirco noua Roma vocabant: Zonaras νέαν ῥώμαν καὶ βασιλίδα πόλιν. Impp. exemplo appellauit, & vrbis nomine tam Conſtantinopolim, quàm veterem Romam comprehendi, ex infinitis Imperatorum conſtitutionibus, cum in Theodoſij tum Iuſtiniani codice exiſtentibus patet.

Cernat certamina. vet. lib. meliùs ſpectat: quod eſt bonum non anxij aut ſolliciti. ſed ocioſi cernere verò ſubitò & inopinatò quis poteſt.

Ire nurus. habent manuſ. manus hinc, cùm incuria librariorum effeciſſet, poſteri nurus ediderunt.

Pelles. Barbarorum more, qui crebris vtebantur pellibus, vnde noſter de Bel. Get. Getarum curiam pellitam nuncupat. Sidonius etiam de iiſdem: Pellitus rauum præconem ſuſcepit hoſtis, & in media pelliti principis aula, & : Ibant pellitæ per claſſica Romula turmæ.

Iura regentum. vtpote Prætorio præfectum.

Rhenus. idipſum de Celtis auctor epigrammatũ, quod in Græcorum epigrammatum opere exſtat, lib. I. Ariſtoteles viri. Politicorum, de Germanis Tacitus, de Italis Maro, de Thracibus Sidonius prodiderunt.

Vibraſſe. quamuis quidam vulgati & vnus m. ſaluos legerent malo tamen cum pluribus vmbraſſe.

Per ſcopulos. per medium Athos, quem c I ɔ ɔ. paſſibus abſciſſum nauigationi aptauit.

Horror. manuſ. meus, error, & poſtea, terror, &, fugatim, pro pallore, &; ſubiactus..

Extremos vltra. vet. codex meus: Extremos volitat gens vltrà ſi qua Britannos Mota mihi digni capiendis creditur armis, ſententia eſt expedita. elligat quiſque quod volet. *Haſtas.* exercitus.

Anguibus. Draconibus. quorum infra frequenter noſter meminit Sollius quoque Sidonius: iam textilis anguis Diſcurrit per vtrãque aciem: cui guttur adactis Turgeſcit: Zephiris patulo mentitur hiatu Iratam pictura famem: pannoque furorem Aura facit, quoties craſſatur (*hoc eſt impletur, nec enim audiendi ſunt, qui legunt*, criſſatur, *quod in obſcœnis eſt*) vertile tergum Flatibus, & nimirum iam non capit aluus inane.

Sæuire. meus cod. m. ſ. ſeruire.

Cornipedis. Chironis Centauri.

Amnis. Sperchius fortè. Achilles equidem apud Papinium, Quærísne meos, ait, Sperchie natatus?

Phaëton. notatu dignum videtur quod Plutarchus περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων scribit, sua ætate ob Phaëtontis luctum Eridani accolas nigris indui vestibus consueuisse. Plato tamen in Timæo cuncta ea per fabulam dici arbitratur.

Procumbere mundum. quidam m.s. confundere.

Audet leges vibrato imponere ferro. hoc pacto Lugdun. Beringorum alij duo in eadem vrbe excusi: quisnam audet leges stricto Beringis consentiunt m. s. vnus & vet. germanica editio cum Basileensi. at alter m.s. & Vicetin. quisnam audet stricto leges.

Secretáque littora. alibi dixit: Arcanos Nili deprêdite fontes. quippe quos nemo norit, cùm de iis tot sint sentētiæ, quot capita: quod qui scire cupit, verum sit nec ne, legat Herodotum in Euter. Aristot. 1. τῶν μετεωρ. Diodorum lib. 1. Strabonem, Ptolomæum, alióśque Græcos, inter nostros Lucretium lib. 6. Tibullum lib. 1. Horatium lib. 4. carm. Lucanum lib. 10. Senecam lib. 4. natural. quæst. Plinium lib. 5. cap. 9. Vitruuium lib. IIX. Solinum cap. 35. Pomponium Melam lib. 1. cap. 9.

Humectat. Manus. & Vicetin. humectant: quod scioli temere cōmutarunt, aurea videlicet æneis: sic Maro Pars in frusta secant.

Impacatus. Cum manus. & Viceti. & Parisiens. legant, implacatis, neque sententia sit inepta, cur id nos reiiciamus?

Herculei: Thraciæ Heracleam accipio, Stephanus: Ηράκλεια πόλις Θράκης, ἐν τῷ πόντῳ, διώνυμος, &c. varias enim eo nomine ciuitates recenset.

Viscere solum. vet. German. poscere, id si manuscripti cuiuspiam codicis auctoritate niteretur, meritissimò maximi facerem. nam poscere significat prouocare, vt vult Marcellus.

Donandúmque, militarem largitionem innuit, quam Corn. Tacitus sæpiculè, & Iul. Paullus. l. qui excubias D. de re militari. Donatiuum vocant.

Hamatur. est hoc insignis sciolorum audaciæ vestigium: qui, olim, animalis, quod in manus. & vet. impressis cernitur intelligētia non assequerentur, insulsè substituerunt, humatur, quod nihil genij continet: secus ac animatur Membra etenim humana armis, id quòd anima corpori præstant.

Gemmæ. quasi imperiali diademate cingeretur.

Fulgida ferri. ex vet. lib. reposui, Lucidi Martis: agit autem de cataphractis militibus, de quibus postea latiùs.

Quos operit. adscribere lubet Marcellini verba huic loco multùm lucis allatura, sunt hæc, erāt autem omnes cateruæ ferratæ, per singula

gula

gula membra laminis tectæ, vt iuncturæ rigentes compagibus artuum conuenirent: humanorúmque vultuum simulacra ita capitibus diligenter aptata, vt in bracteatis corporibus solidis ibi tãtum incidentia tela possint (*malos*, possent) hærere, qua per cauernas minutas & orbibus oculorum adfixas parciùs visitur, vel qua per supremitates narium angusti spiritus emittuntur.

Et iusso. meus m.s. diuiso.

· *Vnde redis nescis.* mene ignoras ex Italia, vbi tyrannos debellaui, redite?

Bis. semel contra Eugenium, & semel contra Maximum. *domitum* manus. vel sic, vel; Domui.

Quæ nuper montes omisit. ita tres Lugdunens. manus. verò cum ceteris:.q.m.n.dimisit.

Exul. aliter manus. nempè, iugum. vt etiam à verbo, dimisit, dependent.

Muneribus commota. hoc pacto Basiliens. & tres Lugdunens. Vicerin vulneribus commota. ver. v. Germani: verberibus cõmota, ego, quod in simili variatione facere soleo, manus. sequor, præferam si nihil mendosi præseferant, vt hic, vulneribus conuicta.

Sic fatus. ex vet. lib. fator.

Liberaueris. Manus. cum aliquot excusis lectio, germana huius carminis est, librauerit, longè iaculatus sit.

Mons Aonius. Cytheron. Eurip. in Bacchis.

Laceros. huic voci censeo adscribendum. nam manusc. egregiè habent, vacuos, hoc est, inanes artus, & concauos, atque extenuatos, vt truncatorũ membrorum ἀγα λότης hac voce exprimatur.

Retentus. excusus Mogunt. receptus. Hoc est quod ait D. Hieronimus: Rufinis caput pilo Constantinopoli est gestatum. & ab scissa manus dextera, ad dedecus insatiabilis auaritiæ, ostiatim stipem manducauit. quænam ex his Claudiani desumta sint, non habeo affirmare; certè sunt ἄδηλα vt ait Palama, καὶ ὁμοχεόομαχοὶ τῆς αὐτῆς χερμέας.

Possidet. pro possedit.

Nunquam. vet. meus liber: nusquam.

Tunc anima. imitatur Senecam, qui in Apotheosi Claudij tale, quid tradidit.

Cincta. in mei cod. margine adstituitur, Cinthi, id est, montis.

Hic voluit. quia κωκυτὸς luctum, φλέγω vnde φλεγέθων, ardeo significat.

Adamante. ex solidis & duris adamantem κατ' ἐξοχὴν nominauit, vt hic, sic alibi: voces adamante notabat Atropos &: Tunc adamante grauem nodísque rigentibus hastam, & Nodauitque adamante comã. innumeris prætereà locis, ídque apud varios scripto-

res obſeruaui apud Virgilium lib VI.ſolidóque adamante colum næ,& Horatium:Martem tunica tectum adamantina: itē ſi figit-adamantinos ſummis à verticibus dira neceſſitas clauos ,& Manil. lib.1.adamanteis diſcordia vincta (*malè vulgo*,victa,*legitur*) catenis. Valer.Flaccum lib.3. fractóq; trahens adamāte catenas. Senecam. grauia monſtri colla permulcens manu Adamante texto vincit. Apud Pindarum ter primo πύθ. Δ. ἄροτρον ἀδαμάντινον. deinde citante Athenæo, ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν, &c. poſtremò, āddducente Strabone ἀδαμαντοπέδιλοι κίονες apud Heſiod. ἀλλ ἀδάμαντος ἔχον κρατερόφρονα θυμόν. item,niſi me fallit memoria, εὐρυβίην τ' ἀδαμάντος ἐνὶ φρέσι θυμὸν ἔχουσαν. apud Herodotum lib. 7. Pythia reſpondet Atheniēſibus: Σοὶ δὲ τό δ' αὖτις ἔπος ἐρέω ἀδάμαντι πελάσσας. Solutæ quoq.orationis ſcriptores ita hac voce ſunt vſi.Plutarcho tyrannis Dionyſii ἀδαμαντίνη καὶ ἄρρηκτος dicitur,& eadem dere Ælianus: ἀδάμαντι δεδεμένην αἰεὶ τὴν ἀρχὴν κεκτῆσθαι. Apuleius lib. 9. Metamorphor.auróq; ſoleant adamantinæ etiam perfringi fores.

Quæſitor. Quæſtor capitalis, quem poſtea quæſitorem nominarunt,pro tribunali alto, editóque loco ſedebat:iudices verò paulo inferius:humilioribus in ſubſelliis. Virgilius li.9. Quæſitor Minos vrnam mouet,&c. & ſæpè Seneca.

Totóſque diu. lege,& totos quidam,vt habent membraæ.

Per varios annos. μετεμψυχώσεως ſequitur defenſores, mendosè Vicetin.varios amnes.

Et pectus inuſta. rectè Brodæus in Miſcellan.hæc explicuit.

Præceps vbi. Vicetin.ſubſcribunt membranæ:nam habent, penitúſque ibi.

AD PRÆFATIONEM PANEGYRIS DE III. CONSVL. HONORII AVG. NOTÆ.

A*Quilis.* non quidem Menelætis, vel Pygargis, vel Anatariis, vel Olipelargis vet Geneſiis:ſed Haliætis.

Naturam vires. vet.lib,& de melioris nota vulgari,natorum vires.

AD PANEGYRIN DE III. CONSVLATV HONORII AVG. NOTÆ.

B*Ellatrix pompa.* ſic vet.lib.cum vet.Germ.& tribus Lugdun.ceteri verò,Roma.

Regúmque feroces. multò elegantius m.ſ.cum Viceti.& vet. German.recentes,hæc quoque Sidonius in Panegyres ſuas tranſtulit.

Poſcere patrem. vet.Germ.partem:quod ſeruo.

Flamine. vexillo flamine, quod rubeum erat.

Perducere. sunt qui. Producere.

Nec falso nomine Pictos nec abest, inquit Isidorus Pictorum corpore minutis opifex acus punctis; hæc expressos natiui graminis sucos includit, vt has ad sui speciem cicatrices ferat, pictis artubus maculosa nobilitas *Barbarus* Arbogastes, dolo interemto Valentiniano Eugenium nomine constituit Imperatorem, reura ipsa cuncta tãquam imp. gesturus, ausus tandem cum Theodosio congredi, diuina potius ope quàm humanis viribus profligatus suo se gladio iugulauit.

Arabum. codices emendatiores repræsentant, Arabes.

Habenas. Theodos. Augu. III. & Fl. Habundantio Con. ex ante diem 4. Idus Februarias.

Diademate. Sphæra aurea, vnde fascia dependebat.

Tantáque. iste versus in vet. lib. legitur ita. Tantáque se rudibus pietas ostendit in annis.

Pugnastis vterque. Tu fatis genitórque manu. Solius Sidonius in Paneg. Maioriani certatum est iure Magistri; Augusti fato.

O nimium. D. Augustinus, Orosius, & Diaconus, dum hos versus adducunt, sic adducunt: O nimiùm dilecte Deo, tibi militat æther, & coniurati veniunt ad classica vẽti, nonnulla verba omittentes, quæ cum in omnibus tam scriptis, quàm impressis codicibus inueniantur, mihi ea reiicere fuit religio.

Reddere. manus. meus credere.

Cunctos discedere dictis. Ex li. xiv. & l. xv. C. Theodos. de desertoribus & occultatoribus eorũ manifestum euadit non licuisse tum tẽporis militibus castra egredi; & id fecisse conuictos desertoris supplicio puniri consueuisse. Nunc militibus castra relinquere, & indulgere genio concedit. Quamobrem satis lucidari nequit vet. lib. lectio, tutò discedere castris.

Te non suadente. Non habetur, *a*, in vet. lib. neque. in Vicetino, éstque superuacuum.

Sarmaticas. sic soli Lugdun. quod vnde acceperint nequeo diuinare ceteri vno ore, Dalmaticas.

Virum. m. s. & Viceti. nurum. videlicet, Serenam.

Nutrit equos. de quibus Homerus Iliad. v.

Bacchi transcurris te metas. Q. Curtius: Transierant iam Liberi patris terminos: quorum monumenta lapides erant crebris interuallis dispositi, arboresque proceræ, quarum stipites hedera contexerat Dionysius de situ orbis: Ἔνθά τε καὶ στῆλαι Θηβαγενέος Διονύσου ἑστᾶσι πυμάτιον παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο, Ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν. ἔνθά τε γάγγης λευκὸν ὕδωρ Νυσσαῖον ἐπὶ πλαταμῶνα κυλίνδει. turpissimè Colinæus Bactri.

AD PANEGYRIM DE IIII. HONORII AVG. CONSVLATV NOTÆ.

NEc passi. vnus manus. & vet. Germanic. passim.

Vexilla Quirini. Animaduerterunt & alij vexillum Senatus, nam de illo loquitur, argẽtum fuisse, & in comitiis passim & pompis Senatui præferri consueuisse.

Petit. membranæ, vel, gerit, vel, trahit.

Parmámque. Nonius: Parma est scutum breue. Salustius lib. 4. Hilocorum perignari, & soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum erat, ea arte se quisque in formam parmæ equestris armabat. Virgilius lib. 9. Ense leuis nudo parmáque inglorius alba. hæc Nonij sunt verba: aliquot à me locis ex manus. lib. D. Amandi, quod Neruiorum est monasterium, auctoritate purgata.

Laurigeras. Cùm Consules, vel Imperatores præclaram aliquam victoriam erant consequuti, tum eos lictores laureati, fasces laureatos gestantes præcedebant.

Qui medio. castiga ex vet. lib. & Vicetin. fide, medios. quam emendationem spero perplaciturum iis qui explorata aure, non surda fuerint vel iacenti, quemadmodum ille aiebat.

Pictonum. disconueniens est hæc lectio. quare corrige, Pictorem, quos Britanniam inuadentes, profligat Comes Theodosius. Factores autem & pænultimam corripiunt & Ptolomæo, Cæsari, Plinio, Aquitaniæ populi sunt.

Ditat. nam aureos fingunt meus manus. dictat.

Arx incensa Iubæ. Iubæ regia igne vastata fuit. Cæterùm vet. lib. Ars intẽsa Iubæ. vt à verbo, cessit, dependeat eritque sensus, cessisse Theodosio fraudes Maurorum, in quas tamen omnes cogitationes intenderant. Per iubam, accipio Firmum, Gildonis fratrem.

Barbaries. habes horum barbarorum nomina apud Sidonium in Paneg. Maioriani, sed vereor ne corrupta.

Perirent. maiores lib. operirent..

Pars altera. Occidens. *Fudit.* Maximum.

Germanus. Arbogastes *Famulum.* Eugenium, qua de re vide, ne singula sit opus indicare, Paul. Orosium lib. vltimo.

Docuere Deos. Docuerunt omnibus nostris actionibus Deum interesse. Menander: ὁ γὰρ θεὸς βλέπει τι πλησίον παρών.

Triumpho. m. s. Vicetin. & Parisienses, triumphi.

Montes. Alpes Iulius Drepanius rhetor, & superatis Alpibus Cottiis Iulia quoque claustra laxaret.

Contagia. manus. meus, commercia sed in lineali annotatione, id

est, contagia: quod hucusque omnes sunt amplexi.

In Thyrios enixa toros. vet.lib. & Vicetin. & Parisienses; in Thyriis e. toris.

Præsumtum Solinus: vt iam inueniri non possit quod non veterum auctorum præsumserit diligentia. Item Iornandes: sed non diu tenens regnum præsumptum. Idem plus præsumtione quàm electione Cæsar effectus. præsumtum dixere, quemadmodum Iureconsulti, præceptum. & Sidonius in Paneg. Maioriani; præfunctus, nisi sit ibi, perfunctus, legendum.

Astris. lege; astri. quia sic habetur in manus. & per παρονομασίαν solem vocat astrum.

Leuasset. quæ ad solemnitatis huius explicationem pertinent, pete ex P. Pithoei I. C. aduersar. subsec. lib.II. cap. VI.

Aut sol. meus lib. m. s. nec sol.

Crine retruso m.s. recuso. Vicetin resuso. vet. Germanic. & Colinæi, retuso. Lugdunen. & Basileens. retruso fortassis; refuso id est, redundante. si quis, recusso, malit, cum eo non pugnabo.

Alieni. lege Had. Iunij, viri doctissimi aduers.

Comæ. respexit ad morem poëtarum, qui dum Iuppiter comas mouet, cælum aiunt concuti & tremere testis Homerus Iliad. α.

Fortunæ. in vnó manus. natura sed in eodem correctum, fortuna, quemadmodum in ceteris.

Tiaras. per vsurpationem dixit, pro tiara: sicuti & Virgilius: sceptrúmque sacérque tiaras: & Seneca; hoc Phrygius loco fixus tiaras Pelòpis: & Sidonius: Lunatum tibi flecteret tiaram.

Facto coniuncta. hoc dicere voluit: excellẽtior est, & plus habet emolumenti principum virtus, quàm plebeiorum; quia cùm omnium oculis illi sint expositi, illa quoque tum faciliùs elucescit: hácque sententiam confirmant membranæ, & in quibus continetur; fato. ex iisdem paullo pòst restitui, incestos, pro; incertos.

Claustris. ἐν κοίλῳ νάρθηκι. Hesiodus.

Geminas. per mentem, accipe animum rationis participem: per geminas, eum qui sentit, & eum qui vegetat.

Fluenti. magis arridet vet. lib. furenti. ita enim furoris quædam species & initium insaniæ censetur. vnde Themistius μανίαν ἀλιγοχρόνιον εἶναι dicit.

Pollentius. potentius, Pollentia, Plautinum est, propotentia.

Parua. leges ex v. l. praua.

Implorat. manus. vel, obtrusos explorat. vel, abstrusos explorat. priùs edi malim.

Qui se pulcherrimus. manus. & hîc, & postea: quod huc spectantem de mundi æqualitate sententiam habes apud Eurip. φοινισσ. Act. II.

Tunc obseruantior. Pacatus: exasperat homines imperata correctio; blandissimè iubetur exemplo.

Fœmina. Semiramis.

Sent. Tiberio.

Cuneus. eius erat triquetra forma: quare illi forfex opponebatur.

Machina. Balista. *Protectáque.* egregiè vet. cod. proiectáque. de cuius vocabuli vi Macrobius lib. VI. testimonijs ab eo prolatis, addatur & Quadrigarius; qui annal. primo scripsit: Gallus sua disciplina scuto protecto cantabundus.

Strauisse. meus cod. rapuisse.

Promptiùs ibunt. Apollinaris: sic agmina voce Erigis, exemplóque leuas; primúsque labores Aggrederis quoscúmque iubes: tum cetera paret Turba libens, seruit propriis quia legibus auctor.

Protere curru. vet. cod. cursu. sed in meo emendatum, ex collatione fortassis vulgati cuiuspiam, curru.

Cum prospera. Sollius Sidonius: Magnus Alexander patris quem gloria torsit.

Despue. vet. lib. despice. *vel solus.* Hæc in principio Panegy. ad Maioran. Solius desumsit.

Fabius. qui cunctando Romanis restituit rem. Apud Sidonium sic legitur: Sylla acio genio Fabius, pietate Metellus. Ego verò ibi, coniectura ductus, vt mihi videtur, probabili, repono: Sedato ingenio Fabius.

Flexit Serranus. meus cod. Vertit.

Sereni. ἀιθείας. auctor de mundo ad Alexandrum: ἐςὶ ἡ ἀιθεία οὐδὲν ἄλλο πλὴν ἀὴρ ἀνέφελος καὶ ἀνομιχλος. ἀντίπαλος οὖσα τῇ ὁμίχλῃ.

Subnixus. hic versus meo manusc. deest; sed in eo non ita pridem additus videtur. deest quoq. Vicetin. & Parisiens. sed in ceteris habetur, & est prorsus necessarius.

Cum matre. Ino vel Leucothea. Pausan. ἀττικ.

Moritur pellita. non dubito quin; metitur, sincera lectio sit; cùm sic habeant vet. lib. Silius dixerit: agmina metuntur.

Nigrare meatu. cod. meus vet. transire.

Infelices tabulæ. auctionales; de quibus D. Ambrosius epist. lib. II.

Auidas. nonnulli vulgati. auidis.

Despexit muros. Carmen istud in m. s. Viceti. & Parisiens. desideratur. extat autem in Basil. & cunctis Lugdunens. & huic loco nō malè conuenit.

Vibranda. vet. l. & Vicet. vibrata.

Iussum. m. s. visum. quod cur non recipiamus?

Dirceáque. non ineptè vet. l. Dictæáque. hoc est. Cretensia; quæ erant præstantissima. potest tamen vulgata etiam lectio defendi.

Exudant ſanguine. vet. li. & vulgati antiquiores; exundant.

Mauult. m. ſ. mallet.

Niueas. Trebellius, albatos milites, dixit: quia videlicet caſtrenſia veſtimenta erant candida.

Liniger. Iſidis ſacerdotes non alia, quàm linea veſte vtebantur; vnde à Iuuenale & Martiale Linigeri vocantur, quare mendoſè meus m. ſ. Laniger.

Varióſque modos. vet. li. Phariósque. quod placet. eo pacto Statius in Epicedio patris; Pharios dolores.

Cinctu. m. ſ. vultu.

Omnia libertas. legendum; omina. Deſcripſerunt multi ſollemnia manumiſſionis: ſed nullus fuſiùs neq; elegantiùs, quàm hic noſter. Idem porrò error Sidonij cod. inuaſit: Qui maxima regni omina priuatus fugit. malè legebatur; Omnia.

Triſtis conditio. non tam, quia ſerui ſeruitutiſq; vocabulũ θανεῖν, vt ait Euripedes, ἐρᾶν ἐπίθηκεν: quàm quia Vlpianus ſeruitutem mortalitati comparauit. & Caius ſeruos quadrupedibus tradidit exæquari.

Gothunni. ex vet. lib. Gruthungi, legendum, de quibus in ſecundo lib. in Eutropium.

Concutit. docent vet. lib. contudit, reponendum.

Quinque. hoc loci noſter Herodotum, Ephorum, & Dionyſium ſecutus, Danubio quinque oſtia tribuit: ſed eidem Plinius, Tacitus, Ptolemæus, ſex; & Strabo, Ouidius, Seneca, Statius, Val. Flaccus, Solinus, Ammianus, Sidonius ſeptem adſcribunt.

Alpinos genitor. de hoc verſu, quem recentiores vulgati addunt, omittunt cum ſ. antiquiores, quid dicam, non ſatis ſcio. In præcedenti, vbi Lugdun. & Baſileenſ. fluctus, manuſc. cum ceteris habent; montes.

Denota toro. m. ſ. deuota.

AD EPITHALAMIVM IN NVPTIIS HON. AVG ET MARIÆ, NOTÆ.

CASTOREM. ab Oppiano Caſtor inter Νέκυια, Νάρκισσον, Ὑάκινθον, cęteros formoſos recenſetur.

Delos Apollinem, &c. hi Dj vt forma præſtantes à Poëtis commendantur; pręſertim Oppiano, I. κυνηγ. ſunt enim perpetuó adoleſcentes. Callimachus καὶ κεν ἀεὶ καλὸς. καὶ ἀεὶ νέος. & id exprimens Tibullus: Solis æterna eſt Baccho Phœbóq; iuuentas: Nam decet intonſus crinis vtrumque Deum. Sidonius Phœbum

Ephæbum vocat. Bacchi ventrem Anacreon, noster alicubi collū, laudant.

Tunc cum. meus cod. m. ſ. tu cum.

Syrium. hoc dicam obiter; à Tzetze reprehendi Archilochum, Heſiodum, Aratum, Lycophronem, Varronem, Heſychium, Suidam, non quidem nominatim, ſed tacitè, quòd Syrium cum canicula confundant.

Patris. Mauortis.

Amazonas. De Amazonibus ab Herodoto in μελπομ. Pauſania in ἀττικ. Clemente ſtroma. δ. Strabone lib. xi. & xii. Dionyſio, Pindaro, denique Plinio, Mela, Iuſtino, Seruio, Oroſio, plura referuntur, quàm hîc explicari queant.

Omne nemus. Male in om. edit. præter Vicet. hîc duo verſus conſtituuntur: cum vnus ſit Choriambicus tetrameter Sapphicus ſcādendus in hunc modum: omne nemus -ᴗᴗ- cum fluuiis-ᴗᴗ-omne canat -ᴗᴗ- profundum -ᴗ- idque vſque ad Solitas galea, &c. obſeruandum eſt: vt poſt tres ſingulos verſus (qui Anacreontici ſunt) vnus huiuſmodi Choriambicis reponatur.

Quirine. bene v. l. Quirite.

Septem geminus. id eſt ſeptem: ſicuti tergemini non ſex aut ſenos, ſed tres aut ternos ſignificant. *fuit vnde.* m. ſ. meus; fluit.

Gener. ductâ Serena adoptiua Theodoſij filia.

Socer, data Maria Honorio Aug.

Lacrimas. Catullus totum hoc lacrimarum genus fictum & ſimulatum credit. *Iam pacata.* bellè meus cod. manuſ. impacata.

Alite. columba.

Aſsidue. m. ſ. aſſiduò Plaut milite: dum tale facies, quale adhuc, aſſiduo edes, Idem Truculento: Poſtidea ego tota tecum, mea voluptas, vſque ero Aſſiduo. D. I. Imo hercle verò accubuo mauelim.

Caleat. meus m. ſ. careat. vt noua Veneris ſtipendia militantes, remotis veſtibus, nudos, amori litare iubeat poteſt nihilominus, caleat, defendi, præſertim propter ſequentes verſus: & veſtes Tyrio ſanguine fulgidas Alter virgineus nobilitet cruor. ex quibus præterea conſtat in eorum fuiſſe ſententia Claudianum; qui Eugiū in muliere ſtatuant: quam membranam (virginal vocant) quidam docent nonnumquam ſic denſari coartarîque vt nullo temone neque roboraſcente ramo ne dum tetrito aliquo rutabulo, perrumpi poſſit. atque hoc vitio laborantem mulierem ab Vlpiano l. XIIII. §. III. de Ædil. edict. arbitror indicari. talem quoque Gracchorum matrem fuiſſe Solinus perhibet. *vulnera prælij.* ex Catullo: Dulcia nocturnæ referens veſtigia rixæ.

Iocus. Feſcenninis.

AD PRÆFATIONEM IN NVPTIAS HONORII ET MARIÆ, NOTÆ.

SVRGERET. ad huius imitationem compoſita eſt à C. Sollio præfatio panegyr. Antemij Aug.

Negant. ſuſpecta mihi eſt hæc vocula : quid tamen eius loco reponi debeat, ignoro.

Craton. audacter; Cratem, emenda : de quo Laërt. li. VI. vet. lib. Cratim, mendoſè.

Renatus. v. l. renato.

Achillem. Æſchylum ſequi Claudianus maluit, quàm eos qui Apollinem ab his nuptiis remouerunt.

AD LIB. DE NVPTIIS HONORII ET MARIÆ NOTÆ.

PRIMÒQVE. m. ſ. meus cum Vicetin. pronòq.

In vultus quos finxit amor. ſic vulgati quidam : alij; in vultus quod fixit. vet. verò lib. in vultus quos pinxit. Virgilius libro 4. Æneid. Hærent infixi pectore vultus.

Non voluere. m. ſ. meus : non flectere.


Scyria. Deidamia.

Nectebat pectine. Variant vulgati. vet. lib. pectebat pollice.

Laus. proprium eſt quod legitur in membranis; lena quia pictura vltro citróque miſſa animos ad amandum inducit.

Rapio praceps. liber meus; princeps.

Auum. quò commodiùs hæc intelligantur, ſtemma ſubiicam :



Differs. ſic Lugdunenſes : quod eſt ineptum. rectiùs alij o. debes.

Cypraea rupis. diſſentiunt inter ſe vulg. nec vllus veram lectionem aſſequitur, quæ eſt in v. l. l. Cypri præruptus.

Fuluo. excuſi quidam cum v. l. Flauo. Maro; Flauo argentum pa-

riúsue lapis circundatur auro.

Vnde. nam amor & melle & felle fœcũdus, γλυκύπικρον quid dam dicitur hominibus infundere.

Iræ. nam Terentius:

Amantium, inquit, iræ, amoris redintegratio est.

Iuuenta. quidam; iuuentus. vide an ex Liuio & varrone sit scribendum; iuuentas.

Achates. Hæc ipsa vox reponenda initio Epithalamij Dicti, & Desiderij apud Sidonium, vbi corruptè legitur, Indus, Calchidicus, Schiticus, Berillus, Acathes.

Panchaáque surgunt. m.ſ.& vet.German. turgent.

Balsama succo. m.ſ. meus; prorumpunt balsama riuo. & inter lineas; succo quod mirandum est; cùm in vno. eiusdem ætatis m. ſ. vox ea vnico c.scribatur.

Sorores. Iouis ex Eurynome, Oceani gnata, filiæ, Gratiæ : Venus autem ex mari orta fingitur.

Iuuencas. hoc ait, propter Taurum, quem Iupiter, Europes amore incensus, induit.

Antra. Larmia saxa deosculandi Endymionis ergò.

Remouit. vnus m.ſ. cui Vicetin. adsentiunt: refouit.

Ceston. consule Homerum. ἰλ. Ξ.

Circumtonat. m.ſ.circumsonat.

Ægaos. m.ſ.& cum iis Vicetini : Ogygias, hoc est, mare Ogygiã alluens; quam incoluit Ατλαντος θυγάτηρ δολόεσσα καλυψώ.

Brachia. v.l. pectora.

Hispida tendebat. meus v.l. Aspera tentabat. idem paullo post; vibratura Deam.& : prosequitur votis latè comitatus amantum; quæ cuncta, vno dicam verbo, reiicio.

Cadmeia. Ino, Cadmi filia. Seneca: Nereidúmq; choris Cadmeia cingitur Ino.

Alternis. vnus v. l. alternas. idem: audito rumore, vbi ceteri; Tritone. *Rapturus.* v.l. rupturus.

Clotho. ex Homero, Hesiodo, Virgilio, Val Flacco, scribe; Doto.

Gemma fuit. Idem tradit Plinius lib. XXXII. c. II. & Ouid. IIII. Metamorph.

Nudæ Venerem cinxere cateruæ. vnus m. ſ. nuda v. c. caterua, idem, vbi ceteri, voce sequuntur, habet; feruntur.

Ad mœnia Gallis Condita lanigeris, ouis ostentantia pellem. Notum est Gallis, dum in Insubria condendæ vrbis fundamenta iacerent; mirificum portentum oblatum, suem partim lana, partim setis tectum: quamobrem, licet omnes libri etiam m. ſ.in vulgatam illam lectionem consentirent; tamen ex voce, ouis, litteram o, tollens sic lego: ad m. G. condita, lanigeri suis o. p. quam coniecturam

ſpero, vt ait Attius, probis probatam, potiùs quàm multis fore: quos non moramur. Ceterùm frequenter ex hac peruerſa litterarum diſpoſitione fedißimè libros maculari complures annotarunt mihi vnum exemplum ad fidem faciendam adduxiſſe ſuffecerit. magno bonarum litterarum fructu, paſſim M. Fabij Declamationum opus teritur. in eo, Declamatione ſcilicet CCLXX. cuius inſcriptio eſt *Rapta è duabus geminis*, vulgò ita legitur: Dicerem, Luctus confunderat (ſi liceret) dolor ſuadebat : ignoſceret iſtamet: nunc mihi neceſſarium conſilium præſens iniuria dedit. hæc verborum portenta ſic caſtiganda credo: Si dicerem; Luctus confuderat: liceret. dolor ſuadebat: ignoſcereris tamen nunc mihi. &c. quo modo, quę ænigmata pluſquam Sphyngea fuerant, ſolis luce clariora redduntur.

Confundant. ex v. l. reponi debere; confundat, iudico.

Crinita ſagittis. de his poſtea leges: & gens compoſitis crinem velata ſagittis.

Mnemoſyne. Hæc, à Ioue; ſerpentis ſpecie occultato, vt tradit Sidonius; ſubacta, nouem Muſas peperit: idque ab Orpheo, Heſiodo, Alcandro, Eumylo, atque Solone proditum eſt, teſte Clemente ϛρωμ. lib. VI. rationem fictionis. in Heſiodicis enarrationibus, tradit Proclus Diadochus.

Te propter. Hi duo verſus in vet. meo l. alio legũtur ordine; vt qui in excuſis præcedit, in eo ſubſequatur.

Sceptris. v. l. regnis.

Vincto. v. l. iuncto præclarè.

Aurora. nam ait Anacreon ῥοδοδάκτυλος μὲν Ἠώς.

Dotabere. v. l. dominabere.

Accenſis. Excuſi quidam cum v. l. accenſus.

Socerum iuxta. m. ſ. Socerum circa. iidem: ritu pluuiæ. diſpergere flores, pro p. f. d. r.

Diſſidat. m. ſ. aſſentior, in quibus diſſilit. vulgati non cõſtant ſibi.

Sic te. ſequor meum m. ſ. in quo, ſeſe.

Conſorte. conſideret hanc vocem lector.

Contingit. m. ſ. contingant. ego; contingunt. q. excuſi; an ſorte remota Contingant grauitáſque ſeni, viréſque iuuentę.

AD PRÆFATIONEM LI. DE BELLO GILDONICO NOTÆ.

PERMISTIS. v. l. & Vicetin. permiſſis.

Gildonis ſenſit. quidam excuſi; & Gethicam ſenſit: quæ lectio, ſiquidem huic de bello Gildonico libro hæc præfatio ſit præfigenda, prorſus eſt aliena & intruſa aliunde.

AD LIB. DE BELLO GILDONICO NOTÆ.

PLENA. v.l. læta.

Laurea. hoc eſt, litteræ laureatæ.

Induxit. ægregiè m.ſ. & Vicetin. induxit.

Vultu. vnus m.ſ. viſu. *Faſcibus.* v.l. legibus.

Oaxem. v.l. Aaxem. hinc ego, Araxem.

Hominéſque. v.l. meus; vrbéſque.

Libyam, Nilúmque dedere. Sidonius, quid quæque regio ferat recenſens, ait: fert Indus ebur. Chaldæus amomum, Aſſyrius gemmas, Set vellera, thura Sabæus (*ſcribe Saba?*) Attis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon oliuum, Argos equos, Epiryus (*corruptè pro Epyrus*) equas, pecuaria Gallus, Arma Calibs, fruměta Libes, *legendum existimem: Labys, nam & ea quæ præceſſerunt, & quæ ſequuntur gentium nomina, ſingulari cuncta numero efferuntur.* Campanus Iacchum, Aurum Lydus, Arabs guttam, &c.

Stabat certa ſalus. Lampridius de Commodo: Claſſem Africanã inſtituit, quæ ſubſidio eſſet; ſi fortè Alexandrina frumenta ceſſaſſent.

Tot annos. pene XLIIII. *emi.* m.ſ. vel ſic, vel; egi.

Hannibal Plinius lib. xv. nat. hiſt. Caſtra Punica ad tertium lapidem vallata, portæque Collinæ adequitans ipſe Hannibal.

Qui ſceptra. auctor comment. reip. Rom. inſulſè, vt ſolet, ſceptra magiſtratuum interpretatur, cùm non ad magiſtratus, ſed ad inſignia poteſtatis imperatoriæ ſint referenda; quemadmodum Nou. c.v. ὡς καὶ ἡ τῆς βασιλείας ὑπαθεία διὰ πάντων ἔθαγ ἀκολουθοῦσα τοῖς σκήπτροις.

Gentes. accuratè admodum gentes, id eſt Barbaros, qui Romano non parebant imperio, à ſubiugatis diſtinxit; ea ratione qua Iuſtinian. barbaricas gentes, in proem. Inſtit. nuncupauit.

Miſerabile. hactenus retinebo ex v.l. mirabile.

Sabinos. rectè v.l. Gabinos. vult enim vicinas vrbes, non gentes, recenſere: Gabij verò tantùm centum à Roma ſtadiis aberant, auctor Strabo, lib. v.

Palatinis mutaſti. latiſſimè hac de re Liuius lib. xxix. & Herodian. lib. v. μετὰ Μάρκου βασιλείας.

Prælatóque. Romano, quem Phrygio Almoni prætuliſti.

Aratris. v.l. ariſtis.

Errantéſque ſolo. m.ſ. meus; Errantes ſolio. ſed nihil immuto.

Fouère Geta. v.l. Vicetin. vet. Germ. & Baſil. fauète.

Obuia detecto. hoc dicere voluit: ſi debellatis hoſtibus, obuiam

mihi progressus, gratam sibi meam victoriam fuisse significasset; minùs illi succenserem. quid subaudiatur, nemo non videt. quare rectiùs v.l. & quidam vulg. deiecto. quanquam non desint, quibus; defenso arrideat.

Numerosas. multas hoc. etenim Romanis ea vox sonat. Plinius Cæcilius numerosam manum. Iustinian. Imp. numerosas prouincias: noster alibi numerosam cicatricem, & numerosum equitem dixerunt,

Proauus. meus m. s. seditio. Celsanus, negligentia an, data opera, quòd in suis membranis non inueniabātur. ignoro, hunc & subsequentem versum omisit.

Romani scelerum semper. conuerso v.l. ordine: semper scelerum.

Noxia. Val. Antias à nostro. qui CL. Quadrigarium secutus est, dissentit. vide A. Gellium lib. 3. cap. 21.

Animus nutauerit. m.s. cum vetustis edit. animum mutauerit.

Deprecor. m.s. cum Viceti. hæc precor. & vbi ceteri, vt sileam. Iidem: vt taceam.

Fusus Honorius. v.l. cum Vicetino, fortis. at: fusus, ex margine intrusum est.

Firmúmne. sic excusi, quod vt glossema sit, vereor iccirco, quia in manus. mei contextu continetur: fratrémne, & interlineas, id est, firmiúmne. de quo Oros. lib. vlt. cap. 30.

Potior. meus lib. melior.

Collo sonuere. Viceti. collo subire. v. collo subiere. ego, collum subiere.

Hortatur. Vet. cod. hortatu: ídque Vicetini seruarunt.

Vlterius. quamquam sic etiam m. s. ego tamen cum quibusdam lego alterius, Valentin. videlicet & Gratiani.

Afferet ignarus. lego sententia flagitante auferet. Potest etiam sic locus restitui, Afferet ignauo: sublata post, leti, nota interogationis. Sed magis prior emendatio placet. Porrò cùm non pauca sint, quibus, vt necessariorum mortem, atque adeò nostrammet feramus leuiter, præstatur: tum illud vel maximè, si fortium virorum manibus interemti fuerint. qua ratione Lausum Æneas solatur. quia Æneæ magni dextera cadat. legerat. quippe Maro, hoc ipso medicamento Neoptolemi dolorem à Sophocleo Philoctete lenitum: non ab hominibus Achillem interimi potuisse. sed iaculatoris Apollinis sagitta: quodque εὐγενής ὁ κτανών τε, χὠ θανών.

Macerer alij: Mascerer. v.l. vel Masceeber, vel, Mascefes. Orosio dicitur Masceziil. Ammiano Marcellino, Mascezel. Iornandi: Mascelzet: aliter etiam, Sabellico: alter aliis.

Inhumatáque foret perfacile si λεπτολογεῖν velim, præter ea testimonia, quæ Dion. Lambinus in comment. Horat. coëgit, infinita

ſcriptorum diuerſorum loca adducere, quibus doceretur veteres horribile putaſſe humanum cadauer inhumatum iacere.

Auertitque diem ſceleri. Seneca Thyeſt. hoc eſt quod Deos puduit:hoc egit diem Auerſum in omni & act.4.eiuſdem : O Phœbe patiens fugeris retro licet, Medióque raptum merſeris cælo diem; Serò occidiſti,in his verſibus,raptum emẽdaui ex Thoſa.m.ſ.cum raptum,in Griphij edit.contineretur.

Flantibus aram. aram miſericordiæ, quam Pauſan. ſcribit in foro Athenienſiũ fuiſſe conſtitutam.Eumenius rhetor , inde eſt,inquit, quòd Athenienſis humanitas aram Miſericordiæ inſtituit.

Inachides. vide Eurip. ἱκέτιδ.

Adherbal. o.v.l.Claudiani & Salluſtij Atherbal.

Nunc. meus m. ſ. hunc, non hoc loco tantùm. ſed duobus etiam ſequentibus. *Pube.* idem meus, plebe.

Feſtinant adeo. Cùm verò non niſi difficulter vexilla mouebantur inſignem aliquam exercitui cladem imminere, ſummi omnium obſeruatores Romani credebant, inducti iis quæ primùm Flaminio.pòſt M.Craſſo euenerunt.

Dictáque ab Auguſto legio. nempe Honoriana.

Ius Latium. omnis antiquitatis peritus poëta, ius pro Imperio & poteſtate poſuit:quod iuriſcon.per quàm familiare eſt.

Tot iura. v.l.& vet.Germ.editio,tot rura.

Omnia conueniunt dicto. ſcribe omnia.

Fuluúſque Tonantis. vel hinc conligere quis poſſet,verborum ſatis proprium fuiſſe noſtrum,cæterùm hæc comparatio vel ex Homeri: ili. μ. vel Ciceronis Mario, vel Virgilij lib.15. deſumta eſt:tribus enim illa loca habentur.

Littera. V.Pythagoricum.

Aut rumpite. v.l.abrumpite,& in vnius marg.aut rumpite.

Timida qui. v.l.Viceti.canta.

Turbida Coris & confuſa. v.l. turgida Coris & concuſſa.

Simul effugere. vnus v.l.procul.

Curalis. procliue fuit hoc ea, Curali, efficere, Strabo, χαραχλίω vocat, cum quo ſentit Stephanus ſi modi Stephani eſt liber περὶ πολέων. qui eius nomine circumfertur, & non potiùs epitoma τῶν ἐθνικῶν στεφάνων ab Hermolao Grammatico Conſtantinop. concinnata.

Feruentes. videtur finis huius libri intercidiſſe,quò exitus expeditionis cõtinebatur:qui petatur ex Paul. Oroſio lib.7.Paul. Diacono lib.13.appẽdicis,Preculpho Chronicorum lib.5. tomo.11.Nauclero com.x.vol.11. generat. XIVs Maximi momenti fuiſſe hanc victoriam inde patet,quòd monumenta eius à S.P.Q.R.in foro Romano fuerunt conſtituta:quorum & his temporibus inſcriptiones

ſuperſunt. Gildonis poſſeſſiones dico fuiſſe adſcriptas, declarant l. xvi. & l. xix. C. Theodoſ. de bon. proſcriptorum: eorúmque adminiſtrationi præpoſitus à Mariano, Comes Gildoniaci patrimonij vocauit. Marianam enim libellum illum notitiæ Orientis & Occidentis cenſeo: licet alij aliis adſcribant.

AD PRAEFATION. PANEG. IN MANLII THEODOSII CONSVLATVM NOTÆ.

VT *perhibent*. Pindarus, Euripides, Strabo, Herodotus, Pauſanias, & Clemens Alexandrinus.

Contulit. iccirco ter Pindarus γαίας ὀμφαλὸν vocat: & Pauſanias inquit: τὸν δὲ ὑπὸ Δελφῶν καλούμενον ὀμφαλόν, &c. huc ſpectat illud veteris poëtæ: O ſancte Apollo qui vmbilicum certum terrarum obſides.

AD PANEG. DE MANLII THEODOSII CONSVLATV NOTÆ.

AMPLISSIMA *ſedes*. quam ſacram à Symmacho in epiſt. vocari quidam autumant.

Manſuris. vnus m.ſ. & Vet. Germanic. manſuetis: mendoſè.

Macedum tellus. fuit igitur Præfectus Prætorio Illyricæ: quod totam Græciam complectebatur.

Regia. v.l. ſic, vel, gloria.

Oracula. reſcripta principis ſic l.x. C. de ſacroſanctis Eccl. cæleſte oraculum, & à Iornande, Geticarum rerum ſcriptore, ſacrum oraculum vſurpatur. nam, cum de Gallis ab Honorio A. regi Gothorum Alarico attributa loquitur, ait: donatione ſacro oraculo confirmata conſentiunt Gothi.

Hinc ſacra. περὶ ῥεγαστικῶς officium comitis ſacrarum largitionum doloribus, cuius frequens ſit in C. Theodoſ. & C. Iuſtinian. métio. Caſſiodorus quoque librum inſcripſit, de comitatiua ſacrarũ largitionum. Porrò ſi de hoc comite non agit Claudia. de Comite ſacri patrimonij loquatur neceſſe eſt: qui Caſſiodoro teſte in formulis patrimonium principis curabat, gerebátque curam patrimoniorum ſubleuandorum.

Beſſi. Pacatus in Panegyrico: Parum ille pretioſum curabat aurum, quòd de montium venis aut fluminum glareis quæſitor Beſſus, ſeruator Callaicus eruiſſet.

Excitus. m.ſ. & vulgati nonnulli exertus.

Dorida. Virgilius etiam, in Gallo, pro mari, huius Nymphæ nomen poſuit, quemadmodum hic noſter.

Sumpſit. m.ſ. meus ſenſit, ſed in eodem correctum, ſumſit. idque excuſi nonnulli ſeruant: alij fudit.

Quod te non. m.ſ. meus: quod non te.

Interfuit. in vnius v.l. margine:interfluit.

Fecreta. solus Vicetin.præcepta.

Namque aliis. ne singillatim quæque exponam,quod meum non est consilium, opponatur ex cõtentione locus hic Ciceronis Academ,lib.4.& Sidon.epithalamio Polemij & Araneolæ.

Academia. hoc imitatus Sidonius,Obuiet & quamuis totis Academia sectis,inquit.Cicero tamen eiúsque libertus,Laurea, penultimam produxerunt.

Impleritque choros. hoc est,cælorum ex motu concentum,de quo Apollinaris solidum princeps quod musita mundum Temperet, & certis concentum reddat ab astris:legitur in m. s. impuréntque. hinc Vicetini,quorum est editio antiquissima, impletẽnsque quod typographi ceteri mendosum conspicientes, impleuítque ediderunt.

Quæ flagras per auras Excutiant rutilos tractus. sic fuit hactenus ex emendatione inter quorundam.m.s.lineas posita.cùm in contextu habeatur,quæ flabra p.a.o.r.fletus,bene meo iudicio.

Plautis. plantis,m.s.& vet. German.

Castique meantem. &c.mendo nulla carent exemplaria. v. quia tenebras Solis,causísque meantem Defectum indicat numeris. Viceti.q.t.Solic.m. Defectum inducat numerus Paris. q. 1. Solic. m. Defectũ indicat numerus ceteri:q.t. soli c.m.D.videat m. sententiam perspicuam reor, si legamus; quia tenebras solis, causísque meantem,Defectum inducat numerus.

Qui. Themistocles.

Præstare. cod.meus scriptus;reparare.

Pertulit. v.l.protulit.

Consertos hostes. repono ex v.l.confertos.

Illos vel, v.l.per.

Curnon. ego, Cyrnon scriberem ἡ δὲ κύρνος. ait Strabo, ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖται κόρσικα: quæ sub Italiæ prætorio continebatur.quare non sequor eum m. s. qui, Syrmium præsertim cum has insulas sibi vicinas inuicem enumerare coniungeréque voluerit.Trifidam τρίδειρον, vt Lycophron; vel τριχάρηνον, vt Oppianus.

Violatus. o.v.l.& scripti, & excusi, temeratus.

Rabidas. membrana:rapidas.

Abductéque. hoc loco germanum est:addictéque. hoc est, damnato adiudicatóque.Plautus:addicet Prætor familiam totam tibi.

Lene fluit. testatur id lib.1.Diodorus.

Vtiliter. quotannis enim Aegyptũ irrigans ne imbribus ea egeat, aut vlli terrarum fecunditate cõcedat,efficit. Tibullus:Te propter nullos tellus tua postulat imbres, Arida nec pluuio supplicat herba

Ioui:

Ioui:posterius hemistychium Seneca natural.qu.lib. 4. non nominato auctore, ad verbum desumsit.Illud de Nilo memoria dignû ab Aeliano commemoratur,eius aquam non mulieres modò,quod Aristoteles prodidit, sed pecudes etiam fœcundas reddere. quare tantæ vtilitatis flumen variis Poëtæ epithetis decorarunt:à Dionysio ποιόπατος.ab Oppiano πυρόφορος,à Parmenone Byzantio Αἰγύπτιος Ζεὺς dicitur.Latini Poëtæ fecundum,placidum,fertilem, imbriferum nuncuparunt. quinimo Silius sacrum nominauit: vel, quia Aeliano teste, Nilum eundem,quem Osyrim credebant: vel, quia Nilum Aegyptii consacrarunt, Auctore Heliodoro in histor. Aethiop.& Philone περὶ βίου μωυσέως.γ.

Murmure.m.meus,robore.sed in marg. correctum, sicut in aliis.

Lapsisque.m.f.lassisque.

Qui.v.l. quod.si varietas, vt fit,lectionis mendum tegit, facilè inducor vt emendem,quo. eritque sententia:fatetur se ea dignitate indignum, qua ad altius fortunæ & dignitatis fastigium euectus est.

Illúmque habitum.consularem togam.

Ædes.v.l.arces.

Circum.Circensium igitur ludorum pompa depingitur.

Timet.v.l.tenet.

Consument.v.l.consumant aptè.

Moderatur.v.l.Modulatus.

Vel curribus. mens auctoris postulat, vt ex m. f. reponatur cum cruribus.

Pegma.erat pegma machina lignea instar domus exædificata,paullatim per se surgens,& multis tabulatis in sublime crescens, variísque statuis referta:ea in scenam pueris insidentibus,aut alio aliquo ludicro ornatu deducebatur. meminere illius complures scriptores.Pegmata etiam,Festo Pompeio auctore, sunt ornamenta marmorea,aut ærea,in atriis affixa,fortium virorum gesta demonstrantia:qualia intellexisse videtur Iurisc͞osultus Vlpianus l.xii.§.xiii.D. de instruct.vel instrum.legato.

Spargentes ardua.non dubito legendum cum v.l. pergentes in ardua.

Lembi. c͞otinere me nequeo,quin Fulgentij Planciadis locum emendem:is,de prisco sermone,ait:Celocem dicunt genus nauiculæ modicum,quod bamplum dicimus.hæc enim est libri Plantiniani,à docto Viro restituti,scriptura:penultimum tamen vocabulum penitus est prodigiosum. audacter itaque illi Aristarchi pugionem infigo,atque loco illius repono;lembum, quia in m.f. vetustissimo legitur: C.d.g.nauicellæ velocissimum, quod lumbum dicimus. Nec est quòd quis hanc immutationem absurdam iudicet: nam

tam lembi quàm celoces exigua velociáque, & eam ob rem piraticæ aptissima sunt nauigia: & nouum non est huiuscemodi nomina ab illius ætatis scriptoribus confundi:

AD LIB. I. IN EVTROPIVM. NOTÆ.

TERRÆ *Cælique pudor*. v.l. cæli, terræque.

Quo diras iugulo placabimus aras. ita vulgati. membranæ: q. duram i. pacabimus iram. suspicor scriptum; quo diuum: ídque ab imperito librario in, duram, mutatum: cùm mendosè, diuam, scriptum arbitraretur, superiore parte, u. penè conclusa, ita, vt, a, videretur. aras, etiam malo, quàm iram, propter proximè præcedentem versum.

Sic omnia nobis Hæc regni fortuna tenes? in m.s. dubium; omnia, an; omina: Sed locus vt suspectus, asterisco notatur: fortassis legendus hoc pacto: sin omnia nostro Hæc regno fortuna tenes; quænã, &c.

Quanta vocabula. nomina. Solebant antiqui contexere tabulas accepti, & expensi, articulatim ascriptis titulis, quos nomina vocabant, quotiens igitur Eutropius in alterius manum veniebat; totiēs noui & antiqui domini nomina immutabat.

Debita. v.l. & Vicetin. Dedita.

Viscera. m.s. sic vel; funera. vtrumque nihil obstat, quin, diuersimodè tamen, recipiatur.

Acturus. quia Eunuchi tanti fiebant olim, vt ab Imperatore l. I. C. de commun. seruo manumisso, & l. III. C. commun. de legat. & fideicommissis, notariis & medicis præferantur; æstimentúrque si minores decennio sint, triginta solidis: sin maiores, si quidem nullius artis periti fuerint, quinquaginta, sin artifices, septuaginta; licet aliorum seruorum longè impar pretium taxaretur. Non dissimulabo in meo. m.s. legi; Acturus, quod ipsum fortassis sit recipiendum: cùm agendi vocabulum, teste Iurisconsulto in l. XIX. D. de verb. signif. generalissimum sit, atque agere precium: cõstituere significet. vnde auctio quasi actio, dicta est.

Inguen. v.l. ignem.

Aristæo. alij; Aristhæo quidam; Aruthæo. nonnulli, Aranthæo. cæteri Arenthæo num est legendum; Arintheo; cuius lib. XXVII. meminit Ammianus? quod de hoc loco dixi; idem de aliis, quibus huius fit mentio, dictum volo.

Quæ genuit. ex m.s. primus reposui, quam genuit.

Atque alias. v.l. ante alias. Vicetin. & Basileens. vtque.

Desecta. m.s. & Viceti deserta.

Stipite. v. meus cod. Ceſpite, id eſt ſtipite. vnde gloſſema quod ſit, patet, Vicetin. etiam, ceſpite agnoſcit.

Vetat. v. quod negat, & paulò poſt, miſère. pro truſere: & deiecit ſordidus, pro demiſit ſordibus.

Abundanti. in m.s. Habundanti, vt videatur is qui Eutropium. tãquam ex vepreculis extractam nitedulam, ad conſulatum euexit, fuiſſe Fl. Habundantius, anni M C X I V. cum Theodoſio Imp. coſ.

Honores. reuera ἀπὸ θυροσκοπίου, vt ait Syneſius, ἐπὶ τὴν ἡγεμονικὴν ἀπήνην αράμενος.

Vates. Traſeas. Ouid. III. de arte.

Opifex Tauri. Perillus.

Qui ſe protulit. v. l. quã qui ſibi pr otulit, quid ſit quã qui ſibi profuit?

Arce. v. l. arte. hoc eſt peritè.

Si Lyciam. non aſſentior m.s. meo habenti; Siciliam. Trinacria enim nõ Oriẽt. imperio, ſed Occidẽt. ſubiecta fuit. Vicetin. Ciliciã.

Vrget. hoc gloſſema eſt. quia Vicetin. cogit. cum haberetur in v. l. cogat; effecerunt. Vicetin. lectioni ab aliquo adſtitutum fuit, id eſt, vrget, eam vocem, deinceps cæteri amplexi ſunt.

Femineas. Iul. Paullus l. XII. D. vbi quis agere vel non debeat, moribus affirmat introductum. ne mulier iudicare poſſit. Vlpianus eas ab omnibus officiis ciuilibus & publicis remouit. l. Fœminæ. D. de reg. iuris. Poſtremò Iuſtinianus eaſdem cuiuſquam negotij arbitras conſtitui vetuit. l. vlt. C. de arbit.

Eunuchi videre forum. Romani. Etenim Eunuchis non permiſerunt, iudicis partes exſequi; imò anno D. C. LXXVI. Mani. Aemilius Lepidus coſ. caſtrato cuidam, ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem denegauit; ne obſcœna huius viri non viri, præſentia, tribunalia magiſtratuum, ſub ſpecie petendi iuris, pollueréntur. Moſes quoque ſpadoni Eccleſiæ ingreſſu interdixit: tradidit hoc Philo περὶ μέθης, & Clemens ἐν τῷ προτρεπτικῷ.

Ignominia. v. l. ignominiæ. *Arma etiam violare.* nam hæc duo; Eunuchum eſſe, & militare; eſſe prorſus contraria, docet Sidonius lib. I. epiſt. VIII. & Arrius Menander lib. I. de re militari, ſatis indicauit, Eunuchos iure militare nequiuiſſe, dum ait; qui cum vno teſticulo natus eſt; quíue amiſit, iure militabit ſecundum D. Traiani reſcriptum, l. IV. D. de re militari ideóque Meſſalina reprehendebatur, quòd Poſſidi Eunucho, poſt triumphum Britannicum, arma inſignia, inter viros fortiſſimos, tanquam victoriæ participi dediſſet. auctor Aur. Victor.

Aggregat. v. l. aggerat. Virgilius: onerat dictis atque aggerat iras.

Pharetra. m. ſ. pharetris.

Syriæ feruet ſpoliis, nec. mendoſa ſunt hæc; quare ex m. ſ. corrige; Syriæ ſeruit: ſpoliis non.

Sæuis portentas Pallada Campis v.l.Sæui p.P. campi. ſic autem vulgati quidam.

G E N S. *nulla probatur Eunuchíque ſceptra ferat.* Plinius lib. 22. Nat. Hiſt.cap.4.contrarium tradit.

Hanc ſoluit. m.s.hunc.

Pulchrè. v.l. pulcher.

Parthica ferre. putaui olim germana hæc eſſe Claudiani verba: quod Parthos ei ſceleri, cui coercendo lata fuit lex Scantinia, mirum quantum deditos fuiſſe non ignorarem. verùm vt nunc aliud exiſtimem, fecit Stephanus de vrbibus, qui ſcribit Σπάδα, ὑδέτερος κώμη Περσικὴ ἐν ᾗ πρώτη εὐνουχισμὸς γέγονε. vnde legendum videtur. Perſica ferro. atque hanc emendationem valde iuuat Vicetina editio, in qua ſcribitur; ſeu percita ferro. nec non Petronius Arbiter, his verſibus: Perſarum ritu malè pubeſcentibus annis Surripuere viros, exſectáque viſcera ferro In Venerem fugêre, atque vt fuga mobilis æui Circumſcripta mora properantes differat annos: altera autem de Semiramide opinio Ammiani auctoritate aſtruitur.

Vada. m.s.iuga.eritque duplex ἀδύνατον.

Aſſuetum. v.l.aduectum.

Diligit. meus.m.ſ.dirigit, mendosè. diligit enim flagitat ſententia; quam vt enodem, nec ætas, nec pudor meus patiuntur.

Peperit. m.ſ.meruit-ſic; laboris, vbi vulgati, doloris. & vbi legitur, tranſlapſa: Idem: tranſlata.demum: fronte decorus, pro, forte.

Corpore. in membranis, ſic, vel ordine.

Quæ ſuſcepta. Moguntin.quæ ſuſpecta.v.l.quam ſuſpecta.

Rhodani. v.l.Rhodano.

Silentia. errant itaque Eunuchi, Silentiarij, qui cęterorum ſeruorũ murmur cohibebant: de quibus agitur in tit. C. Iuſtin. de ſilentiariis & decurion.eorum,

Militia Eunuchi nunquã progreſſa cubile.) quoniam Eunuchis cubilium ſeruandorum cura incumbebat: ait auctor Etymo logici, εὐνοῦχοι ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, καὶ ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φυλάττειν. Porrò Eunuchos lõgè aptiores eſſe ad rerũ, corporíſque cuſtodias, quàm viros, Xenophon Cyri Παιδείας ζ. ſub finem probat: vbi etiam eleganter eos laudat.

A fronte. vulgati quidam: à ſorte.

Aurora certè eſt. Sic vulgò legitur, nullo ſenſu: in v. verò l. Aurora ſanè quæ virgula tamen, denotans, m; ſuprà poſterius a, in ; Aurora, poſita, cultro à copiam nebulone, vt in meo veterrimo codice facilè apparet, eraſa fuit: eam nihilominus vt retineamus, ſententia, & mens poetæ exigunt: tùncque hoc modo diſpungam: Auroram

Auroram ſanè; quæ talia ferre Gaudet; & aſſuetas ſceptris mulieribus vrbes Poſſideant.

Geſtant. m. ſ. meus, tollunt.

. *Faſtus.* v. l. faſtos, ait: eiuſdem Eutropij nomen inter ſeruos Arinthei, & inter conſules in faſtis conſularibus legetur?

Plenum. m. ſ. meus; pulchrum. idem; differs.

Obductus. quidam; addictus. v. l. adductus. fortaſſis: eductus.

AD PRÆFATIONEM LIBRI II. IN EVTROPIVM NOTÆ.

EXILIVM. Vereor ne quemadmodum Cæcias nubes, ſic ego, dum hoc loco à celeberrimis quibuſdam viris diſſentio, lites ad me attraham. ſed tanti eſt veritas, eas cunctas vt parui faciam; dummodo errorem inueteratum ſuis animis eximi patiantur. Credunt Eutropium in conſulatu necatum: quod, dicam paucis, eſt οὐχ χρήσιμον ἀλλ' ἄχρηστον Noſter enim Poëta, qui eius tempore vixit, non occiſum, ſed in Cyprum relegatum fuiſſe ſcribit; haut dubiè necis genus non preteriturus ſilentio, ſi viliſſimum hoc mācipium interemptum foret. At inquies à Poëta hiſtoricam veritatē non exigi. rectè quidem: veruntamen credibile non eſt, quemquā quæ lippis & tonſoribus erant notiſſima, fabularum inuolucris inuoluturum, eáque de quibus à quouis mendacij coargui potuiſſet. Deinde ſtat à Claudiani partibus lex XVII. Theodoſ. de pœnis, cuius verba non adſcribam. liber in omnium manibus verſatur; qui volet, illum inſpiciat: inueniet, quæ dixi, dilucidè confirmari. Ne quem verò Socratis lib. VI. Eccleſiaſt. hiſtoriç locus perturbet, ita ſcribentis: Εὐτροπίου μὲν οὖν τὴν ὕπατον ἀξίαν ἐγχειρίζοντος, διά τινα πταίσματα ὁ βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσεν: operæpretium eſt intelligere; ei, qui Socratē contēnat, multùm abeſſe quin aſſentiar, cum eo quoque diſceptaturum me, qui Claudiani, & imperatorij edicti auctoritatem eleuandam cenſeat. Igitur credo ſic conciliari poſſe repugnantes, vt prima facie videtur grauium ſcriptorum ſententias: ſi dicamus Socratē per τὴν κεφαλὴν, famæ dignitatiſque ſtatum ſignificare. qua ratione dicūt iuris auctores, capitis eos pati diminutionem, qui libertatem, vel familiam amittunt. toto tit. D. de cap. minut. deportatis verò, cū ciuitatem non retineant, caput minui certi iuris eſt. §. III. Inſtit. de cap. deminutione. Deinde in dicta lege ſeptimadecima, cùm aiunt imperatores; ad Cyprum inſulam perducatur, in qua tua ſublimitas relegatum eſſe cognoſcat: vocem; relegatum pro; deportatum, accipio: ſicut Iul. Paullus accepit l. V. §. D. de cap. minutis. Hanc

meam coniecturam præfatæ constitut. XVII. initium confirmat: quo Eutropij bona fisco principis addicuntur; quod nō fieret profectò, si non deportatus foret: quia simpliciter relegatorum bona minimè principis ærario vindicari, Martianus respondit l. IIII. D. de interd. & releg. & deportat.

Confecit. meus m. s. perfecit. idem; arce tyrannus.

Spado. licet Eutropio testes exsecti fuerint; cùm tamē spadonum nomen generale sit, teste Vlpiano, rectè Spadonem nuncupat.

Vates nec. m. s. vates iam. vates, inquit, cùm nequeant dormire, nulla tibi insomnia renunciant.

Vecturum. meus m. s. venturum. porrò ad Arionis fabellam alludit: cui similem refert A. Gellius lib. VII.

AD LIB. II. IN EVTROPIVM NOTÆ.

QVo *funditus.* & v. scripti, & v. impressi; quis.

Oceanus. Oceanum posuit noster; vel quia mare, vt ait Euripides, κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά: vel quia Seneca dixerat in Hippolyto: Non ipse toto magnus Oceano pater Tantum expiarit scelus: qui Catullum fuit imitatus: cuius vulgò notissimi versus sunt in Gellium.

Senis. C. Tiberij Cæsaris.

Ferunt. v. l. refert.

Romuleo. Consulari trabea.

Genitórque vocatur Principis. Suidas auctor est, patricios in principio Ro. Reip. populi patres dictos: postea imperatores vt Senatui adularentur; omnem enim populi potestatem dignitatémq; in se susceperant; patricios quoque sibi patres elegisse. sed eos tamen patricios quoque sibi patres elegisse. sed eos tamen patricios, qui maiorum gentium vocabantur, meminit huius rei Iustinian. in tit. Iustit. quibus mod. ius pat. potestatis soluitur.

Claro quod. ex his quattuor carminibus, tot taliáque menda sustuli, vt si nihil aliud in hoc poëta præstitissem; aliquod tamen operæ pretium me consecutum arbitrarer. turpissimas tam v. l. quàm excusorum scripturas refutare piget. adferre pudet. Mea quæ mihi vt noua, sic vera videtur, hæc est: nimiæque leguntur vel maribus laudes: claro quòd nobilis ortu; Cùm viuant Domini? quod maxima prælia solus Impleat; hoc patitur miles? quòd tertius vrbis Conditor; hoc Byzan: Constantinúsque videbunt?

Fatere mero. à Martiale in Acerram sumtum. rationem huius graueolentiæ, eandem, quam in gumiis & raponibus; quibus ex ἀδη-

φαγία os olet.; crediderim, iecoris atque pulmonis, ex nimia alimentorum quantitate natam corruptelam.

Vacuámque domum. v.l.eleganter, viduamque. vidua enim domus; ſeu, vt ait Heſychius, χηρῶν οἴκημα, non cuiuis parere debet.

Amphyſa.: alij; Amphiſa: alij; *Amphiſſa.* quidam Amphyra. v. l. Anchira. ego; Ancyra. cùm quia infrà de mobili hac expeditione loquens, ait; Ancyraníque triumphi: tum quia ſic ſcribi deber. epitoma Stephani; ἄγκυρα πόλις Γαλατίας, εἰ δὲ φρυγίας αὐτὴν ἀναγράφουσιν &c. noſter de Galatiæ agit.

Laude. v. mole.

Indúmque. v.l. & Viceti. Nilúmque. fortaſſis ſcripſerat negligẽs librarius poſt Viceti. Nidúmque: hinc ceteri; indúmque.

Cladibus. v.l. Stragibus.

Deriſa. m. ſ. meus; deluſa.

Largus hac. v. l. laxis. laxus aliquando pro longo ſumitur. Proculus in epiſtolis: putas ne vetè me poſſe dicere, arbitratu meo op' effectum non eſſe ante Kal. Iunias; cùm ipſe arbitrio meo aliam diem operi laxiorem dederim. l. c. XIII. D. de Verb. obligationibus.

Gothunnis. v.l. Grotundis. Viceti. Grutunnis. Sed ego; Grutungis. hi enim Galliæ populi ſunt, quibus à Valentiniani Imp. ducibus ſuperatis, agri in Aſia aſſignati fuerunt. de his noſter alibi cecinit; legio pridem Romana Grutungi (*ſic enim ibi in v.l. legitur*) Iura quibus victis dedimus, quibus arua domúſque Præbuimus, &c.

Sic erit. v.l. ſcripti & impreſſi; eat. deinde Baſilienſ. erat. poſtremò Lugdun. erit. *ſubmiſſis.* v.l. demiſſis.

Targibulum. tanta eſt in hoc nomine o. c. variatio, vt quid ſtatuã planè fatear me ignorare.

Gothunnus. hoc loco diſertè m. s. meus; Grutungus continet.

Pertentas. lege Prætentas.

Reddere. v.l. credere. Sic infrà: ſe credidit vndis.

Infernas. v.l. infernis.

Quæ leuat. v.l. cum Vicetin. leuat. dixerat enim; quæ condidit.

Piſidéque feroces. Liuius lib. XXXI. IX. ferociæ cauſſas reddit.

Ægyptius. Pſammetichus. Herodot. Εὐτέρπῃ.

Hic cecidit. innuit à Mineruа tibiam in Phrygiam abiectam fuiſſe. de hac fabula Clemens Alexandrinus: προσοντέον δὲ μάλιστα τῆς εὐσχημοσύνης ἣ καὶ τὴν Ἀθηνᾶν φησὶ ὁ μῦθος ἤ τις ποτὲ ἦν προμηθουμένην αὐτῆς, τῶν αὐλῶν ἀπορρίψατο ἐπιτερπῆ· διὰ τὸ ἀπρεπὲς τῆς ὄψεως. Propertius lib. II. Hic locus eſt in quo tibia docta ſones: Quæ non iure, vado Meandri iacta nataſti. Turpia cùm faceret Palladis ora tumor. verba aſcripſi, vt hi loci ſibi inuicem aliquid lucis præſtent.

Synada. v. l. signada. à Stephano edoctus repono; Sinnada. cuius marmor Straboni, Ptolomæo, & Plinio laudatur. propterea Prudentius, maculosáque Sinna dixit. Sidonius: Iungitur hic Sinnas, Numadum lapis additur istis, Antiquum mentitur ebur. quæ sic emenda i. his s. Numidum, vel Nomadum, l. a i a. mentitus e.

Irata. v. l. Commota.

Inque modum veli. de strutio camelo loquitur, quemadmodũ Xenophon, ἀναβ. τὰ πολὺ γὰρ ἀπτῆτα ἀποφεύγουσα, τοῖς μὲν ποσὶ δρόμῳ, τοῖς δὲ πτέρυξιν ἄρασα ὥσπερ ἱστίῳ χρωμένη.

Ille semel. m. s. meus; tamen.

Prima superbus Cingulas primo militares ordines & dignitates. ita sumitur cinguli vox l. II. C. VI. dignitat. ot Aseruetur lib. XII.

Dociles. meus c. v. faciles.

Sanè. v. l. facie.

Arctis. m. s. meus altis.

Marmora. Hæc Brodæus in miscellaneis explicat. m. s. continẽt: vertat quis marmora crine soluto.

Angustas ignoto. v. l. ignotas angusto.

Pisce sodali. musculo.

Echino. quod Echinorum ouis farciat. oua Echinorum in magno precio erant tum propter edulij suauitatem, tum quia nauseãti stomacho conducebant. teste Æliano. vt autem hæc verba de Echinorum ouis exaudiam, facit Aristoteles, qui sola illa apta esse cibo tradidit.

Contexit varius. sic ceteri o. meo. m. s. excepto; in quo post; contexit, ante; varius, est lacuna. latet aliquod vlcus.

Luto. πηλῷ idèo homines πηλοῦ πλάσματα.

Epimethea. nam sic dictus est ab ἐπὶ καὶ μηθεύεται. quare Pindarus serò sapientem vocauit ὅς οὐ ταν Ἐπιμηθέος ἄγων ὀψινόου θυγατέρα Πρόφασιν.

Famulo. m. s. meus, famulis.

Atque ita. temere iuniores reiecerunt, Altáque. quod in v. l. habetur.

Eunuchi. v. l. eunuchus: & seq. carmine, totas.

Regit. m. s. & Vicetin. gerit.

Cruento. in v. l. fecundo. M. Tullius ad Cæsarem iuniorem lib. II. prælium valdè secundum dixit.

Captiuus. non nolo v. l. captiuis.

Virtus. videntur nonnulla desiderari.

AD PA-

AD PANEGYR. I. IN I. CONSVL. STILICHONIS NOTÆ.

IN meo m. s. hæ Stilichonis laudes, non in panegyres, ſed libros diſtinguuntur: & facilè apparet in vno eodémque conſulatu, priores duas fuiſſe decantatas; adeò vt ſubdubitem, num vtráque diſtinctio librariorum ſit, non ipſius Claudiani. ſcriptas crediderim in primo, quo Fl. Aurelianum conlegam habuit. Stiliconem Vãdalum memorant hiſtoriographi, & antiqui lapides magiſtrum vtriúſque militiç extitiſſe: virum manu quidem promptum, omníque laude dignum: niſi vocatis Gothis Eucherio filio regnum cõparare conatus, detecta perfidia, foret occiſus: ideóque ab Honorio & Theodoſio prædo publicus appellatur. l. XXII. C. Theodoſ. de bonis proſcript. & damnat.

Regia cantus Sopierat. v. l. gaudia cantus Soperiant. ídque Celſani cod. retinuit.

Promptius. v. l. protinus. quod vt recipiatur, eo modo interpretor, quo Virgilian. illud à Nonio adductum è lib. XI. (*malè in Anturpienſ. Nonio legitur.* VIII.) felix ſi protinus illum Æquaſſet nocti ludum. dicitur & protenis: apud eundem locus eſt Afranij vulgò corruptus hoc modo: Afranius epiſt. commiſſa: Tum protenis recta domum digredimur. longe meliùs D. Amandi, Neruiorum monaſterij m. ſcriptus. Afranius epiſt. Commiſſarum protenis, &c. quia ex epiſt. eiuſdem in; gelu, citatur locus: &, commiſſatum legi debere, nemo dubitabit, pręter illos; qui Platoni σοφιστομανεῖς καὶ λογομανεῖς dicuntur.

Partitum. alij; partitu. eadem variatio eſt in v. l. quid ſi legamus; partitè?

Collecta. m. ſ. ſic vel; conlata. & vnus paullo pòſt, cuius procedere famam.

Mitram. Herodotus Venerem à Perſis Mithram vocari ſcribit: cui Strabo repugnat, τιμῶσι δὲ, inquit, de Perſis agens, καὶ Ἥλιον, ὃν καλοῦσι μίθραν. Strabonis opinio quinque lapidum inſcriptionibus comprobatur; in quibus, Sol Mithra vocatur: quod ne quis à me confictum putet; ſciri velim lapides exſtare etiam num; primum quidem Romæ, ad D. Luciæ, ſecundum Romæ, ad D. Mariæ trans põtem: tertium Romæ, in ædibus Hieronymi Pichij: quartum in oppido Ticuli, diœc. Vrbeuetanæ: quintum in oppido D. Germani. ad Cathedralem Eccleſiam: quibus Claudianus aſſentitur. Cleanthes philoſophus ſolem πλήκτρον; Branchus verò vates Ἑκάεργον nominat. ille, quia ἐν ταῖς ἀνατολαῖς ἐρείδων τὰς αὐγὰς, οἷον πλήσσων τὸν κόσμον εἰς τὴν ἐναρμόνιον πορείαν τὸ

φῶς ἀγέι. hîc fortè quòd eminus operetur hæc addidi, quoniam à quibusdam, qui solis cognomina conlegere, hæc valdè inlustria nulla ratione prætermissa sunt.

Eumcta. meus m. s. inducta.

Censet. v. l. sensit.

Adiunxit. vnus v. l. subiunxit:

Proponti. in mei m. s. margine; vel Promoti, socij Stilichonis interfecti à Rufino, quomodocumque appellatus fuit; de eo sunt hæc 1. in Rufin. Nam tua cum Gethicas strauisset dextera turmas, Vlta ducis socij lethum,

Proditor. Rufinus.

Ædonas. q. Ædomas alij; Edonias. scribe Edonas. nam Græci in prima syllaba η, in secunda, ω collocant. & Horatius dixit Od. VII. lib. II. Non ego, saniùs bacchabor Edonis. Statius II. Theba. vt legitur in Aldino: Dulciùs Ædonias hiemes Arctúmque frementem Excidere. lege; Edonas, &; Excipere.

Subductus. meæ membranæ; seductus.

Nilibi. cùm in m.s. & Vicetin. & Parisiens. nulli. contineatur; non fuit hoc temerè reiiciendum.

Hic crine decoro armenus. Vicetin. cum crine decoro Armenius. v. l. cuius c. decoris Armeniis, hinc Armenios ἐρασιπλοκάμους: patet fuisse, quemadmodum Ligures, Britanni, Gethæ, Celtiberi, Licij; Indi & Parthi.

Alumnus. fortè Britannus.

Leucates. v. l. Leucate: hinc ego, Leucatæ; secutus Virg. II. Æneid.

Penetrassent. præcedens; quateret; indicat ex m. s. legendum penetrarent.

Fulmineum. m. s. meus; flumineum.

Sueuus. vnus l. v. Suilas. hinc ego; Salius qui Francorum de gente sunt.

Marcomanes Sueuúsque. v. l. Marcomenes Sonnóque. lege; Marcomar Sonnóque. de quibus consule horum temporum historias &

Gir notissimus. Vicetin. & Cis. Coniectura doctus castigo; nigrísque nouissimus. huius enim fluuij aqua, quod mirum videatur, verum tamen sit; sic Niliacam refert; vt ab ea discerni nequeat: crocodilos quoque nutrit.

Iuba. v. l. Nuba. egregiè.

Pœnus. v. l. meus; plenus, fortè, Pœnus.

Prostratus Memnon Achilli. v. l. Memnon prostratus Achilli. Ouidium, Dictym, Daretem, Pindarum, Calabrum, & Tryphiodorum secutus est. Heliodorus tamen & Philostratus hic lib. VII. ille libro V. vllo modo occisum pernegant, quinimo contendunt in

Æthiopia, longo post tempore mortuum. dissentiens vt vtrisque lib. II. Diodorus constare ait: τὸ δὲ πλευτᾶιον ὑπὸ Θετταλῶν, ἐνεδρευθέντα καταφαγῆναι. Martianus Capella, Iuxta, inquit, Iliũ sepulchrum Memnonis iacet. indicans ante Troiam cæsum.

Allata. v. l. inlatæ.

Interquet. v. l. iam torquet.

Masas. v. l. Marax. censeo legendum; Mazax. Aurel. de venatione: Quémque coloratus Mazax deserta per arua Pauit. Lucanus lib. 4. Tremulum cùm torsit missile Mazax: num verò apud Ammianum lib. XIX. Mazaces, pro, Mazices, legendum sit, ignoro, quia Ptolemæo Μάζικες, Stephano Μάζυες, Herodoto Μάζυες dicuntur. Sunt enim Mazaces non Asiatici modò, verùm & Africani.

AD PANEGYR. II. IN I. CONSVL. STILICHONIS NOTÆ.

VRBEM. m. f. & v. impressi; orbem. nec est magnum discrimen inter has litteras.

Discussis Tenebris. non sequor; discussit tenebras; quod meus m. f. habet. idem pro; vltrò. quod ceteri continent; vltor.

Cum sternere. v. l. qui frangere.

Spicula differt. soli Vicetini; idefert.

Fulmina. m. f. meus; spicula. qua voce paullo superiùs vsus fuit. idem; speciem promittere fraudi: hinc coniicio legendum præmittere.

Allicitur. v l. Allectum, ordo erit: nec patitur allectum priorem amicum sibi, nouo veniente, fastidire.

Et ignarum. v. l. vt. quod auidè arripio.

Contentus. nunquam. v. l. & Vicetin. contemtus. nunquam hoc est: Honorius A. licet eius foret ætatis; quæ omnium ludibrio & iniuriis est exposita; cura tamen Stilichonis, nemini vnquam despectus, gentibus subactis imperauit.

Scapulis. libentiùs legerim ex v. l. capulis, nam veteres manubriũ gladij auro circumdare solebant. vt indicat Alcæus; ἐλεφαντίναν λαβὰν τῶ ξίφεος χρυσοδέταν ἔχων.

Violare fidem. in plerisque libris est; peccare fide.

Vinxere choros. v. l. iunxere.

Et nusquam meriti. hoc sanè non satis intelligendo consequi possum. quare mihi quidem paullo magis arridet v. l. lectio; & meritum, non quæ.

Fucata. meus m. f. fuscata idem; Stupris aduigilat.

Æraria lassant. v. l. laxant. itaque, quod & aliàs semper facio, vt cum non inconcinna est m. f. scriptura, eos sequar, idem mihi nunc vsu venit.

Condonat. de his proscriptionis tabulis Cicero in Verrem: vt liberis eius bona eriperes, &, cui tibi commodum esset. condonares.

Aonios meditantem carmine muros. Typographi sic reponentes ad vulgatam de Thebarum extructione fabulam alluserunt. sed in v. l. inuenio, Aonias m. e. Musas. qua lectione nihil dilucidius, nihil perspicuum magis.

Quæ sufficerent. hoc Colinæus primus inuexit, idque illum secuti typographi retinuerunt: cúm in antiquioribus excusis atque mēbranis; quantis fluerent; contineatur.

Centenas aptant. aptum quidem hoc huic est loco; sed à nescio quo intrusum: ego; optant, vt videlicet librorum scripturam, repræsentem.

Totis. habetur in v. l. tectis: vt ripæ pacis otio vel arboribus cōsitę; vel domibus ædificiisque variis completæ fuerint.

Cedit. lege ex v. l. credit. quasi dicat; propter admirationem, vix suis ipsemet & oculis fidem habet.

Laceri. membranæ; latè.

Tributis. est, &, triumphis, in membranis, cui non adhæreo. Intribuebat porrò Illyricum, vinum, vt hinc paret, & equitatus, vt conligitur ex libello de laude Serenæ.

Annueris. v. l. Annueres, vel, annueret.

Tenens. v. l. ferens. in meo etiam, id est: tenens.

Hybernā. malim; Hybernen. nam alibi inquit, glacialis Hiberne.

Prospicerem. v. l. aspicerem.

Iam fulgurat. v. l. subfulgurat.

Ore corusco. æquiùs facere videntur, qui cùm v. l. orbe, amplectuntur, & ad orbem Clipei referunt.

Quo gentes captiuis regibus egi. meus codex calamo exaratus; qui g. cap. reg. egit.

Pagina de primo venisset limite Phœbi. quem proximè commemoraui codex; pag. v. de primo lumine Phœbi. item post pauca; scribere deseruit.

Plus est. ex illo Ouidiano: non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Casus inest illic, hic erit artis opus.

Insolitus. v. l. & solitus.

Te certum est. m. meus; Posse queas. alius; posce queas: vnde coniecturam duco legi debere; posco, queas. Vel; Nosco, vt idem sit sensus, qui priùs fuerat. quod si verum est: hinc mendi origo fluxit: auctor scriptum reliquerat; Nosco: inde alij corruptè? Nosce, descripserunt. hinc factum est, posse: Typographi postremò

temerario quodam caſtigationis genere ; Te certum eſt inuexerunt.

Dolores.v.l.labores ſimiliter in legibus noſtris alicubi.partus labores nuncupantur.

Stilico.v.l.Sed auus.

Regali.v.l. rectè;legali. ſic Tribunianus legitimum vinculum nominauit.

Dea veſtibus.pro Dea ; v.l.iam eritque ſententia;humeros quondam idoneos armis,nunc trabeis.

Tendentem.membranæ hunc verſum ad Bellonam referunt,continentes,tendens.

Terga.m.ſ.cum vet.Germanic colla.

Ceres.v.l.ſeges,ſed in meo alia manu emendatum;ceres.

reducto.v.l.reductam.

AD PRÆFATIONEM LIBRI DE BELLO GETICO NOTÆ.

TITVLVM. clariſſimus: vt ex inſcriptione ſtatuę patet, quæ Claudiano dicata fuit in foro Traiani;quæque nonnullis editionibus præfixa habetur.

AD LIBRVM DE BELLO GETHICO NOTÆ.

ÆTÆAM. m.s.Oetam.lege;Ætham.

In maius. ſimile illi Liuiano qua quidem incerta in maius vero ferri ſolent.Latinus;Pacatus amplificatrix veri vetuſtas Citante quoqueLactant.lib.1.c.xxi.Salluſtius dixit;vetuſtatem omnia in maius componentem.

Monitu Iouis.Ianus Parrhaſius,mea quidem ſententia non abſurdè. repoſuit;Tomari.nam in v.l.mendosè;Teneri,legitur.

Vrgenti.v.l.ingenti.

Veneranda.nil repugnat , quominus membranis aſſentiamur ; quæ; reuerenda.

Iuuentæ robur.ex v.l.fide;repone iuuētæ ad robur.Homerus ὀδυσσ. λ:vnde hic locus deſumtus eſt,expreſſo magno,eorumque conatu ſubiungit:ϰ̀ νύ κεν ἐξετέλεσσαν εἰ ἥβης μέτρον ἵκοντο.

Othrys. v.l.Otis ex Homero,Pindaro,Virgilio ſcribe;Otos.

Aſpice Roma tuum iam vertice celſior hoſtem.hunc verſum ei qui incipit;Adſpice quàm rarum,& vulgò præcedit.commodiùs exiſtimo præponendum.

Nuncia. placet ex vet. cod. reponere; conscia.

Tumidis. v. l. & Vicetin. nimius.

Marij Paulique. Si rerum gestarum, temporúmque seriem inspicimus, rectiùs v. l. Paulli, Mariíque: nam Marij triumphus penè LXIII. annis posterior fuit

Duces. v. l. viros. præterea vet. Germa. Superare, pro; complere.

Propter scenas. nam anni fuerunt omnino sexdecim.

Inertes dominos. Gladiator iste duobus consularibus exercitibus superatis, eorúmque castris & impedimentis potitus, C. Cassium Procos. oppressum bello; interfecit, *& luxu.* meus. m. s. & lusu.

Aliagmona. lege, Haliacmona, de quo Plinius & Strabo.

Procumbere. v. l. incumbere.

Sudes. Renatus Veget. lib I. c. XII. nemo enim iam diu (*vox*, diu. *Gemillacensi. m. s. deest.*) deductis fossis, præfixisque sudibus castra deducit, & c. XXIV. Sudes de lignis fortissimis, quas milites portare consueuerant, præferuntur. ita vulgò legitur. meliùs idem v. l. quæ milites. nam ligna, non sudes voluit dicere à militibus portari consueuisse.

Carbasus. libri Sybillini; quos Romani, quid prodigia portenderent, sciscitaturi inspiciebant: vel si mauis, lintei libri, quibus facta P. R. continebantur, quorum fit mentio à T. Liuio, prius placet. nam arbitror ad illud Lucani ex lib. v. respexisse: Custodes tripodes fatorum.

Horrisonas? meus m. s. ærisonis. lego; Horrisonis crebras.

Solitas. idem. m. s. in contex. licitas: sed alia manu emendatum: solitas.

Restrinxit sanguine. magis apposite. v. l. restinxit.

Vrbe considet. & c. vnus v. l. aliter, Considet regnum Rodano capitísque, & c. non bene.

Aut nasses recusent. quanto melius hic v. l. & nosse recusem. iidem paullo in serius, mentis vincula.

Tremendam vix æstate viam. & si nulla sit in omnibus libris discrepantia, existimo tamen scribendum, terendam. *& tepidis.* m. s. vet. German. & Vicetin. & trepidis.

Nequeant. Corrigite secundum v. l. nequeat.

Vota regunt. sequentia declarant v. l. rogant, retinendum.

Legio prætenta. sexta videlicet Britannica, ex euentu, Victricis nomen adepta.

Domant Citos. v. l. Cytos. proprium est hoc loco, & debet reponi, Catthos: quos Tacitus Cheruscis proximos statuit. Sidonius vt vulgò habetur: Chattúsque aplaustri Alligat Albis aqua. pro quo substitue: Chattósque palustri A. Albis aqua.

Redit color. meus m. s. calor.

Fœmina Alcestis.

*Iuuenem.*Hyppolytum.

*Minoum rupto.*fabula quam tangit, in hunc modum à Clearcho Solēsi lib. 7. vitarum, Isacio Zetze. Palęphato περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν. & Higyno c. de Polyido describitur: Minos filium Glaucū, cum in mellis dolium incidisset, suffocatum: casu turbatum patrem sepulchro cadauer mandasse; iuncto Polyido nobili augure & medico; iis conditionibus, vt vel eum ab orco reuocaret, vel vnà Plutonis regiam viseret: mæsto auguri inopinatum auxilium obtigisse, accurrisse videlicet duos serpentes: interfectum vnum, elapsum alterum: mox reuersum eundem, herba, quam ore ferebat, socio vitam reddidisse. quo facto vtrumque disparuisse. ea re Polyidum animaduersa, illa ipsa radice Glaucum patri viuum restituisse. Iccirco dixit Ouidius: Profuerant Glauci manibus illa priùs.
Tunc cum obseruatas augur descendit in herbas.

Vsus & auxilio est anguis ab angue dato. & Manilius lib. II. anguis hic nata per herbas Fata refert. vitámque sua radice ferentis. Ameliagoras tamen; quod Ouidius, Hyginus, Palephatus, & noster Polyido tribuunt; Æsculapio adscribit, falsus opinor multitudine eorum, quibus Epidaurius Deus vitæ auctor exstitit. nam plurimos illum è mortuis suscitasse diuersi prodiderunt: Apollodorus & Virgilius, Hippolytum, Panyasis Halicarnasseus; is qui à Cleophylo Samio captiuitatem Oecaliæ furatus est; Tyndarum; Orphici omnes, Hymenæum. Stesichorus Lycurgum, & Capaneum: Telesarchus, Orionem. Phylarchus, Phœnissas: Poliarchus Cyrenæus. Cræsi filias: Pherecides, Delphis mortuos: Hyppis Rhegynus, mulierem lumbricosam. hæc ex Æliano, Clemente, Euripidis Scholiaste, & Lūctatio collegi, quod ea discendi cupidis non ingrata fore confidebam.

Fortuna famulante. meus m.s. stimulante.

Vetere ferri. emendatiores lib. ducere. Idem post pauca; edita luco est. vbi ceteri; reddita.

Bellóque, viáque Instruit. v. l. bellóque viæque. ego autem: bellique viæque.

Veri sacra fides. vnus excusus, fera, quod cùm diu optassem alicuius m.s. fide comprobari: idipsum, dum sedulo eum, qui penes me est, inspicio, reperi.

Tyrannum. Lugdunens. exceptis cuncti c. pudorem.

Tegæam Argósque. in priori voce erratum est vel in pueris virga plectendum: quare lege: Tegæámque Argósque.

Gentis praclarus Alanæ: hæc vna quidem o. l. lectio, quin tamen mendosa sit, dubitare nemo debet: quid si igitur eius loco scribamus, Gentis dux clarus Alanæ?

Hisdem. Lugdunenſ. & Baſileenſ. à quibus hic verſus omiſſus eſt; digni ſunt, qui non pereant modò, verùm intereant etiam. quid enim eſt bonos ſcriptores non vulnerare, ſed iugulare, ſi hoc non eſt?

Fortéſque. meus m.s. fortíque.

AD PRÆFATIONEM PANEGIRIS IN VI. CONSVLATVM HONORII A. NOTÆ.

OMnia quæ ſenſu. Attius in Bruto; Res; quæ in vita vſurpant homines, cogitant, curant, vident, Quæque agunt vigilantes, agitántque; ea ſi cui in ſomno accidunt. Minus mirum eſt qui pro Ennianis hæc adducunt, memoria lapſi ſunt. Seneca etiam in Octauia inquit: Quæcunque mentis agitat infeſtus vigor, Ea per quietem ſacer, & arcanus refert, velóxque ſenſus.

Artibus aſſuetis. duo m.s. aſſiduis. ſimiliter Lucretius, quem noſter hic ſtuduit exprimere, lib. IV. Nos agere hoc autem & naturam quærere rerum ſemper: & inuentam patriis exponere chartis.

Sacra corona. Vnus m. ſ. clara. ſed in eodem, eadem manu, emendatum, ſacra. idem in ſequenti carmine; vinctúſque.

Hunc premit. m.s. meus; hunc ſubit. Sidonius hoc carmen repræſentauit: Enceladus patri iacuit, fratríque Tiphoeus. Euboicam hic rupem ſuſtinet, hic Siculam.

Ebur. de geminis ſomni portis, eburnea & cornea, vide Macrobium in ſomnium Scipionis.

Æquatus. quædam membranæ; æquandus. aliæ, Æquatur, hinc vulgati, æquatus.

AD PANEGYRIN VI. CONSVL HONORII A. NOTÆ.

AVguſta ſibi. v.l. cum Vicetin. ſui.

Viuere fortes. quia m.s. habent, numine fontes: coniicio legendum: numina fonti.

Diademate necdum. v.l. nondum.

Induit. procliue fuit mutare b. in, d. vnde affectum, vt cum in m. s habeatur, imbuit: hactenus lectum ſit, induit.

Fidéque reductum coniugis. eſt mihi gratum magis, fidæque.

Gloria materna, laudem. lego ex m.ſ. Gloria, materno laudem, &c.

Parentis. v. German, Parentans. quod omnino malum non eſt. ceteri

teri vnanimi consensu, parentis: videlicet vt voci, pij respondeat.

Percensere manum. meus m.s manus. sed non placet.

Ticinus & Addua. alij Ticinúsque & addua. ad hunc locum respexit Apollinaris lib. I. epist. v. Vluosum, inquit. Lambrum, cærulum Adduam, velocem Athesim, pigrum Mincium, qui Ligustinis Euganîisque montibus oriebantur.

Aut mœnia. m.s. meus: nec eodem vtráque lectio recidit.

Labori. v.l. laboris.

Vtitur auxiliis. v. l. vertitur. vertitur verò auxiliis, hoc est, vertitur ad eam partem, quæ fessa laborem non ferebat, vt ei auxilio esset. tamen facilior vulgata lectio.

Si quas. meus m.s. si qua.

Discedere turmæ. idem ille m.s. decrescere.

Numina. v.l. nomina. nempe discedentium.

Finibus ad Ligurum. ex v.l. primus reposui, finibus à Ligurum. item & post aliquot, fama maiore, pro meliore.

Exertum. sic omnes excepto vno v.l. in cuius quidem contextu, excitum, sed in margine correctum, exertum.

Socios. v. l. socius. tunc sic interpunge, ferat? socius suspectior hoste.

Desinit esse. Hoc Iustinianus credidit, dum scripsit eos, qui pro repub. cadunt. in perpetuum per gloriam viuere. §. filij autem, instit. de excusar. tutorum vel curat.

Tetendit. non amplector vnius v.l. retundit.

Trans caput auersus. ex Virgilij Pharmaceutria, fer cineres Amarylli foras, riuóque fluenti Tránsque caputiace: ne respexeris. Nemesianus etiam in Eclogis: cineréſque auersa effudit in amnem.

Auersus. Vicetin. auersis m.s. meus autem, aduersis.

Quum cinxere faces. Maximopere mihi placet v.l. lectio, quæ hæc est: fasces cinxere

Stupuit. v.l. tribuit: vt tribunal indicetur confectum ex cespitibus, aggeribúsque Mœoticis fuisse, quod & historiæ, & menti scriptoris tam est consentaneum, quàm quod maximè.

Chaldea mago seu. ain Claudi: eam victoriam magicis auxiliis Marcum consecutum? atqui longè aliud tradit Xiphilinus: Marci videlicet rogatu, fulminatricem legionem (constabar ea autem militibus Melitenis Christum colentibus à Deo O.M. precibus obtinuisse, vt quadi fulmine perirent; Romani verò largis imbribus reficerentur. imò quo prorsus & tu, & quem secutus videris, Cocceius Dio falsi cõuincimini, ipsa marci epistola ad Senatum ea de re missa, hoc ipsum affirmat adducitur eius exemplar à Diuo Iustino martyre, post Apologiam secundam.

Ambiret.v.l.& Vicetini Ambirent.

Vultúque palam confessa corusco.m.s. & v. excusi, vultúsque p. c. coruscos.nec est temerè ab hac scriptura discedendum.

Spacij decernens. id auctoribus suis relinquo. legens cum m.s. & vet.German.discernens.

Auratos.v.l.auratum sulcaret remige fluctum.

Spectatósque iterum nulli.alludit ad id quod præco prædicabat: Venite ad ludos quos nemo mortalium vidit,neque visurus,&c. singulis enim sæculis celebrabantur.

Pharsalica.v.l.& Vicetini, Pharsalia.

Illic posse regi.m.s.& v.German.illinc.

Mox & per latum. D I boni quanto elegantius v. l. Nox erat,& latè.

Medius sed.&c. maxima est omnium librorum dissensio. mihi sic legendum videtur;mediam sed clauserat hostis inter me socerúmque viam,pontémque tenebat Addua quo,&c.

Impetus excessit.ex Homero ἰλ.η.

Non vigilem.v.l.nec.

Amne secundo.meus m.s.retruso.quod cui placebit,ad fontem recurrente interpretabitur.

Omne Palatino qua.v.l.quod.

Quo tempore solus Romanos.moris enim erat,vt Senatores & patricii triumphanti Imperatori obuiam progressi,eiusdem currum præcederent.idque Pacatus & alij Panegyricorum scriptores posteris testatum relinquerunt. hoc loco meus m.s.quod pectore solus, &c.

Vt chalybe. Clibanarios describit; sic à Clibano,hoc est, thorace ferreo,quo pectus tegitur,nuncupatos.clibani vox reponenda est, in libello de rebus bellicis,qui notitiæ Orientis & Occidétis postponitur,eo loco quo Thoracomachus exponitur.

Mercem. Sallustianum hoc est,pro mercedem.

Solio fultus genitoris eburno.curulem sellam:quam Liuius, eburneam, Vopiscus, eboratam nominarunt; eodem modo descripsit in Panegiri. de II. consul, Stilich. seu celebres ludos, solio seu fultus eburno.

Digerit.v.l.dirigit:& in vnius margine; digerit.quod amplexi typographi fuerunt.

Victoria.subiungit.Patricij veneranda fouet sacraria cœtus; quo indicat,hanc illam esse victoriæ aram, quam V. C. Auianius Symmachus contra Diuum Ambrosium & Prudentium acriter tutatus est.

Arcubus.quidam,partibus.

Tunc pectora.ritè v.l.tot pectora.

Fronde.lauro.

Nomine.crederim hoc loco tollendum.prius, n, relinquendúmque omine : vt vt aliter o. quos vidi libri.

AD PRÆFATIONEM PANEGIRIS II. CONSVLATVS STILICHONIS, NOTÆ.

A*Duexit*.v.l.adduxit.

Te mihi post quintos. in secundo igitur consulatu scripta fuit hæc panegyris.nam prior quinque annis præcessit.

AD PANEGYR.IN II. CONSVLATVM STILICHONIS NOTÆ.

D*Inumerare via*.v.l.moræ.

Pro te bellator.membranæ quædam;pugnator.

Pacator.m.s.& v.impressi;calcator.

Post Numidas. nihil immutaui, licet in meo m.f. inuenerim ; post victos NumidasMario,post classica Martis Pompeio.nam,vocem; victos,ex glossa irrepsisse,& germanam,Eoi;sua sede arbitror expulisse.idem inferius,Iuppiter altum.

Meruit genero præstante.v.l.vel sic,vel,genero meruit patiente.

Fessis.Vicetin.lassis.quod cum habeant. v.l.cur fuerit reiectum, non equidem;video.Lucillius:Leonem ęgrotum ac lassum.

Non solum populi vitam.lege ex v.l.nec solam , Vicetin.certè. Non solam.

Robore freta.ea vox vnius m.s.marginem occupauit : è contextu tamen,fulta,expellere nequiuit.

Et spectant.v.l.expectant.

Fastos ornare.v.l.& Vicetin.fasces.Idem sensus est.

Regendis.m.s.gerendis.

Imbuit annos.v.l.figuratè; induit.

Obuia fatu.Vicetin.votis.mēbranæ vtrūque æqualiter agnoscunt.

Submitteret. v.l. obsideret.atque hac vsus licentia superiùs, dixit, Mēque minabatur calcato obsidere vallo.

Murúmque ferıret.v.l.teneret,idque τροβολικῶς.eo namque felicitatis progressus Hannibal haut vnquam fuit.

Hinc fulmina vibrat Iuppiter,hanc tota Tritonia Gorgone vel at.licet nihil hoc loco innouem:habetur tamen in meo m̄.s.Cum f.v. Iuppiter,hanc tota T.G.velat.

Gratia fudit.membranę hoc modo,vel, gloria.

Terrore coacta.v.l.ſubacta.& in meo,id eſt,coacta.

Leontodame.v.l.Leoncedome.quid ſi legamus:Læontocome? qui verò ſint Leontocomi,Cælius lib.XIII.docet.

Formoſa.v.l.famoſa.

Diuiſa. v.l. diuerſa. & hoc ipſo carmine;curtus, pro vt vulgati curſus.

Mauriſia.Vitruuius lib.IIX.Mauruſia,quam noſtri Mauritaniam appellant. Præterea vbi ceteri, domum, m. ſcriptus meus:dono.

Perquirite.tanta apud me membranarum auctoritas eſt, vt ex iis hoc loco,percurrite,cenſeam:quod & in v.impreſſis legitur.

Numinibus.ſic v.l.vel,Vulneribus.Vicetin.muneribus.

Hec ierge prompta.alij;Hecarige:alij,Nicharte: quidam,Nichalce. lege,vt ſuprà,Erimanthe.

Cirnaus.ſic Pariſ.Baſileenſ.& Lugdunenſes: Vicetin. verò & vet. German.Circæis,in m.s.vtrumque reperio.

Non ſanas.v.l.nec.eo modo.nec manifeſtum furtum dicunt iuris auctores. erat etiam lex antiquiſſima: SENATORI QVI NEC ADERIT AVT CAVSA AVT CVLPA ESTO: vt Cicero de legibus refert.

Parare.Hæc v.l. vbi in ceteris,polire, continetur,eſt ſcriptura, vt reor,vera.

Hontanis plena triumphis. v.l. & Vicetin. plena, duobus genitiuis adiungunt. quemadmodum varro, Eumenidibus: Plenus vini & Veneris.

Vehitur.v.l.trahitur,quæ vox aptior eſt.

Fer aures. m.s.per auras.

Dentibus. Galenus in libris Anatomicis pro axiomate ſtatuit,dentes omnes ex mandibulis oriri:cúmque Elephantorum propagines illæ,quæ eborariis,vel,ſi hoc inſolens, fabris eboris materiam ſuppeditant,non ex mandibulis, ſed ipſo cranio ortæ, venis cephalicis nutriantur,miror auctorem noſtrum barris dentes, non cornua attribuiſſe.

Amplexa.v.l. aduexa vel adnixa.

Thyrannáque.emendetur ex v.l.terrenáque.

Suis ſed non. exiſtimo legendum,ſuis,ſua non.

Soluúntque.vet.Germanica editio emendatè,ſaliúntque. quod ex hac decuria immeritò eiectum poſtliminio redeat.

Lynces.imitatur Papinium,quo loco ſcribit: Lynces & vda mero lambunt retinacula tig res.

AD LIBRVM I. DE RAPTV PROS. NOTÆ.

PRÆFICITVR huic lib. præfatio, in qua vulgó, Ioniúmque, & etiam in meo m. s. legitur; Ægeas hiemes, Ionúmque: sed m. s. liber; quem mihi vtendum Victor Giselinus, singulari vir doctrina, concessit; Ioniásque, continebat quod etiam concinnius videtur.

Prodere cantu. v. l. & Vicetin. & Mediolanens. & Parisiens. promere.

Mens concussa. legi; congesta, Præter v. l. tam scriptos quàm excusos, etiam Brodæi miscellanea iubent.

Culmina lucem. v. l. cum Parisiens. & Vicetin. lumina, hoc est iubar Phœbææ lampadis.

Cecropidum. vnus lib. Manus. Ceropium.

Sanctásque. meus v. l. sacrásque. Sanctas autem, hoc est omni temporum obseruatione inuiolatas: quo pacto muros ciuitatis sanctos dicimus.

Carmina cristas. Victoris liber, cornua.

Latúsque simul. Anacreo de Baccho; δὶ ὃν ἀμπαύεται λύπα, δὶ ὃν δινάζετ' ἀνία. eundem Maro lætitiæ datorem appellat: iccirco noster in v. l. & trib. excusis; lætum nominat.

Fulsit. hoc mendosum est. nam dicere voluit; Bacchum meraco vino titubantes pedes, Lydis thyrsis confirmasse. quæ sententia erit, siue; fulcit, vt Moguntin. & Basileenses, siue; firmat, vt meus m. s. legamus. Colinæi & Parrhasij lectio, videlicet, figit, à Victoriano eod. confirmatur.

Verticibus. in iuniores libros hæc vox ex glossemate pro; gurgitibus, irrepsit.

Proserpina curru. hoc substituerunt, qui; raptu, non intellexerunt: illud tamen in m. s. & quinque vulgatis legitur: eadem voce vsus est Cicero: Quis de Ganymedis raptu dubitat, &c.

Infesto. sequor v. l. & alios, quibus; infausto, arridet.

Arto. v. l. vel; aucto, vel; alto, vel arto.

Fletu. vnus m. s. vultu.

Omnia. v. l. omina. vtrumque recipi potest.

Fero. meus m. s. ferox.

Quicquid vbique. alter m. s. quicquid in orbe, vtrum glossema sit, aliorum iudicio permitto.

Certisque ambagibus aui. quamuis non desint viri docti qui; cunctisque retinuerint: attamen v. l. auctoritate, & sententia efflagitante; certísque, edendum curaui. quia παλιγγενεσίας respexit; in quã

Silius mentem intenderat, dum canebat: animæ cœlum repetunt, ac mille peractis, Oblitæ Ditem, redeunt in secula lustris.

Fœdera. ita m. f. & excusi multi. Parrhasius, & Celsanus, inscitè credo; prælia; legerunt, nam nobilem illam Saturniæ hæreditatis sortitionem intellexisse, proximè præcedens carmen indicat.

Minaci. omnes cod. exceptis iis qui Lugduni excusi fuerunt; niuali, quod custodio.

Atria. meus liber; Tartara. quod, nisi Victoris lib. vulgatis consentiret, repræsentarem.

Si nobis noxia vires. v. l. sit: nobis noxia vires; Cum cœlo, fortuna, &c vtrumque bene.

Intemerata. Victoris lib. inuidiosa. vel; vt ceteri.

Germana. v. l. cornua. sed iis non sum addictus, vt non arbitrer posse me dissentire.

Hinc æmula. meus v. l. hanc æmula Iuno, hanc poscit Latona nurum: despexit vtramque. idem inferiùs, vbi ceteri; situm, habet locum.

Nunc illam socia. varia est l. vulgatorum lectio. vnus m. f. nunc illam sociam. alter; hinc illam socia. lege, nunc illam socia.

Respicit Ionias protentis. v. l. respuit l. pretentis.

Dedignata. v. l. indignata.

Membra reuinctus. v. l. & antiqua Germ. editio; terga edunt.

Pectore sulfur. cùm hæc vulgò recepta lectio sit, Iano placet legi; gutture sulfur. in v. l. scribitur; vulnere fulmen. eritque tum auxelis heroici digna carminis maiestate. Præterea in vno m. s. inter lineas habetur; vel, virus. quod, quanquam censeam reiiciendum, admonendum duxi.

Rebelli. in meo cod. reperi; reflexa.

Nimbos. nisi Victoris lib. hanc vocem agnosceret, & immediatè sequeretur, piceáque grauatum Fœdat nube diem: non dubitarem ex meo m. f. legere; nubes. quia Virgilius hos fumiglobos, vehementi actos spiritu, atram nubem, alicubi dixit.

Apertis. mens Claudiani hæc fuit: siue spiritus, ex circũfuso aëre ortus, in imis Ætnæ visceribus conclusus, primum exitum quærẽs, quia illum nancisci nequit conglobatur. deinde vi nactus tenuem aliquam rimulam, violenter illac erumpit: quod cùm, sine maxima vi, motúque rapidissimo non fiat, confestim fumi flammæque ingens copia elicitur. Itaque nihil ambigo, quin hic ex m. f. opertis, legatur.

Offenso per saxa furit rimosa. v. l. vnus; o. r. f. p. f. alter; o. r. ruit p. saxa.

Sinuosa. hoc loco meus m. f. sic legit, f. draconum colla regens, volucri qui peruia satis commodè alter ei, nisi; membra, contine-

ret; aſſentiretur nubila peruia vocat, quæ Cereri cęteriſque DIs. iter præbebāt. Quin etiam vet. German; peruia, agnoſcit: & Celſanus volucri. per peruia quondam ediderat. Seneca pręterea in Hippolyto, ſcripſit: Solis & aër peruius ventis erit.

Scindunt. tantam dicit frugum copiam exortam, vt ſtatim ſublato pede veſtigia impreſſa frugibus cooperirentur; patet ex v. l. in quibus; condunt, lego.

Salue. Victor. lib. Salue ò.

Obumbrat. meus m. ſ. opacat, id eſt, obumbrat; poſterior tamen vox in ceteris omnibus continetur.

Timidus. in meo m. ſ. vt in altero correctum tumidas.

Pronas intendit. v. l. extendit.

Secreta tibi Cytherea. meus lib. Cythereat. ſecreta: ſic inferius vbi vulgò; terret quæ Mænala: habet, quæ terret Mænala. porrò alludit ad illud ſiue Homeri, ſiue alterius: παγχρύσεα τόξα τιταίνει Πέμπουσα στονόεντα βέλη, τρομέει δὲ κάρηνα Ὑψηλῶν ὀρέων.

Iamdudum. v. l. Iampridem.

Inaccessum. vnus v. l. inaccenſum.

In orbem. v. l. iniquum. quod repræſentaui.

Præceps. admonitus à v. l. hîc, præpes, repoſui.

Veterem qua lege tumultum. vnus m. ſ. veteres tumultus.

Cadunt. meus li. ruunt.

Fundit. vnus m. ſ. fudit. alter; pingit. inde quidam fingit.

Subter cælantia. eleganter v. l. iamiam cælantia.

Adustus. m. ſ. inuſtus: & poſt, vbi alij; cum fine, illi; in fine. & pro; telas, habent; telam.

Artes. v. l. aura.

Germani. rectè ſic. nam Pluto, & Iuppiter eodem patre eadémque matre nati fuerunt: quales Iuriſconſulti germanos nominant; quibus ἐπιπροβαλεῖς opponuntur: qui ſi ὁμογάστριοι ſint, vterini; ſin ὁμοπάτριοι καὶ ἀμφιμήτορες conſanguinei dicuntur.

Pratisque. ſic vnus etiam m. ſ. ſi tamen ad inane illud inferorum alludit, vt alludit, rectiùs plerique. ſpaciiſque.

AD PRÆFATIONEM LIB. II. DE RAPTV NOTÆ.

Solatia. m. ſ. meus; ſolamina.

Lugebant dulces. v. l. quærebant.

Argis. v. l. oris. vnde videtur; Argis, eſſe gloſſema.

Sternuntur. v. l. frenantur.

Astrictis. meus m. ſ. affectis.

Montes. v. l. rupes.

Celſanus legerunt; multiplices otinis variatur: licet ille legi in antiquo libro; ſinuatur, admonuerit.

Giro. vnus m. ſ. ferro.

Obumbrat. v. l. inumbrat.

Nitent. v. l. ſic, vel; patent.

Gertinea. m. ſ. vnus; coccinea.

Figuram. v. l. figuras.

Corona. v. l. caterua.

Crimniſe. hanc vocem Parrhaſius, cùm legeretur: Eraſine inuexit. Brodæus Turonenſis alicubi, ſubſtituendum auguratur; Quę fontes Amaſene tuos. Sed pace tanti viri dixerim, eſt hoc nimis audax commentum. nam licet Amaſenus Siciliæ fluuius ſit: non continuò ſequitur ita Poëtam ſcripſiſſe: præſertim cùm in o. v. l. legatur; Criſine vnde reponendum apparet; Crimiſe, quem, eius inſulæ amnem ignorat nemo, de quo Gemiſtus κατὰ τάχος ἤει ἐς ποταμὸν Κριμισσόν. Lycophron & Plutarchus eundem ſic appellant.

Abnuat. v. l. abneget.

Referens. v. l. repetens.

Madidantes. v. l. Victoris; madefactas.

Vernus ſequitur calor. Victoris lib. vernus ſequitur rubor. meus; veris ſequitur calor. ego confuſis ſcripturis; verus ſequitur color.

Volucris pandit Iunonia pennas. v. l. volucer pandit Iunonius alas. magna ſanè diuerſitas.

Diſcretis. meus cod. diſiunctis. aliud magis poëticum eſt.

Torrentes. Victoris lib. torpentes.

Florea rura. m. s. meus, florida. porrò totus hic verſus deeſt m. s. Victoris.

Cruoris. v. l. doloris. ſícque legendum contra Politiani ſententiam Parrhaſius oſtendit: cuius rationibus Homeri ſic ſcribentis auctoritas adiungi poteſt: ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο, Ἰχὼρ οἷός περ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν. οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον, Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Recuſa. ſi ſic cum vno m. ſ. erunt hæc ad Phœbum referenda; ſin cum altero; recuſſa, legamus; ad ipſum catamitum.

Textos. ex Victoris libro; Texto, edidi.

Foliis agreſtibus. faciemus non abſurdè, ſi membranas ſequamur, quæ, ſpoliis, habent. dixit enim, pratorum ſpoliatur honos.

Quippe. v. l. quin.

Inſolitiſque docet. legitur tamen in vet. lib. inſuetíſque. ſic etiam poſt aliquot verſus; preſſáque gigas ceruice laborat: vbi vulgati; p. graui.

Receſſit. vnus m. ſ. recedit.

Placato. v. l. pacato

Duráque. v. l. Siculáque.

Fractóque. o. v. l. factóque. quod, quamuis improbet Parrhasius, retinebo: sententiæ enim non repugnat: & ea, quam adducit, caussa ad hanc scripturam exturbandam sufficiens non est.

Calent. vnus v. l. madent. idem vbi ceteri; cornu, tenet; telo.

Pectore. v. l. viscera. & hoc vim continet maiorem.

Domitor vulgi. Impressi quinque; mundi: sed tres, quibus membranæ consentiunt; vulgi, egregiè. ita supra manes, vulgus iners appellauit. *Teterrime.* v. l. deterrime.

Luminis alas. falluntur turpissimè qui sic hūc locum contra v. l. fidem, in quibus, fulminis, continetur, deformant. Val. Flaccus lib. II. horrifici formatis fulminis alis.

Æqualésque choros v. l. æqualémque torum.

Fundit. v. l. rumpit.

Mundo. m. s. Giselini; cælo.

Infelix Stygio. vnus m. s. seruitum: alter; seruitium. auget παθοποιίαν. non, inquit, vxor aut pellex, sed vile aliquod & quasi de lapide emtum mancipium futura ducor, Seruitium Sallustio, Ciceroni, Liuio nota vox est.

Despicis enses. sic quidam excusi, alij; deseris: nonnulli, exeris. duo v. l. tot enim nec amplius, ope, hunc Poëtam emendaui; respicis.

Elysiósque magis mirabere campos. sic hactenus à cunctis lectū fuit: neque ego quicquam immutaui, quia subiungit; cultorésq; pios: & videri possit ad illud Maronis respexisse; Quamuis Elysios miretur Græcia campos. Verùm ne ipsa quidem v. l. lectio inepta est; Elysiúmque magis mirabere Solé. dixit enim Virgilius: Largior hic (*apud inferos*) campos, æther, & lumine vestit Purpureo, Solémque suum, sua sidera norunt. *Verrunt.* m. s. vertunt.

Sit fatum quodcumque voles. vnus m. s. Sítque ratum q. voles: alter; sit factum q. voles.

Intrantibus. manu exaratus liber, venientibus.

Cinxerunt agmine. Victoris liber; cinxerunt ordine. Solemnem nubentium morem respicit: cuius nec Papinius oblitus fuit, dum in Thebaïde nuptias Polynicis & Tydei describit: casta matres cinxere corona Argolicæ. quare crediderim perpetuam in meo m. s. haberi; conseruant.

Lecta de plebe. v. l. lecti.

Tantalicis. vnus m. s. Tantaleis.

Omnia perpetuo. Guil. Canterus, vir Græcè & Latinè doctus, nouis suis lectionibus hîc; omina, legi iussit. cuius coniecturam sexaginta ante an. scholiastes approbauit: & ea est m. s. & veterum imp. lectio.

Cum voce. vnus cod. scrip. iam.
Priserte. m. s. sic, vel; portate.

AD LIB. III. DE RAPTV PROSERPINÆ, NOTÆ.

TRansgressa. vnus m. s. & quidam excusi; illapsa. cui valde vicina est mei m. s. lectio elapsa.

Certo mansurum Prothea vultu. Sidon. Apollinaris hoc studuit imitari; Vatum certissime Protheu Certus eras, hoc est, tui similis formam non mutabas.

Nec non & senibus. idem Sidonius: Inde priores Consedere Dei: fluuius quoque contigit illo, Sed senibus, residere loco.

Olympo. vocem; est, quæ vulgò sequitur, ex m. s. deleui.

Abduxere. Scioli, qui hinc; adduxere, eiecerunt, grauiter lapsi sunt: ait mortalia rursus nouas sibi curas adduxisse: hoc est, effecisse vt nouis curis distineretur.

Fremerent. Sic vnus m. s. in quo tamen emendatum fuit; fluerēt, quam vocem alter agnoscit.

Oblimat. sic in meo correctum; cùm haberetur, oblinat. Victoris cod. oblimat, vel, excæcat.

Dirúmque. vterq; m. s. durúmq; : sed in meo aliena manu emendatum; dirúmque.

Auia. vnus m. s. deuia.

Discurrere. v. l. decurrere. Ceterùm hoc sciendum, me, quotiens numerum librorum non addo, vtrúmque m. s. intelligere: vt cùm vulgatos dico, de cunctis sentio.

Quæ genitrix. quidam; nutrix: alij; ductrix: nonnulli; rectrix: cæteri; mater. penultimum & antepenultimum displicent.

Scilicet illa. lege; Se licet. quemadmodum I. Elegia Tibulli: satis est requiescere lecto Scilicet, legendum est, si licet. quod, licet de eo alij addubitent, audacter ego affirmo. ne quis vero miretur me; datam de vertice, legere: sciat; natámque, haberi in meo codice: hinc; natam deefficio. quanquam aliæ mēbranæ; conceptā, seruēt.

Stirpe recisum. v. cod. tam scripti, quàm excusi; stipite cæsam, eodem sensu Virgilius; imo quod stirpe recisum Matre caret: vnde fortassis recentiorum emendatio, deprauatio dicere volebā, emanauit.

Quærentique nefas. v. l. quæsiuitque.

Ruber. vnus v. c. pudor. idem inferius vbi ceteri; potestas, continet; facultas.

Tu meas. v. l. an mea.

Dira parens. meis membranis ſubſcribo: in quibus; dicta parẽs, legitur. quam emendarionem à nemine qui modò muſas norit, improbatum iri confido.

Etiamnum. meus lib. eriam nunc. alter; iam nunc.

Sancta Ceres. v. l. nota.

Excuſſere. diſcrepant v. l. dum in iis, vel; ſoluere, vel; mouere, legitur.

Inuiſæque manus mirantia. vnus m. s. inuiſæque manus mærentia. alter; inuiræque m. mitantia.

Pinnas. v. l. pennas. magna autem inter i, & e. litteras in ſcribẽdo eſt affinitas: adeò vt Quinctilianus, tam pinnas, quàm pẽnas ſcripſerit. quidam; pœnas. quod, licet inrerpres ſequatur, mihi nõ arridet: ſed ex alterius vocis deprauatione natum videtur.

Pateant homini. v. l. fiant.

Euellit. vterque v. l. reuellit.

Interceptas. mendoſè meæ membranæ, intetreptas.

Caſtúmque. alter m. s. carúmque.

Quem lupus. v. l. cui pecus. non multum equidem refert, vtrum recipiatur.

Aſpicit. vnus liber in ouium tergoribus exaratus; conſpicit.

Timori: ambo. m. ſ. pudori.

Caſtíque. Victoris liber, tacitíque, & inter lineas; vel cautíque quod meus cod. retinet.

Aſſatu. v. l. afflatu.

Campos Ennenſes. v. l. colles. videlicet Ætnæos.

Liuor permanat. ſic vet. cod. quibus excuſæ aliquot aſtipulantur: alij; lutor; quod Ianus non improbat: ego; quia in nullis cod. inuenio, non probo.

Decreſcere. Victoris liber; marceſcere.

Obſedere. meus m. ſ. obduxere.

Vultu ad. primus hoc loco, ex meo m. ſ. vltrò repoſui.

Auexit. v. l. aduexit.

Vitrea tardatur imagine forma. Speculis ad rapidiſſimã feram detinendam à vænatore diſpoſitis.

Reuerentia. Suprà dixit; reuerentia patris Obſtitít auxilio quare; ſententia, quæ vox in meo m. ſ. continebatur, repono.

Demiſſa. v. l. delapſa.

Sit rapta. ita hîc antea legebatur, pertinacem mendam tollente nemine, cum glacie frigidiorem ſententiam non animâduerterẽt. meus m. ſ. Quamcumque dediſtis Fortunam, ſi nota, feram. quomodo ſcripſiſſe Claudianum, nihil ver eor præſtare.

Iaceat. Victoris liber; lateat.

Inflammatura. vnus m. ſ. & vn us i mpreſſus, informatura.

Aduexisse. alter v. l. adduxisse.

Zancli spoliis. cùm in autographo; Cœi, haberetur; incurius librarius Caci, scripsit, vt etiã num in meis mẽbranis legitur: post, cùm qui editionibus præerant nusquam se de secundo hoc terrigenæ Caco legisse recordarentur, audacter nimis, Zancli, substituerunt. Victoris liber, Cathi, mendosè. Coei, Heliodorus. Diodorus, Appollonius, Apollodorus meminere, Κοῖον vocantes. Virgilius I. Georg. tum partu terra nefando Cœúmque, Iapetúmque creat. Propert lib. XII. cœlóque, minantem Coeum.

Lapsum. v, l. vel; lassam; vel, lapsam.

Incerta. v. l. infesta.

Habiles. scripserat hoc pacto Poeta: hinc Celsanus, habies, effecit inde Parrasius, vt fit dum errorem parit error, & ipse malè, abiens, elicuit. id alij animaduertentes, habiles, posuerunt: quod m. s. confirmant.

Apollinei nemoris nutritor. nonnulla huc nonnihil spectantia ab And. Alciato, in annotationibus ad XI. librum Codicis, commemorantur.

Auersa fronte. vnus m. s. aduersa fronde: alter: aduersa fronte.

Corniferi. sic meus m. s. sic tres Lugdunens. vnà cum Parisiensi & Basileens. ineptissimè. Cupressus enim propriè, coniferi dicuntur, quòd coni instar in fastidium conuoluantur. Ouidius: coniferæ ciparissi. Nemesianus: si modò coniferas inter viburna cupressos.

Iuuencos. Victoris liber, iugales, sed alia manu inter lineas scriptum; iuuencos. quam vocem reliqui omnes libri retinuerunt.

Prima gressus, interpres accipit, à summo Ætnæ vertice, vel, vt Hypallage sit, pro, primos gressus, inueni tamen in meo Codice scripto, primò gressus.

Huc vsque duorum m. s. exemplarium & antiquissimi libri Vicetini, anno ∞CD. LXXXII. *excusi, adiuti auxilio fuimus: quibus cum iam destituamur, dabit æquus lector veniam, si ad reliqua huius Poëtæ scripta pauculas tantùm coniecturas nostras adiiciamus.*

AD RELIQVA CLAVDIANI OPERA CONIECTVRÆ ALIQVOT.

I. LAVDE *virorum Censeri contenta fuit.* num hoc est propter virorum laudem in precio haberi? sic sanè: quæ locutio perelegans, & Iurisconsultis maximè familiaris est. Papinianus priuatorum cautiones legum auctoritate non censeri dixit l. vltima D. de suis & legitimis. Vlpianus scripsit, aliquo priuilegio maternam originem censeri. l. 1. D. ad municipalem. idem l. 1. de iustitia & iure. videmus; inquit etenim cetera quoque animalia istius iuris peritia censeri. II. *Ceraunia.* an Sidonius de Cerauniis in maioriani Panegyrico loquitur? versus hi sũt, naues Hispania defert fluminis. (*fortè* fulminis, *scribendu*) & lapidem; scopulos iaculabile fulgur Fucat, & accensam silicem fecunda maritat Ira Deum? quotiens cælum se commouet illic, Plus ibi terra valet. III. *ferróque.* iudico legendum; seróque, vel, fermèque. IIII. *Non illo nitidus nunquam.* coniectura ductus; vnquam reposui. *V. Hippocrenæum,* &c. cùm hic locus mendosus foret: censui emendandum; Hippocrenæo victorē sistere fonti Me dignare: tuam non &c. VI. *Romana Tonantis progenies* quid si legamus. germana Tonantis progenies? VII. *Quo mollis amas;* malim; quem. VIII. *ignara creasset.* substituo; creasse. IX. *Ludis in æthereas.* pro; in, scribe; & X. *celebrata per omnes.* videtur efflagitare sententia, vt; Serena per omnes, legatur. XI. *Hic splendor iuuenum.* si de sponso loquitur, lego, iuuenis. XII. *Citharea virum,* quæ sequuntur efficiunt, vt ambigam num auctor potiùs: nurum scripserit. XIII. *Conditor hic patriæ.* hic versus inicit in mentem suspicari, hunc Hadrianũ, quẽadmodum & Claudianus fuit, Alexandrinum extitisse, atque in eundem scriptum Epigramma cuius initium est, Manlius indulget somno, &c. XIIII. *Sed pater est prolésque sui.* vltimæ vocis loco pono, sibi. x v. *Stellis cælestibus.* radios solis intelligit. quare scribo: telis cęlestibus. XVI. *Calcatúrque.* plerique libri: Calcatúmque fortassis scribendum: calcantúmque. XXVII. *En iterum conuulsa feror.* sic legitur in vet. excusis: in iunior. tamen libris à sciolo quopiam versus perficiendi gratia adiectum est; succurre roganti. Cęterum quæ vulgò subiunguntur pia Christianáque carmina quia Damasi, non Claudiani sunt, à me reiiciuntur. XIIX. *Tertia festus Hymen.* crediderim emendandum, Thracia XIX. Et lapis est merito quod fluit & lapis est. quid hoc sibi velit, neque ego scio, neque quisquam, opinor, alius ritè intelliget. est enim mendosum. coniicio: sic à Claudiano scriptum, Estque latex meritò quòd fluit, & lapis est.

AVCTORES PRECIPVI QVOS APPELLAVIMVS AC LAVDAVIMVS

HISTORICI.

LIVIVS Princeps Historiæ Romanæ.
SVETONIVS solo nomine Tranquillus, sed per quam vtilis.
TACITVS vnio sæculi.
FLORVS stilo sublimis & coloratus.
HERODOTVS eximius.
DIO ingens.
XIPHILINVS lenis quidem sed supra compendium.
ZOZIMVS Fisci aduocatus Græcorum Tacitus.
SOCRATES. Zozom. Theod. eiusdem fere spontis & consortes.
ZONARAS satis bonus, neque latii ignarus.
CEDRENVS lectu etiam non indignus.
NICEPHORVS antiquorum spoliis insignis verbis fortè nimius, sed neque per se mendax, neque adeo vanus, vt volunt hodie magni scriptores.

ORATORES.

CICERO eloquentiæ parens omni exceptione, maior instar multorum.

PHILOSOPHI.

PLATO diuinus & suprà quàm cuiquam credibile sit idoneus.
ARISTOTELES miraculum naturæ.

VVVV

VIRGILIVS. signifer.
CATVLLVS animo iuuenili sed elegans,
OVIDIVS Elegiæ decus.
TIBVLLVS facilis.
PROPERTIVS tener ac sine vitio peregrinus.
STATIVS generosus & subito calore admirabilis.
SILIVS vel inuito Marullo ad prime clarus.
SIDONIVS vir ad magnas res natus nostri poëtæ tamen racemator nimis, & qui libenter eius Panegyres suppresserit.

HODIERNI.

IA. CVIACIVS sine exemplo maximus.
IO. SCALLIGER gentis Principale iubar.
I. LIPSIVS. bono litterarum natus.
M. AN. DELRIVS. vir nobilis doctrinæ cuius plura scripta etsi nondũ vidi: vna tamen Lipsij epistola mihi corona ciuica dignum exhibuit, citauimus etiam Iurisconsultos, Panegyricos, & alios per quos profecimus.

Verum hi primas tenere debeant.

HOMERVS fons perennis virtutum ac scientiarum.
PLINIVS Hist. vir incomparabilis ac stili emendatissimi.
PLINIVS SECVNDVS siue Iunior cuius vis natiua colore plusquam Rhetorico effloruit. & cui male dictio ποιητικωτέρα obiicitur à quodam subtili Belga.
PANEGYRICI VETERES in queis Historiæ lumen & Gallicana facundia Plinij imitatrix mirè splendicat. inde color poëticus de quo Dialogus Taciti non male sentit.
SYMMACHVS. is vero aulæ sapit delicias quibus tamen pene derelictis Garumnam sitit & Aquitanæ eloquentię haustus requirit.
B. AMBROSIVS vir sanctissimus. modestissimúsque omnium cætera elegans & cordatus.
IO. CHRISOSTOMVS aureo flumine ingenij exuberans orator vel Demostheni vel Ciceroni præferendus.
D. AVGVSTINVS aliquid ex vtroque mistum ac temperatum habet.
B. HIERONIMVS neque felle nimio neque minima suauitate, sed qui perfectum exemplar nobis & lucem præferat.

Recentiores & tamen satis laudatos sponte omisimus ne ingenij culpa videar ipsorum encoinia deterere: neque enim de bonis auctoribus loqui nisi data symbola eualeam: vt qui per eos profecerim.

INDEX, RERVM ET VERBORVM PRÆCIPVORVM, QVÆ IN CLAVDIANO ET ANNOTATIONIBVS ST. CLAVERII continentur.

A

D.

P.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

SI qua nouo fuerint, vt sunt, in codice menda,
Parce tibi nimiùm qui properauit opus:
Adde quod ipse Notas absens mihi miserat auctor,
Quale atomi corpus, motáque puluis habet,
Pagina pergameum cœpit sic vna Maronem,
Ilias in parua sic nuce clausa fuit.
Si tamen Editio subit altera, fortè placebit
Illa magis, quanuis hæc quoque bella satis.

Fol.1.lege:hinc maximus,inde altus.1.b prima linea post : Secutus.insere,vel prægressus, pro H.reponendum G.2.notabili.quod ad rex.5.b.Tegeæ. Post fulmina.Notabis etiam hac pag.& alibi interr.pro virg. positas, maléque interpuncta. glauco.Cyclop.6.vtramque.7.b.vlulatibus.8.b.sparso.10.b, [illegible] 11. b. Apud Iurisc. Corybas. Agnoscit sine d.13. Orci. Vers. 13. b. rotundum.ar.14.3.& seq.p.Diei.Parenthesis (sic apud. St.&c,quod esset satis.15.b. aeus nō?& alibi.16.b.vitrei libamina.17.vinctura.19.b.quæstus.20.exitio.21. dele.1.22.[illegible] Achillei. 23. cauda. 24. promissio. 28. Typhoïs. 29. b. Mob.Zephyro,.30.his.30.b.Mimantis.32.eram!studiis!ferus.33.b.animas.35. Zanclo.Typhoeùs.39.quiequid poss.40.b.Odrysiis.42.optata.43. habiturus. 44.b.negligens gens.45.l.pacatum Dr.46.b.P.F.P.& sæpiùs.47.clemens.reuocare vol.47.b. Prudentius fido erga Imp. 53.inermem.57. Salmoneus. 59. quod ab. nimis. 60. natúmque pio. offa 61. quod. ad. 62. [illegible] 62.sed vide Pl.64.suscipiūt.65.b.duxerat.66.nulla remoliri.68.comitatur 66. b.Sueuis.72.Diocles.72.b.dele:Plin.in Ep.c.m.li.p.ex.73.tantùm taxari meruerint IONEM. ibid.chiasmos malè expressus. Parotidas sectas esse. à breuiss.74.b.Timasius.ni.75.vers.4.Petronij vno ductu. eodémque typo. Dele: Iuno & etiam. 75.b. leuium lacern. atque ob id. etiam. 76. itáque seruitij. [illegible] 77. verbera auctorem.78. b.omnia vestri.82.nullo. 89. spolijs Eunuchi.90. b.vulgus.Oceanus.at Pop.91.b. lin. 12.Constantinus. Augustum. Imperatoribus.GRAIOS.92.b.pœnam.Lyciis.93.Vola curriculo istuc. 93. b.dele.32.94.Bacchanalibus 95.contueri.95.b.optauerint 96.Geticam.96.b.timens.97.Britannis.97.b.rates.98.tolerare.98.b.terras armis.OSI.Mauors,nátæque,99.pro.100.102.steluat,102.ausus.Firmi.103.Mascizel.paribus numen 103.b.Trista.Pondere.Stat.104.funereis.104. b. impendentísque. Imbribus. 105. Arcto. 106. atque. 106.b. dominio. 107. Peuceri. poematio. exeruit. 107. orthodoxam. minatus. inexplicabile. 108. Impp. dictas. Vincuntur. 109. Ptolemæo. aliquid. quæ vltimæ annotat. de bello Gild.omissa est vbi editæ contra Gild.& alia ex C.Th. citantur.b. Gel.110. b.dabunt.Anne.Prospicimus.111.Aloeus,112.b.obliquā.112. b. longior. vnæ. abductus.113.Odrysiis.montibus.114. Territat.115.b.Protinus.115.b.vadis.121 Rhamnusia. 121. Illuc. 122. [illegible] 122. b MONITV cibos.pareit. 123. [illegible] Pelias. 123. b. sonore. 124. agnoscit. Honorium. releuatis.præcipuè.124.b.Constantinū.iis qui.Pæoniis.alteri.125.b.Gifaniū.Helenen.dux.grauia.126. euentu.129.b. Chaoniæ.130.b. relinquit. pendúnique. auarities.132.Il. crebro. 133. Stat.dum. statuis. 134. [illegible] 135. Cernis.136. Omnibus.138.simili.139.finit.140.iubes.140.b.Dacis.142.b.Bastarnæ.143. Ephyre.144.Alcmenæ,146.b.Consilio.notauimus. Fortunatus : legibus. 147. b.seruitium. [illegible] ad finem. nostratibus. 152. b. patricias. 153. Maurusius.154.b.Romæ.155.furorem.156.adhuc.157.b.discernens.160.Quin.160 b.tempore.161. Indicat. Lyæo.162.immoto.163.Iliados n. Inarime.Typhoeus.164.Pontifex Maximus.165.adduci facilè.166.eadem re.166.PROCERVM. 167.b.poema.post.Et quasi mutata familia capite minuunt.169.Sacre 172.b. Abductóque.Quo creuisse.173.non.175. [illegible] 174. b. reuoluam. 178.b.Cernimus.179.Curuatas.179.b.Hic.,vbique.180. furtus.Cornipedem. 184.duo. 184. b.legimus. [illegible] Flammea. 187. b. Seu iuuenem. Seu. 188.Capulis.cupias.186.neque enim.190.Innumeræ. 191. b. quisquis Eoos. 192.plus est.192.Velati.198.b.Pompeio.199.b. letale. 200.b.territa. 202. b. teclæ.204.b.quæ lectio si. Mirata limin. 210. lasciuæ. 211.Fastoniæ.211.b.dulce.213.b.Defuncto.214.b.Capaneïa,231. adhuc.fere.imp.232. b. Vua. Basilica.263.Stat.globus.